5. 17
22
5 39

4 80
47
1
5.28
11
5.39

BIBLIOTECA NAZ.
150
B
16
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
B
16
NAPOLI

~~102-h-78~~

IOANNIS LAVNOII
THEOLOGI PARISIENSIS
DE

VARIA ARISTOTELIS

IN ACADEMIA PARISIENSI

FORTVNA

ET
IOANNIS IONSII
HOLSATI
DE

HISTORIA PERIPATETICA

DISSERTATIO
IO. HERMANNVS AB ELSVVICH
EDIDIT
ET DE

VARIA ARISTOTELIS

IN SCHOLIS PROTESTANTIVM
FORTVNA
SCHEDIASMA
PRAEMISIT
ADIECTO INDICE NECESSARIO

VITEMBERGAE APVD SAXONES
SVMPTIBVS SAMVELIS HANNAVERI
TYPIS SAMVELIS CREVSIGII MDCCXX.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

IO. HERMANNVS AB ELSVVICH

ACcipe B. L. elegantem Iò. Launoii, de Varia Ariſtotelis in Academia Pariſienſi Fortuna, librum, annotationibus quibusdam illuſtratum, & formis antehac in Germania haud exſcriptum. Quantopere is eruditioribus ſe approbarit quondam, uel tot loquuntur iteratæ editiones. Prima Lutetiæ Pariſiorum A. R. S. cIↄ Iↄc LIII. in forma, quam nominant, octaui ordinis, operis Erdmundi Martini, eſt impreſſa. Hanc, tribus praeterlapſis annis, alia, eademque auctior, excepit, quae Hagæ Comitum, in forma quarti ordinis, ſumtus ſuppeditante Adriano Vlacquio, adſpexit lucem. Vt uero Launoius ex eorum numero literatorum erat, qui ſuos ingenii foetus ad inſtar urſarum lambunt, ſæpe multumque retractant, ac augent, ita nec in hac acquieuit editione, ſed libellum eodem loco, & forma, quibus primam emiſerat, Anno, poſt reſtitutam hominibus ſalutem, cIↄ Iↄc LXII. nouis prodire acceſſionibus iuſſit. Ex

his media eſt uulgatior, quam & plerique excitant, prima uero, & ultima, cuius hic datur ἔκτυπος, ſunt rariores, nec ita inuentu faciles. Cuius rei hæc mihi uidetur eſſe cauſa, propterea quod, teſte, in epiſtola ad Bebelium, Ancillonio, *Loiolitæ Io. Launoii ſcripta, ſimulac prodierunt, occupare, & abſtrahere ſint ſoliti, ut & rarius deinde, & carius proſtent.* Iſtud enim hominum genus offendebat candor, quem Launoio ſuis in ſcriptis curæ cordique fuiſſe, nemo eſt, qui ignorat. Multas detexit fabulas, quibus homines imperitiores, totusque propemodum mundus; cogebantur credere. Non paucos ex Sanctorum expunxit numero, oſtenditque, eos, uel chimæricos, liceat cum Voetio loqui, uel, ob commiſta facinora, indignos eſſe, qui Diuis annumerentur. Quibus ſequens meruit a Menagio Epigramma, ex Homeri Iliade maximam partem confectum, & in honorem Viri, quem *præſtantiſſimum* nominat *Theologum*, L. VI. Obſeruat. in Diog. Laert. illatum

Τὸν Λαυνοῖον ὁρᾷς, ὃς σύρφετον Οὐρανιόνων
Ῥίψε, ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλȣ̃ θεσπεσιοῖο.

Plura ex λειψάνοις Diuorum, religioſe

pas-

paſſim conſeruatis, docuit eſſe ſuppoſititia. Errores, a Bellarmino, Baronioque commiſſos, non diſſimulauit. Quæ ab illis, quos alii ex ſociis eius αἰρετικοὺς proclamant, bene dicta erant, laude ſua tantum aberat, ut defraudaret, ut probaret potius, & a ſuorum inſultibus, ipſe, pro uirili, defenderet. Quid multa? teſtem ſubinde egit ueritatis, qualem illum, iure, meritoque, appellandum eſſe, iuſto euicit uolumine Theologus quondam Hamburgenſis, idemque propter uaſtam, reconditamque eruditionem celebratiſſimus, Antonius Reiſerus, ὁ μακαρίτης. Ita fieri aliter non poterat, quin in ſe & magnum concitaret odium, & multorum prouocaret calamos. Certatim namque in Launoium inuecti ſunt Germanus Miletus, Io. Sanblancus, Hugo Menardus, Io. Fronto, Norbertus Caillocius, Io. Baptiſta Thiers, Io. Baptiſta Gueſmeus, Galeſius, &, quem primo nominare debebam loco, Theophilus Raynaudus, Virum doctiſſimum modo Atheis, impiisque adſcribens, modo furti literarii incuſans. Ipſe etiam Pontifex non unum ex eius libris in prohi-

bitorum indicem retulit. Quod fatum, ut alios omittam, A. CIↃ IↃCLXIV. Cenſura Reſponſionis a Norberto Caillocio ad inquiſitionem in Priuilegia Præmonſtratenſis ordinis editæ, experta eſt. Nec poſt mortem, ut alias ſolet, quieuit liuor. Legauerat Launoius Monachis, quos Minimos uocant, ducentos numos aureos, Ritualia ſua omnia, et mediam librorum ſupellectilem, neque tamen ab illis Nicolaus Camuſius obtinere potuit; ut uel locum Epitaphio concederent, uel apicem in Launoii honorem et commendationem exararent. Quod, a Dupinio praetermiſſum, Autor ille commemorat, qui ἀνωνύμως Elogium Io. Launoii confecit. Verum enim uero ut ſuus ſemper uirtuti conſtat honos, ita nec defuere, qui maioris, quam alii, præiudicatis imbuti opinionibus, Launoium, eiusque Scripta, haberent pretii. In Ephemeridibus Eruditorum A. CIↃ IↃC LXV hæc habentur de cenſura, qua Cenſuram Reſponſionis, paullo ante commemoratam, notauerat Summus Pontifex: *Neque propter eandem rationem*, utor uerſione Nitſchii, *Cenſura illa impediet, quin*

Launoii

Launoii liber ubique ſemper approbetur, quoniam notum eſt, eum Cenſuræ non eſſe ſubiectum, niſi quod ordinaria iura contra prætenſa priuilegia & exemptiones ordinum Monaſticorum optime defendit. Alibi, cum editum a Thierſio in Launoium recenſetur ſcriptum, *unicuique*, inquiunt Autores, *ad oculum patet, iniuriis librum eſſe pleniſſimum, quibus ſane moderatius uti potuiſſet Thierius contra D. ueteranum, eruditiſſimumque huius Seculi uirum.* Qua moderatione ſe commendauit Henricus Valeſius. Nam quamuis expoſitionem Canonis VI Concilii Nicaeni, a Launoio traditam, operoſe confutarit, nihil tamen de eius uel eruditione, uel exiſtimatione detractum uoluit, ſed diſerte potius *magni eundem nominis Theologum* appellauit. Launoius uero cauſæ fretus bonitate, animo erat robuſto, tantaque conſtantia, ut nihil a ueri ſtudio diſcederet, nihil a candore, ſibi præ aliis proprio. Atque huius candoris, uiro digni erudito, ſpecimina, eaque nec pauca, nec leuia in hoc ipſo pariter dedit libello. Ex multis id ſaltem affero, quando *Melanchtonem*, *et alios ſuperioris Seculi Scriptores, qui ſeor-*

ſim a Pontificiis per religionem ſentiunt, nec grauiora, nec duriora de Ariſtotele, quam Patricium, dixiſſe pronunciat, eosque indignatur maxime, *qui, quæ in Patricio non culparunt, in Melanchtone culparent.* Non ueretur id *ad partium* referre *ſtudia, quæ nec Chriſtianum, nec alium amantem ueritatis quemlibet decent.* Hæc Surius, eiusque complices, uelim, obſeruent, qui Lutherum iuxta ac Melanchthonem, ob duriora in Ariſtotelem effata, infenſiſſimis philoſophiæ hoſtibus annumerant. Probauit etiam illam καταγραφὴν, qua Lutherus noſter, quid de Theologia Scholaſtica, uti tum obtinebat, habendum eſſet, declarauerat. Cogit tamen me ipſa fateri ueritas, Launoium aliquando iuſto iniquiorem uideri in Philoſophum. In rei fidem teſtimonia modo inſpiciantur, quae ex coetus Chriſtiani Doctoribus, qui Patrum ueniunt nomine, aduerſus Ariſtotelem, pleno uelut hordeo, congeſſit. In his nonnulla ad Philoſophiam Peripateticam trahit, quæ de alia intelligenda ſunt philoſophiae hæreſi. Alia eleuat, quae in laudem potius, quam contemptionem, Ariſtotelis uergunt. Nonnun-

nunquam placitis indulget iſtius, cui addictus eſt, religionis. Argumentum libri non perſequar fuſius, quod uel ex ipſa eius inſcriptione conſtat, & a celeberrimi nominis Viro, Io. Alberto Fabricio pridem data opera enarratum eſt. Sigillatim in Bibliotheca Ludouici El Dupini, primam, in Actibus Philoſophorum, alteram, et in Recenſione librorum Bibliothecæ Thomaſianæ, tertiam recenſitam legimus editionem. Optarim, eam pariter ſubiunxiſſet Launoius fortunam, quam ſequiore ætate, orto Ianſeniſmo & Carteſianismo, apud Pariſienſes habuit Ariſtoteles. Ianſeniſtæ enim, quales & Sorbona aluit, parum fauent Philoſophiæ Ariſtotelicæ, quam Pelagianismi fuiſſe matremCornelius contendit Ianſenius. *Ex quo*, ita ſcribit Ianſenius, *etiam factum eſſe cernimus, ut quamdiu abiectior illa Ariſtotelica Philoſophia ab Eccleſiæ pulpitis exulauit, nihil de huiusmodi dogmatibus uel etiam purae naturae lenociniis in Latinorum Scriptis, Cypriano, Ambroſio, Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, usque ad ScholaſticorumSeculum audiatur. Simul atque uero ſeu per Pelagianos, quos tanquam ſimias Ari-*

ſtotelis dicteriis amarioribus Auguſtinus irridet, ſeu per Sobolem eorum Presbyteros Maſſilienſes, quorum peſtifer halitus, Scriptis adhæreſcens, ad poſteros propagatus eſt, ſeu multo magis per eos, qui Ariſtotelem in Eccleſiæ Scholis uelut normam doctrinæ naturalis ſectandum eſſe ſtatuerunt, minutiloquium rerum naturalium Chriſtianis admirationi fuit, naturæ uires, uirtus, beatitudo, quas a Philoſophis humani lapſus, & conditoris & beatoris, ignaris omnino naturalia illæſaque prædicari audiebant, commendari cœperunt. Carteſius captare quidem beneuolentiam a Theologorum ordine in Academia Pariſienſi uoluit, quam ob cauſam eidem Meditationes de Prima Philoſophia inſcripſit, ſummasque & inuidendas propemodum laudes, cum aliqua animi demiſſione impertitus eſt. Etſi uero aliquos forſan ſibi conciliarit, plurimorum tamen animos, a noua ſua Philoſophia alienos, offendit. In his erant Marinus Merſennus, et Antonius Arnaldus, qui ſuas dubitandi rationes modeſte, ut uiros doctos decebat, cum Carteſio communicarunt. Non ita modeſte erga Carteſium ſe gerebant alii, et nominatim Loiolitæ, qui Philoſopho multum faceſſiuere nego-

gotii, eiusque Philoſophiam tanto perſecuti ſunt odio, ut Honoratus Faber ab impacto ſe defendere Carteſianismo opus aliquando habuerit. Concitauit hos, aliosque in Carteſium non modo inueterata, ac omnium infixa animis Stagiritæ ueneratio, ſed & domeſtica, cuius habenda erat ratio, Theologia. Erant enim nonnulla ex Carteſii φιλοσοφήμασι ita comparata, ut illam facile euerterent. Fac, corporis naturam in extenſione conſiſtere, actum erit de μετουσίας dogmate, quod Concilium Tridentinum, ſub diro ἀναθέματος fulmine, credendum imperat. Qua de re ſuo iam tempore Antonius Arnaldus Carteſium monuit, qui tum nondum cum Carteſio faciebat. Dedit quidem is reſponſionem, eamque operoſe conquiſitam, ſed quæ, ipſo Poireto iudice, *uix ſine riſu ab intelligente lectore legi poteſt.* Ex recentioribus Pirotus agnouit, fieri per Carteſianae Philoſophiæ principia non poſſe, ut uera Liberatoris in Sacramento admittatur præſentia. Quare et poſt Carteſium ipſe Arnaldus, Maignanus, Rouhaltius, in concilianda hac ſententia cum domeſtica Theologia, ratione alia, non tamen

ſoli-

ſolidiore, deſudarunt. Mitto alia, quibus illa Philoſophia Theologiam uiſa eſt lædere, ab Huetio fuſius explicata. Vnde cum editam a ſe Philoſophiæ Carteſianæ Cenſuram Iac. Benigno Boſſueto, clam Carteſio fauenti, mitteret, reſpondit ille aliquantulum ſubiratus, uix poſſe ſe ferre æquo animo, ſcripſiſſe Huetium, probari ſibi Carteſianam doctrinam, quam officere fidei in ſcriptione ſua ipſe prædicauerit. Tantopere nomen Carteſianorum deprecabantur, cum a re ipſa haud abhorrerent. Scilicet plus ſimplice uice Academia, ipſeque Senatus Pariſienſis profeſſores philoſophia Carteſiana quam grauiſſime interdixerat. Autor etiam eſt Pirotus Abbas, in Epiſtola ad Peliſſonium A. cIↄIↄcXCI. perſcripta, & Miſcellaneis Leibnizianis inſerta, Summum ſacrorum apud Pariſienſes Præſulem tribus Profeſſoribus, iubente ſic Rege, mandaſſe, ut, miſſa Carteſiana, Ariſtotelicæ adhærerent philoſophiæ, ad quam excolendam per Academiæ Cenſuras, & Senatus Pariſienſis Decreta, obligati eſſent. Qualia occaſionem dederunt lepidum illum conficiendi libellum, qui inſcribitur, Senten-

tia

tia Curiæ Pariſienſis ab Ariſtoteleis contra quosdam Nouatores, qui ſequuntur Carteſium. Recte enim iudicat Io. Claubergius, *neminem tam obtuſæ naris fore, qui non olfaciat hoc nil quam meram in Ariſtotelicos Satyram eſſe.* Etenim hac ſententia, ut ſummatim eius argumentum exhibeam, *ratio ex Academiis & Scholis in perpetuum relegatur, ſeuereque & interdicitur, ne unquam ad illas redeat, mandaturque diſerte cordi, ut maneat ſemper omnium neruorum principium, nec amplius ita in circulum fluat, chylo autem, ut non amplius cor, ſed hepar ſolum intret, quamuis manifeſtisſima experientia reclamet, igni etiam ipſi iniungitur, ut poſtquam uiſitatione in ſumma regione aeris inſtituta, inuentum ſit, illum inde a ratione expulſum eſſe, redeat in iſtum locum, quem ei Ariſtoteles aſſignauit.* Eiusmodi plura quin afferre hanc in rem potuiſſet Launoius, nullus ego dubito. Vixit enim ad annum cIↄ Iↄc LXXVIII. & uiuendo ea attigit tempora, quibus controuerſiæ cum Carteſianis maxime agitabantur. Forſan tamen ſtudio ſe abſtinuit ab illis recenſendis, ne Mommorium, cui libellus inſcribebatur, offenderet, Carteſianam magni facientem Philoſophiam.

Debe-

Debemus igitur in hiſce acquieſcere, nobisq; in memoriam reuocare, argumenti hiſtorici libros nunquam ita edi poſſe perfectos, quin augmentis, acceſſionibusque fieri queant perfectiores. Quod, credo, omnes hiſtoriarum conditores, etiam Theopompus, quem, ut diligentis hiſtorici exemplum, Dionyſius Halicarnaſſeus ſiſtit, opus habent profiteri.

Quæ pariter cauſa eſt, quamobrem præmiſſum a me Schediaſma æquos ſibi polliceatur iudices. Enatum eſt multos inter labores, ac moleſtiſſimas occupationes, quibus me relaxare, nedum plene exoluere, haud potui. Neque mihi ea, quæ Launoio, obtigit felicitas, Academiarum, Scholarumque annales ut inſpicerem, qui in hoc argumenti genere facem inprimis præferre debent. Exurgat alius, maioribus inſtructus præſidiis, & argumentum, tractatione digniſſimum, fuſius, copioſiusque perſequatur. Rem, ſcio, orbi literato faciet gratiſſimam, multumque eorum iuuabit labores, qui in hiſtoriam philoſophicam incumbunt. Illi namque id ſibi operæ datum eſſe credunt, ut Sectæ cuiuslibet fata, uicisſitudinesque

ac

ac commutationes, incrementa & decrementa, iuſto ordine, quantum fieri poteſt, explicent.

Iſti operi par fuiſſet Io. Ionſius, ciuis meus, a magnis uiris, propter ſummam eruditionem, ſummo in pretio, ut omnino merebatur, habitus. Præſtitiſſet etiam omnium cum applauſu, ſi, quod meditabatur, de Hiſtoria Peripatetica, perficere potuiſſet opus. Pollebat Ionſius ingenio, ualebat iudicandi facultate, in lectione autorum, cum uetuſtiorum, tum recentiorum erat uerſatiſſimus, & laborum tandem in tam uaſto opere deuorandorum admodum patiens. Sed fata non permiſere uiro, ut plures una nobis daret diſſertationes, quæ inſcribitur *diſſertationum de Hiſtoria Peripatetica Prima partis primæ.* Prodiit A. cIↄ Iↄc LII. Auguſtæ Gambriuiorum, id eſt, Hamburgi, quod eo nomine, ſed perperam tamen, Lambecio iudice, a nonnullis appellatur. Fidem tamen elegantiſſimi, de Scriptoribus H. P. libri affatim nobis faciunt, in animo habuiſſe Ionſium, ad hæc ſtudiorum genera natum, factumque, ceptam aliquando telam pertexere, & ad finem perducere.

Di-

Digna interim, cum rarior ſit, mihi uiſa eſt, quæ, propter argumenti affinitatem, Launoio ſubiungeretur. Laudatur non modo a Morhoffio, ſed & paſſim ab ipſo Menagio in Obſeruationibus ad Laertium excitatur. Quod ad eius commendationem magnopere facit, cum plerumque Galli pro innata ſibi πατριομανίᾳ, Germani nominis ſint obtrectatores, & Germanorum ſcripta deſpiciant, proque nihilo putent. Componi cum hac diſſertatione meretur caput duodecimum libri primi de Scriptoribus H. P. in quo eius habentur Supplementa, & ad unum & uiginti uiros, Ariſtoteli ὁμονύμους, inque Diſſertatione recenſitos, undecim adiiciuntur. Inprimis id Ionſius habet peculiare, quod Peripatetici nomen a loco profluxiſſe contendat. Quod tamen a Georgio Hornio affirmatum pariter lego.

Ita B. L. uale, meisque conatibus faue, ac DEVM immortalem ſupplex mecum uenerare, ut philoſophiam ab inſultibus aduerſariorum protegat, ſed ſanam illam, quæ ſuos intra ſe continet limites, nec in Theologiæ Sanctioris μυστήρια temere inuolat. Iterum uale.

IO. HERMANNI AB ELSWICH

DE

VARIA ARISTOTELIS

IN

SCHOLIS PROTESTANTIVM

FORTVNA

SCHEDIASMA.

DE
VARIA ARISTOTELIS
IN
SCHOLIS PROTESTANTIVM
FORTVNA
SCHEDIASMA.

I.

SI quis unquam contrariis obnoxius, uexatusque fuit iudiciis, is certe Ariſtoteles fuit, Sectæ, quam dicunt, Peripateticæ conditor. Etenim iam eo tempore, quo in uiuis erat Philoſophus, inuenti ſunt, numero non pauci, quorum aliqui in optimam, alii in ſequiorem, de eius cum doctrina, tum moribus ſentiebant partem. Neque fieri aliter poterat, quin multorum is ſuſtinere debuerit inuidiam, qui de reliquorum, & ipſius adeo Platonis, a quo multis, magnisque affectus erat beneficiis, philoſophandi ratione nimium quantum detrahebat, neque in recitandis, confutandisque uetuſtiorum placitis, candorem, uiro dignum honeſto, ſemper et ubique præſtabat. Taceo, Ariſtotelem maiori & ingenio, & doctrina, præſidiisque

 aliis,

aliis, quæ ad Philoſophum requiruntur, inſtructum, regum, principumque uſum gratia, inque magna auditorum frequentia ſuam interpretatum eſſe philoſophiam. Quæ omnia ita ad unum erant comparata, ut odia, et quæ hæc inſequi ſolent, obtrectationes, addo et perſecutiones, præter meritum, Ariſtoteli conflare potuerint.

II.

Neque tamen, ut plerumque ſolet, poſt fata quieuit liuor. Odia, quæ reliquæ aduerſus illum conceperant ſectæ, etiam ad poſteros ſunt transmiſſa. Quibus effectum credo, ut peripatus ſi non deſierit penitus, in minori tamen, et fere nulla, exiſtimatiòne fuerit. Nam ſi a Theophraſto Ereſio, Stratone Lampſaceno, paucisque aliis, recedas, peripatetica obſcura fuerunt nomina. Quid? quod ne oſtendi quidem poſſit, quænam poſt Diodorum in peripato obtinuerit ſucceſſio. Ex quo uero ſcripta Ariſtotelis protracta ſunt in lucem, iisdemque emendandis, deſcribendis, ac interpretandis, Andronicus inprimis Rhodius diligentem nauauit operam, uiſa eſt philoſophia peripatetica ex ſqualore caput extollere, inque eorum, qui philoſophiæ erant cupidiſſimi, animos ſeſe inſinuare. Eam ob cauſam Romam ſunt profecti, quo L. Sulla ex Bibliotheca Apelliconis Philoſophi ſcripta tranſtulerat. Neque Graeci tantum, ſed & Romani Philoſophiæ iſtius amore accendebantur. Illi namque, lectis Philoſophi ſcriptis, quorum antea nulla ipſis fuerat copia, de eius ſententiis rectius nunc edocebantur,

tur, hi uero, quippe philoſophia nondum exculti, iſtud auide ſunt complexi, uehementerque admirati philoſophiæ genus, quod primum ſibi offerebatur. Et quamuis mox alii, ut ſunt hominum ingenia mutationi obnoxia, Platonica pariter, Stoica, Epicuræa, Pythagorica denique adamare ceperint placita, tamen nec defuere, qui Ariſtoteli adhærerent, eundemque ſummis, ac inuidendis propemodum laudibus extollerent. Hinc Romæ ſuas habebant ſcholas, quæ ſequiori, neque enim id diffiteor, ætate uarias habuere uiciſſitudines, prout Imperatores, uel bene, uel male in philoſophiam generatim, & ſigillatim, Peripateticam, erant affecti. Nam quos Antoninus Pius tanta proſecutus fuerat gratia, ut certis donaret ſtipendiis, hos Caracalla, Xiphilino teſte, tanto proſecutus eſt odio, ut omnibus, quibus Alexandriae fruebantur, immunitatibus exueret, omnesque, quotquot habere poterat, Ariſtotelis libros igne concremaret.

III.

Cum interea Religio, quæ Chriſto cepit autore, per orbem paſſim inualeſceret, eidemque ex Philoſophis non pauci ſua darent nomina, philoſophia pariter Peripatetica a Chriſtianiſmi Profeſſoribus eſt exculta. Non tamen Hobbeſio ſubſcribo, qui in Leuiath. cap. XLVII. contra omnem, ut puto, fidem hiſtoricam, non dubitauit affirmare, Philoſophiam Peripateticam, tempore exorti Chriſtianiſmi, in maximo fuiſſe honore, & ſectis, quæ cœtum turbarunt Chriſtia-

num, fere pleriſque ſuam dediſſe originem. Nam ſi dicendum quod res eſt, plerique in cœtu illo Doctores propenſiori in Platonicam, & Stoicam, quam Ariſtotelicam, fuerunt animo. Scio equidem, in aliam nuper conceſſiſſe ſententiam Baltum, qui libro, ſatis ſpiſſo, eodemque gallice perſcripto, adſtruere conatus eſt, Patres a Platoniſmo fuiſſe immunes. At enim omnia, quæ tam operoſe, ſolliciteque compilauit, id tantum euincunt, Patres non per omnia adſtipulatos eſſe Platoni. Quod utraque, ut aiunt, manu largior. Amabant illi ἐκλεκτικὴν philoſophandi rationem, quæ non permittit uni ſe addicere ſectæ, ſed iubet potius, ut ſingulæ deguſtentur, &, quod optimum eſt, cum iudicio eligatur. Teſtis eſſe poteſt Clemens Alexandrinus, (*) qui diſerte fatetur, Φιλοσοφίαν δὲ ȣ̓ τὴν Στωικὴν λέγω, ȣ̓δὲ τὴν Πλατωνικὴν ἢ τὴν Ἐπικȣρειόν τε καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων τȣτων καλῶς --- τȣ͂το σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν Φιλοσοφίαν Φημί. Nec aliter Origines, cui (**) ille demum in Philoſophia profeciſſe iudicatur, ὁ ἀπὸ τȣ͂ πλείονα ἐγνωκέναι ἐγγυμνασάμενος αὐτοῖς, καὶ τῷ κρατήσαντι προθόμενος λόγῳ. His ex Latinis ſubiungo Lactantium, qui (***) *Facile eſt*, inquit, *doce-*

(*) L. I. Strom. p. m. 288.
(**) L. III. contra Celſum p. 110.
(***) L. VII. 7.

docere pœne uniuerſam ueritatem per Philoſophos & ſectas eſſe diuiſam. Non enim ſic Philoſophiam nos euertimus --- ſed docemus, nullam ſectam fuiſſe tam deuiam, nec Philoſophorum quemquam tam inanem, qui non uiderit aliquid ex uero. Hæc tamen minime obſtant, quo minus Platoniſmorum optimi illi uiri arguantur. Nam quod hæc duo conſiſtere poſſint, eſſe ἐκλεκτικὸν, unaque cum Platone in nonnullis Philoſophiæ capitibus ſentire, uel ſuo nos Tullius docet exemplo, qui, ἐκλεκτικὸν agens, plus ſimplice uice, & ſigillatim de anima, πλατωνίζει. Atque ita cum Patribus res eſt comparata. Quod nemo, credo, inficiabitur, præterquam is, qui uel ſententiarum Platonicarum eſt ignarus, uel Patrum ſcripta, & libros nunquam cum cura, iuſtoque ſtudio, euoluit. Habebant uero ſuas rationes, quamobrem præ aliis Platonem ſint ſectati. Quas inter non ultima illa eſt, quod Platonem Iudæorum quondam familiaritate eſſe uſum, & ex illorum doctrinis plurima in ſuam tranſtuliſſe philoſophiam, ſibi perſuaderent. Hoc enim unanimi fere conſenſione creditum eſt Patribus, ſi a Cyrillo, & Lactantio recedas, qui diſerte quondam, applaudente ex recentioribus Io. Clerico, ſunt inficiati, Platonem apud Iudæos unquam fuiſſe. Quid multa? Clemens Alexandrinus Platonem τὸν ἐκ ἑβραίων φιλόσοφον appellauit. Et Ambroſius peculiari libro, quamuis cum inſigni παραχρονισμῷ, ex Ieremia, uate, cum in Ægypto uerſaretur, Platonem profeciſſe contendit. At-

que in hac ſententia eos confirmabant magis, magisque ſententiæ nonnullæ, modique loquendi, quos cum diuinioribus literis Plato & Platonici, ſaltim ſi uerba ſpectes, communes habere uidentur. Hinc non raro, & ſigillatim Clemens Alexandrinus, effata Platonis, uerbique diuinioris, inuicem contendebant. Quid? quod in libro ſapientiæ, quem Arnoldus falſo Canonicis, ut nominantur, ſcriptis accenſuit, non obſcura uidentur Platoniſmi ueſtigia. At hunc magni quondam eſſe habitum, publiceque pro concione recitatum, nemo eſt, qui ignorat. Non nego interim, ſumma opus eſſe cautione, Patrumque ſententias, qua totum ambitum, nexumque, quem inuicem habent, ponderandas. Sic apparebit, impactum Platoniſmum in *φράσει* potius, quam re ipſa, conſiſtere.

IV.

Sed tanti non fiebat Ariſtoteles, utut aliquando aliquid laudis in eum conferrent. Hunc enim ſententias fouere credebant, & tantum non perſuaſiſſimi erant, quibus ſanctiorum literarum autoritas, totaque religio chriſtiana euerti, iuxta ac conculcari, poterat. Eiusmodi inprimis ſunt, de æternitate mundi, de prouidentia, ultra lunam ſe non extendente, animaque morti obnoxia. Finge enim, mundum eſſe æternum, falſus omnino erit Moſes, qui tam ſollicite mundi nobis originem pandit, falſus erit Scripturæ codex, qui plus ſimplice uice, ad Moſen, tanquam uirum, a Deo afflatum, ſeſe recipit. Taceo alia

lia incommoda, quæ hæc de æternitate mundi ſententia chriſtianæ religioni parit. Finge, nullam eſſe *πρόνοιαν*, nec animam poſt obitum ſupereſſe, eccur Liberatorem complectimur, cur eius doctrinam ſanguine obſignamus, cur non potius uitiis, ſi id ita e re eſt, quam uirtutibus, multo labore conſtantibus, ſtudemus. Et quis non facile uidet, hac ratione omnem, de Liberatore, hiſtoriam in meras abire fabulas, cum certum ſit, egregium id prouidentiæ ſpecimen eſſe, quod humana ſe induerit natura, ut orbem ab erroribus ac impietate, quibus obnoxius erat, emendaret. Sunt, neque enim id diffiteor, qui Ariſtotelem nihil horum affirmaſſe contendunt. Mutius Panſa de his omnibus Ariſtotelem conformiter Chriſtianæ Philoſophiæ ſenſiſſe putat. At hanc ego diſputationem, quæ alibi conficienda eſt, non moror, nec meam nunc facio. Sufficit, cœtus chriſtiani Doctores, eosdemque ſummos, Athenagoram, puta, Clementem Alexandrinum, Euſebium, Lactantium, multosque alios, in ea fuiſſe opinione, has Ariſtotelis eſſe ſententias. Neque id, quod ſigillatim animæ immortalitatem concernit, inficiari audet Auguſtinus Oregius, in libro rariore, qui inſcribitur, Ariſtotelis uera de Rationalis Animæ immortalitate ſententia. (*) Id uero dilutum eſt, quando Patres, quibus Platonis philoſophia magis fuit accepta, tan-

(*) p. 122. editus autem eſt liber Romæ ex typographia Vaticana cIↄ Iↄc XXXIII.

ti haud feciſſe Ariſtotelem affirmat, *ut uellent ad eius ſcripta intelligenda tantam adhibere diligentiam, quanta fuiſſet ſatis, ut ex Ariſtotelis ſententia intellectus humani immortalitatem probatam cognoſcerent.* Patres namque non unum modo, alterumque, ſed omnes, quotquot habere poterant, Philoſophos euoluebant, ut haberent, quod uel oppugnarent, uel Philoſophis, qui Chriſtianorum irridebant religionem, opponerent. Præter has indulgebant Peripatetici quæſtionibus, inani potius ſubtilitate, quam utilitate, ſe commendantibus, inque ſtruendis σοφίσμασι multum collocabant operæ. Ab iſtis uero abhorrebant Chriſtiani, de uita, rite recteque, ad præſcriptum uerbi diuinioris, inſtituenda, quod monimenta in hunc usque diem loquuntur, inprimis ſolliciti. Neque ullum eſſe poteſt dubium, quin maiori in philoſophiam hanc accenſi ſint odio, cum uiderent, homines αἱρετικοὺς ad incruſtandos, palliandos, ac defendendos errores, ab alia, quam Peripatetica, non raro petitos, ſecta, Ariſtotelicas ſubtilitates, ac σοφίσματα, quibus ſoluendis impares erant, quam turpiter adhibere.

V.

Hoc tamen commouebat alios, ut ſibi pariter cognitam Philoſophiam Peripateticam facerent. Turpe namque erat in optima ſuccumbere cauſa, ſeque iuxta ac cauſam hoſtium exponere ludibrio. Hoc animo Ariſtoteli operam nauauit Didymus, cuius exemplum multi, perſpecta rei utilitate

tilitate, ſecuti ſunt. Zacharias Scholaſticus, Didymo forſan ætate par, ſi Barthium uelis ſequi, cui non longe a Porphyrio uixiſſe dicitur, Ariſtotelem τὰ παιδικὰ nominat, id eſt, Barthio interprete, *delicias*, quibus a puero ſit delectatus. (*) Sed nec deerant, qui, ulterius progreſſi, eandem theologiæ inferebant. Quod ex Latinis Boëtium, ex Græcis Iohannem Damaſcenum ſequioribus feciſſe temporibus conſtat. Bene tamen fuiſſet cum theologia actum, ſi modo intra limites, quos Boëtius & Damaſcenus ingreſſi erant, ſe continuiſſent. At enim ex quo Scholaſtici Philoſophiam Peripateticam ab Arabibus accepere, non ueriti ſunt Ariſtotelem cum Paulo contendere, & res theologicas ſubtilitatibus philoſophicis implicare, quid? maiorem philoſophiæ, quam theologiæ, rationem habere. Quibus effectum eſt rebus, ut uix umbra genuinæ theologiæ in ſcholis ſupereſſet, quippe quam ipſe Nicolaus de Clemangis pomis non abſimilem dixit Sodomiticis, quæ ſi a ſpecie, qua blandiuntur, recedas, nihil, quod habere debet pomum, continent.

VI.

Atque hoc male ſanum Philoſophiæ Peripateticæ ſtudium, ſi Trithemium ſequamur, cum Abelardo cepit. Inprimis tamen, me iudice, ab eo

(*) In Dialogo de Opificio Mundi contra philoſophos p. 164. Quem Dialogum, notis illuſtratum, Caſp. Barthius ſubjunxit Æneæ Gazæo.

eo tempore creuit, quando Albertus Magnus in illud incumbere cepit. Antea enim erat interdictum partim, partim certis limitibus, quod Ioannes Launoius docet, circumſcriptum. Paulus Langius in Chronico Citizenſi tradit, *Albertum fuiſſe in omni Philoſophia Peripatetica peritiſſimum, hinc & a plerisque ſimiam Ariſtotelis appellatum eſſe, & primum fuiſſe, qui ſapientiam humanam diuinis literis copulare auſus eſt; quique Dialecticam contentioſam, ſpinoſam & garrulam ſacratiſſimæ & puriſſimæ non pertimuit commiſcere Theologiæ.* De eodem Wernerus Roleuinck. *Quæ autem fuerit iſta ſapientia*, unde Magni conſecutus eſt nomen, *libri ſui*, Alberti, *oſtendunt: quandoquidem, ut reor, nemo ante eum potuit, quod ipſe Domino cooperante, & ſermonem confirmante, uidelicet concordare Philoſophiam cum Theologia.* Albertum ſecutus eſt Thomas de Aquino, quem ipſe Albertus philoſophiam edocuit, & Coloniæ cathedræ admouit. Vterque ſapientiæ, pietatisque laude, tunc erat clariſſimus, etſi diſcipulus maior haberetur præceptore. Ita enim Iacobus de Suſato: (*) *Duo magna luminaria ex ordine Prædicatorum mundo apparuere, ſcilicet luminare maius, id eſt, B. Thomas de Aquino, ut praeeſſet diei: & luminare minus, id eſt, Albertus Magnus, ut præeſſet nocti.* Hinc non eſt, quod miremur, inuentos mox eſſe alios, qui Ariſtotelis complecterentur philoſophiam.

(*) In Chronico de Rebus Ord. cap. VII.

am. Quis enim ignorat, quid exempla uirorum, in autoritate poſitorum, ualeant, & quantopere aliorum accendere animos poſſint, ut uel ex admiratione, uel æmulatione, eidem ſtudiorum generi nauent operam, ex quo illi, quos imitandos ſibi proponunt, tantam nominis gloriam ſunt adepti. Quare facile ſubſcribo Wernero Roleuinckio, *clangente*, hæc eius ſunt uerba, *Albertina tuba per orbem iunctus eſt omnis Iſrael ſibi & datis aſſiſtentes miſerunt manus in utramque ſcilicet Theologiam & Philoſophiam, ſeparantes pretioſum a uili, & optimam concordiam repererunt, quanquam non ſine periculo,& labore graui.* In quibus ultimis rem haud dixiſſe Roleuinckium, tot querelæ cordatiſſimorum uirorum loquuntur, miſeram Theologiæ faciem, quæ tum obtinuit, deplorantes. Neque dubium eſt, quin ingens acceſſerit cumulus ex miraculis, quæ de Alberto commemorant, aut potius fingunt. Exponam illa uerbis Vincentii Iuſtiniani, a quo pleraque mutuatus ſum teſtimonia, ex uita Alberti Magni Bibliis ſic dictis Mariæ præmiſſa. *Quod hebetiori*, ita ille (*) *eſſet ingenio, & condiſcipulis inferior, aſſumtam uiuendi rationem deſerere, & ad priſtinam reuerti diſpoſuerat; & nocte inſequenti admotis ſcalis, Cœnobium ingredi uidere ſibi uidebatur. Scalis conſcenſis quatuor præcellenti forma Matronas conſpexit, quæ a cœpto eum impedire paratæ erant. Cumque ſemel, iterum, ac tertio*

(*) p. 10. & 11.

tertio repulſus cauſam excutiendi Monaſtici habitus reddere cogeretur, hebetudinem ingenii cauſatus eſt, quem miſericordiæ Mater confirmans conſolata eſt, expetitamque Philoſophiam dempta ingenii ruditate, ab eadem promeruit obtinere; Alio tempore cum plurimum metueret, ne Philoſophorum opinionibus, ac ſophiſmatibus deciperetur; crebris eandem Dei Genetricem precibus interpellabat, ne a fide aberrare permitteret: cui eadem apparens uotis eius annuit: ſpoſponditque colluſtrandam ab eo fore Eccleſiam, & in fidei integritate moriturum.

VII.

Sic caput ubique efferebat Ariſtoteles. Hunc non in ſcholis modo, ſed & locis ſacris, quibus animi chriſtianæ præceptionibus religionis ſunt imbuendi, interpretabantur. Hunc pro Deo quodam Philoſophorum habebant, cuius omnia effata, uelut e tripode dicta, abſque ulteriori diſcuſſione, complectebantur. Neque maior quondam apud Pythagoræos Samii, quam apud hos Peripateticaſtros, qui potiſſimum ex riuulis ſapiebant, Stagiritæ erat autoritas. Hinc ſatius habebant nominaſſe in rerum ueritates Ariſtotelem. Vltra hunc nemo debebat ſapere, contra hunc nemo audebat hiſcere. Hinc uix ac ne uix quidem in illas ingrediebantur diſceptationes, num hoc illudue uerum, an falſum ſit. Sed de eo tantum diſpiciebant, quænam Ariſtotelis fuerit ſententia, & num cum eadem ſit conſentaneum. Surgebant quidem alii, qui hanc a cœ-

tu

tu Chriſtianorum labem depellere, eundemque a quæſtionibus, diſceptationibusque, ac rixis philoſophicis, omne pietatis ſtudium ſufflaminantibus, liberare ſunt annisi. At enim quam parum profecerint, numero, autoritate, potentia ab iſtis philoſophiæ peripateticæ inficetis amatoribus, ſuperati, euentus ſatis edocuit. Et ſi dicendum, quod res eſt, Scyllam uitaturi, in Charybdim incidebant, dum in locum philoſophiæ peripateticæ iſtud ſubſtituerent Theologiæ genus, quod Pſeudo-Dionyſius Areopagita ex lacunis Platonicorum hauſit, & ex eodem Io. Scotus Erigena, ex Græcia redux, in regiones, Orienti oppoſitas, primus, ni fallor, inuexit. Non quidem negandum eſt, Thomam de Aquino Myſticæ Theologiæ iuxta & Philoſophiæ fuiſſe cultorem. At reliqui non uidentur eo fuiſſe animo, haud dubie quod uerebantur, fore, ut, euecta in Thronum Theologia Myſtica, philoſophia non modo, quam tantopere deperibant, ſed & alia ſuperſtitionum genera, quibus Papatus ſtat, caditque, uileſcerent in dies, penitusque conculcarentur. Quod, liceat exemplum recentius illuſtrationis cauſa afferre, Quietiſmo tantum conflauit inuidiæ.

VIII.

Eiusmodi Theologiæ, iuxta ac Philoſophiæ erat facies, cum Lutherus, diuini uir ingenii, ſurgeret, quem ueræ religionis uindicem iure meritoque uenerantur Proteſtantes. Ipſe quidem non leuiter Philoſophia Peripatetica erat imbutus,

quam a Iodoco Iſenacenſi edoctus non primis ſaltim deguſtauerat labris, ut non pauci ex illis, qui in Ariſtotelem inuehuntur, faciunt, ſed ita cognitam ſibi perſpectamque fecerat, ut publice eandem in Academia Vitebergenſi profiteri potuerit, ubi Dialecticam, & Phyſicam Ariſtotelis enarrauit. Ita enim ferebant leges iſtius Academiæ, ut Ariſtotelem ſequerentur, quibus prouincia explicandi Philoſophiam demandata erat. Melanchthon in Sermone de Corrigendis Studiis, A. cIↃ IↃ XVIII. habito, & Libro Selectarum Declamationum illato (*) ita de Friderico, *Porro uobis adoleſcentibus ueſtram gratulor fœlicitatem, quibus benignitate optimi ac ſapientiſſimi Principis noſtri Friderici, Ducis Saxoniæ, Electoris, contigit longe ſaluberrimis erudiri: fontes ipſos artium ex optimis authoribus hauritis. Hic natiuum ac ſyncerum Ariſtotelem — docet.* Idem tamen Fridericus, cuius auſpiciis illa condita erat Academia, ſuis ſumptibus imprimi curauit *Petri Tattareti in doctrina Scoti ſuper Ariſtotele, & Petro Hiſpano Commentationes.* Liber maioris eſt ordinis, & complectitur *Expoſitionem Magiſtri Petri Tattareti ſuper ſummulas Petri Hiſpani cum allegationibus paſſuum Scoti Doctoris ſubtiliſſimi.* Hanc excipit *Expoſitio Magiſtri Petri Tattareti ſuper textu Logices Ariſtotelis cum allegationibus paſſuum Scoti Doctoris ſubtiliſſimi.* Sequi-

(*) p. 96. Prodiit autem ille Liber Declamat. A. cIↃ IↃ XLI.

Sequitur *Clariſſima ſingularisque totius philoſophiæ nec non Metaphyſicæ Ariſtotelis Magiſtri Petri Tattareti expoſitio ac paſſuum Scoti allegatio*, cui Martinus Mellerſtadt Pollichius, ita nomen expreſſit, allocutionem præmiſit ad Fredericum, Saxoniæ Ducem, in qua mirifice Principem laudat, ipſum opus commendat, ſimulque oſtendit, cuius induſtria in excudendo illo opere Princeps uti uoluit. Iuuat huc quædam tranſcribere: *Tu Princeps ſapientiſſime non philoſophiam ipſam ſolum, ſed & eiusdem amatores tua liberalitate amplecteris, foues, proſequeris. Quid enim per Deos immortales te tanto Principe humanius quidue liberalius. Qui nuper in Academiam Albiorenſem tuo feliciſſimo auſpicio erectam uocaſti doctiores quosque etiam ab externis nationibus. Nunc uero iuſte cogitans illorum theſauros libertates & libros Tattaretum Doctoris ſubtilis gloſſemmatarium haud ignobilem calcotypis notulis imprimi feciſti. In quo & famæ tuæ & tuorum eruditioni ſatisſuperque humanæ conſuluiſti. Ex eo etenim uolumine tanquam acutioris Dialectices itemque penitioris philoſophiæ promptuario non pauciores docti Scholaſtici, quam equo Troiano milites proſilient. Atque eo facilius, quo ſerenitas tua ad hoc delegauerit, atque ſubordinauerit uenerandum patrem Sigiſmundum Appium Auguſtinianum, ut ad ea, quæ indiſcriminatim atque tumultuatim poſita limam ſuam accuratiſſimam adhibeat, atque ad uerum & uiuum fontem, unde fluxerant, reducat, cuiusque & locum & originem indicaturus.* In

 fine

fine totius operis, pro more ſeculi iſtius, hæc leguntur, *Commentationum Tattareti uiri præclari in doctrina Scoti ſuper Ariſtotele & Petro hyſpano finis impreſſarum Albiori in Academia noua: mandato & expenſis illuſtriſſimi Principis & sereniſſimi Domini, Domini Federici Ducis Saſſonie Sacri Romani Imperii Archimarſcalci & Principis Electoris Lantgrauii Thuringie & Marchionis Miſne: per Baccalarium Wolfgangum Stöckel Monacenſem Anno ſalutis quarto ſupra Milleſimum quingenteſimum. Sexto calendas Septembris. Reg. diuo Maximiliano Romanorum Rege.* Sic igitur Lutherus fecit, quod leges iſtius Academiæ poſtulabant, cui ſuam addixerat operam. Sed mox tædium huius illum cepit philoſophiæ, diuiniorum lectioni literarum, & D. Auguſtini, quem unum reliquis facile anteferebat Patribus, ſumma cura, ſtudioque intentum. Tantum uero aberat, ut hoc diſſimularet, ut potius cum literis, ad amicos datis, tum publicis diſputationibus palam profiteretur. Longum foret omnia, quæ huc pertinent, deſcribere loca, quæ ab aliis paſſim ſunt notata, utut non æquo ſemper, ſiue in Ariſtotelem, ſiue in Lutherum ipſum animo.

IX.

Pauca ut rei ſua conſtet ueritas, dabo. Iam anno cIↃ IↃ XVI. Iodoco Iſenacenſi per Epiſtolam multas dubitandi rationes contra Ariſtotelem & Porphyrium mouit. Cuius uero illæ tenoris fuerint, non liquet, cum ipſa, quod dolen-

lendum eſt, epiſtola interciderit. Supereſt tamen illa ad Ioannem Langium eodem tempore die VIII. Februarii data, cui epiſtolam Iodoco exhibendam, commendauerat. In qua, ut Tomo I. Epiſtolarum (*) habetur, ita: *Mitto has literas, mi Pater, ad eximium D. Iodocum Iſennacenſem, plenas quæſtionum aduerſus Logicam & Philoſophiam & Theologiam, id eſt, Blaſphemiarum & maledictionum contra Ariſtotelem, Porphirium, Sententiarios, perdita ſcilicet ſtudia noſtri ſeculi. Sic enim interpretabuntur, quibus decretum eſt, non quinquennio cum Pythagoricis, ſed perpetuo & in æternum cum mortuis ſilentium tenere, omnia credere, ſemper auſcultare, nec unquam ſaltem leui præludio, contra Ariſtotelem & ſententias uelitari, & muſſitare. Quid enim non credant, qui Ariſtoteli crediderunt, uera eſſe, quæ ipſe calumnioſiſſimus calumniator aliis affingit & imponit tam abſurda, ut Aſinus & Lapis non poſſint tacere ad illa? Tu ergo fac, ut diligenter porrigas eidem optimo uiro; tum officioſe cures olfacere, quidnam iudicii de me ipſe uel alii omnes ſuper hac re fecerint, ac mihi ſignificare. Nihil ita ardet animus, quam Hiſtrionem illum, qui tam uere græca larua Eccleſiam luſit, multis reuelare, ignominiamque eius cunctis oſtendere, ſi ocium eſſet. Habeo in manibus Commentariolos in primum Phyſicorum: quibus fabulam Ariſtæi denuo agere ſtatui, in meum iſtum Prothea, illuſorem uafer-*

(*) pag. 10.

uaferrimum ingeniorum, ita ut niſi caro fuiſſet Ariſtoteles, uere Diabolum eum fuiſſe non puderet aſſerere. Pars crucis meæ uel maxima eſt, quod uidere cogor, Fratrum optima ingenia bonis ſtudiis nata, in iſtis ſcenis uitam agere & operam perdere: Nec ceſſant Vniuerſitates, bonos libros cremare & damnare, rurſum malos dictare, imo ſomniare. Anno cIↃ IↃ XVII. d. IV. Septembris, non autem ſub finem anni, ut contra Seckendorffium Tenzelius oſtendit, Diſſertationem, Luthero Præſide M. Franciſcus Guntherus, Northuſienſis, habuit, T. I. Ien. Lat. (*), illatam, in qua ita de Ariſtotele Lutherus. *Tota fere Ariſtotelis Ethica, peſſima eſt gratiæ inimica. Error eſt, Ariſtotelis ſententiam de felicitate non repugnare doctrinæ Catholicæ. Error eſt dicere, ſine Ariſtotele non fit Theologus. Imo Theologus non fit, niſi id fiat ſine Ariſtotele. Nulla forma Syllogiſtica tenet in terminis diuinis. Non tamen ideo ſequitur, ueritatem articuli trinitatis repugnare formis ſyllogiſticis. Si forma ſyllogiſtica tenet in diuinis, articulus trinitatis erit ſcitus & non creditus. Breuiter, Totus Ariſtoteles ad Theologiam, eſt tenebræ ad lucem. Bonum erat Eccleſiæ, ſi Theologis natus non fuiſſet Porphyrius cum ſuis uniuerſalibus. Vſitatiores definitiones Ariſtotelis uidentur petere principium.* Hanc diſſertationem Langio transmiſit (**) quam Erfurten-

(*) pag. 8.
(**) Vid. Epiſt. 30. T. 1. Epiſt.

furtenſibus, Ariſtoteli uehementer addictis, approbatum iri ſibi neutiquam promittebat. Nec fefellit Lutherum opinio, de Erfurtenſibus concepta. Inprimis grauiter hac ſua diſputatione offendit Iodocum Iſenacenſem, ſuum quondam Præceptorem, Theologum, & Philoſophum, ut Luthero nominatur, primum. Is namque tantopere de iſta indignatus eſt diſputatione, ut nec Luthero, Erfurti eius pulſanti ædes, ſui facere copiam uoluerit. His tamen nihil commouebatur Lutherus, ſed, cauſæ fretus bonitate, in literis ad Iodocum MDXIIX. exaratis, in ſententia, publice, priuatimque, propoſita, perſiſtebat immotus. *Vt me*, hæc eius ſunt uerba (*) *etiam reſoluam, ego ſimpliciter credo, quod impoſſibile ſit Eccleſiam reformari: niſi funditus Canones, Decretales, Scholaſtica Theologia, Philoſophia, Logica ut nunc habentur, eradicentur, & alia inſtituantur.* Hæc ſcripſerat Lutherus Erfurti, ubi tum hærebat, ex Heidelbergenſi Diſputatione redux. Heidelbergæ namque ad diſputandum propoſuerat Paradoxa XXVIII. & XII. Poſitiones Philoſophicas, Ariſtoteli inprimis oppoſitas, & T. I. Ienenſi inſertas. Acceſſere declarationes, non quidem ab ipſo Luthero, ſed, quæ Tenzelii eſt ſententia, a Michaele Stifelio datas, quas in ſupplemento Buddeano habemus (**) Notatu tamen digna ſunt uerba, quæ ipſe Lutherus

 ſua

(*) T. I. Epiſt. pag. 59.
(**) pag. 297.

ſua manu Poſitionibus & Declarationibus ſubiunxit, & ex Codice MSS. Bibliothecæ Zittauienſis Vir, in hiſtoria Lutheri uerſatiſſimus, deque Luthero, ac emendata per eundem doctrina, meritiſſimus D. Gottlieb Wernsdorffius, in eleganti, qua Progreſſum emendatæ per Lutherum religionis perſequitur, Diſſertatione, non ita pridem (*) adduxit. *Hæ concluſiones*, ita ſe habent, *ſunt a me ideo tractatæ ac diſputatæ, ut oſtenderem, primo, quam longe, lateque ab Ariſtotelis ſententia aberrarint omnium Scholarum Sophiſtæ, ac plane ſua ſomnia in Ariſtotelis non intellecti libros inuexerint. Vnde & ſi quam maxime ſenſum eius teneamus, (quemadmodum hic tradidi) tamen prorſus nihil adiumenti ex ipſo haberi poſſet, non ſolum ad Theologiam, ſeu ſacras literas, uerum etiam ad ipſam naturalem Philoſophiam. Quid enim iuuet ad rerum cognitionem, ſi de materia, forma, motu, finito, tempore, nugari, & cauillari queas uerbis, ab Ariſtotele conceptis, & præſcriptis.* Iam ante Dreſdæ in conuiuio, ad quod ab Emſero inuitabatur, non diſſimulauerat, minus ſibi Ariſtotelem, & Thomam placere. De qua diſputatione ipſe exponit in Epiſtola ad Georgium Spalatinum, (**) *Diſputatio*, inquiens, *erat ſuper* Ariſtotelis & *Thomæ nugis: oſtendi ego nec Thomam, nec omnes Thomiſtas ſimul, uel unum in Ariſtotele intellexiſſe capitulum.* Ad eundem Spalatinum eodem anno, *adeo*, ſcribebat, *exulauit*

(*) pag. 20. (**) T. I. Epiſt. p. 45.

uit Chriſtus lux uera hominum: & regnauit Ariſtoteles caligo hominum, & quidem teterrima. (*) Quid? quod Ariſtotelem plane ab Academia relegari uellet. Quod ex epiſtola ad Spalatinum, cum quo creberrimum habebat literarum commercium, A. C. cIↃ IↃ XIX. data, non obſcurum eſſe poterit. (**)

X.

Ita tum in Ariſtotelem affectus erat, cuius, ut ex teſtimoniis, hactenus allatis, apparet, & Logicam, & Ethicam & Phyſicam improbauit. Luthero adſtipulabantur alii, & Ariſtotelem, tricasque, quibus Scholaſtici infecerant Theologiam, perquam acerrime explodebant. Scribebat iam A. cIↃ IↃ XVI. ad Io. Langium Lutherus, *Theologia noſtra & S. Auguſtinus proſpere procedunt & regnant in noſtra Vniuerſitate, Deo operante: Ariſtoteles deſcendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram ſempiternam: mire faſtidiuntur lectiones ſententiariæ: nec eſt ut quis ſibi auditores ſperare poſſit, niſi Theologiam hanc, id eſt, Biblicam, aut S. Auguſtinum aliumue Eccleſiaſticæ authoritatis doctorem uelit profiteri.* Eidem Langio in Epiſtola A. cIↃ IↃ XVIII. quæ eſt in Tomo primo XLII. commemorat, *ſtudentes mire eſſe pertæſos ſophiſtici antiqui ſtudii, cupidiſſimos uero ſacræ Bibliæ.* Et paullo poſt, *ceterum*, inquit, *ſtudium noſtrum ea proficit ſpe, ut futurum eſſe*

(*) ib. Ep. LXXI. p. 103. b. (**) ib. Epiſt. C. p. 155.

propediem expectemus, nos habere lectiones utriusque, imo triplicis linguæ, Plinii, Mathematicorum, Quintiliani, & nonnullas alias optimas, reiectis ineptis illis Petri Hiſpani, Tattareti, Ariſtotelis lectionibus. Cum Luthero fecit Melanchthon. Is quidem magni quondam Ariſtotelem æſtimauerat. Teſtimonium, idemque luculentum, Sermo præbet, quem de Corrigendis Adoleſcentiæ Studiis A. cIↄ Iↄ XVIII. habuit, & Othoni Beckmanno ICto Vitebergenſi inſcripſit. In illo diſerte fatetur, *plurimum ualent Ariſtotelis Moralia.* Laudat etiam Fridericum Pr. El. quod aliquem conſtituerit, qui *natiuum ac ſyncerum Ariſtotelem interpretaretur.* At in Locis communibus, ſiue Hypotypoſibus Theologicis, multa leguntur, quæ de alieno ab Ariſtotele animo teſtari poſſunt. Afferam ſaltim quædam ex prima editione, Vitebergæ A. cIↄ Iↄ XXI. formis exſcripta, quandoquidem in recentioribus non pauca mutauit. (*) *Quod ad argumenti ſummam attinet, indicantur hic Chriſtianæ diſciplinæ præcipui loci, ut intelligat iuuentus, & quæ ſint in ſcripturis potiſſimum requirenda, & quam fœde hallucinati ſint ubique in re theologica qui nobis pro Chriſti doctrina Ariſtotelicas argutias prodidere.* (**) *Quæſo te, quid adſecuti ſunt iam tot ſeculis ſcholaſtici Theologiſtæ cum in his locis ſolis uerſentur? Nonne in diſceptationibus ſuis, ut ille ait, uani facti ſunt, dum tota uita nugantur*

(*) A. II. a. (**) A. IIII. a.

gantur de uniuerſalibus, formalitatibus, connatis, & neſcio quibus aliis inanibus uocabulis. (*) *Et in hoc quidem loco, cum prorſus Chriſtiana doctrina a philoſophia, & humana ratione diſſentiat, tamen ſenſim irrepſit philoſophia in Chriſtianiſmum, & receptum eſt impium de libero arbitrio dogma.* Et paullo poſt. *Nam perinde atque his poſterioribus Eccleſiæ temporibus Ariſtotelem pro Chriſto ſumus complexi, ita ſtatim poſt Eccleſiæ auſpicia per Platonicam Philoſophiam Chriſtiana doctrina labefactata eſt.* (**) *Ariſtotelis doctrina eſt in uniuerſum quædam libido rixandi, ut eum in parænetica philoſophiæ ſcriptoribus ne poſtremo quidem loco numerare conueniat.* (***) *Id ut conueniat cum Ariſtotelis Philoſophia non laboro. Quid enim ad me quid ſenſerit ille rixator?* Hæc, & ſexcenta alia, quæ lubens prætereo, Melanchthon in ſuis Hypotheſibus. Nec mitius ſentit de Ariſtotelica philoſophia in oratione, egregia quidem, ſed rariore, quam ſub Didymi Fauentini nomine, aduerſus Thomam Placentinum, edidit: Melanchthoni iungo Io. Bugenhagium, qui in Comment. in Pſ. XXIII. (****) *Quid commemorem noſtrorum Theologorum Ariſtotelicas nugas de Iride, contra manifeſtam in Scriptura Dei ueritatem.* Et Pſ. CVI. (*****) grauiter conqueritur de commixtione Theologiæ & philoſophiæ. *Cœpit*, inquit, *enim eccleſia deficere, ubi paſtus*

(*) A. V. b. (**) C. a. (***) E. b.
(****) p. 135. (*****) pag. 601.

uerbi Dei cœpit deficere, ubi licet multa prædicata ſint, diſputata, ſcripta, non tamen merum Dei uerbum, ſed immixta eſt zizania, animalis illa & mundi ſapientia, philoſophia, quæ admiſſa ſemel confirmauit, quod Apoſtoli Chriſti maxime damnauerunt, nempe doctrinam pſeudapoſtolorum quæ docet ex operibus legis iuſtificari contra Euangelium gloriæ magni Dei, quod eſt uere negare Chriſtum eſſe filium Dei & mortuum fuiſſe reſurrexiſſeque pro nobis. Et tamen iactatum eſt admixtione philoſophiæ decorari rem Chriſtianam, ſed fructus iam ſero prodidit arborem. Illic cœperunt omnia furere ſectis, contentionibus, deinde humanis conſtitutionibus, ſed leuiter primum (quemadmodum ſolet dæmonium meridianum) donec omnia repleta ſint ſuperſtitionibus et doctrinis humanis extincta fide & charitate, & miſere uexatæ conſcientiæ hominum, & erectæ impietates. Inprimis commemorandus eſt Dolitius Veltkirchenſis, qui eo infenſior factus eſt Ariſtoteli, quo addictior aliquando fuerat. Iuuat hoc enarrare, ipſius Dolitii uerbis, quæ in fine fere libelli, in quo pro Luthero contra Louanienſes, & Colonienſes propugnat, habentur. *Egi iam Vitebergæ, ſupra quindecim annos, atque in iis, amplius quam duodecim, Phyſica Ariſtotelis publice docui, non tantum in ſecta Thomæ, ſed & maxima parte in ſecta Scoti. Ibi quicunque libri, pro utriuſque ſecta, uel confirmanda, uel refutanda, ab acutis philoſophis, et iis fere cucullatis, ſed male feriatis, prodierunt, eos mihi coëmi. Ex quibus longo uſu cum didi-*

didiciſſem, ad diſceptationem pro gloriola captanda, plus Scotica, (utpote intricatiora, impeditiora, obſcuriora, callidiora, & ut ſemel dicam, propter inauditos ante eam ſectam modos loquendi, ad illaqueandum pedicis & tricis, uel auditorem, uel aduerſarium multo inſtructiſſima) ualere, eis me addixi, ita, ut quæ ab aliis contradicebantur, omnia diluere conarer, non in philoſophicis tantum ſtudiis, ſed etiam theologicis, idque inter noſtræ academiæ homines (nam nec Philoſophos nec Theologos quales tunc erant, audeo dicere) omnium pertinaciſſime. Hic, cum ad Spinoſæ artis nugalia, ut Vlyſſis ſocii ad Syrenios ſcopulos fere conſenuiſſem, peruenit ad nos, ſed non ſine Numine diuum, Martinus Lutherus, qui tametſi iisdem nugis a puero inſtitutus fuit, ac ſupra æquales ſuos inſigniter promouit, neſcio tamen quo pacto, pueriles, uanæ, rixoſæ, & ſeditioſæ diſceptationes in Philoſophia, ſed magis in Theologia ei diſplicuerunt, adeo, ut primum clam, deinde palam, glorioſis aliquot Philoſophiæ ac Theologiæ concertatoribus, cœperit eſſe grauis & odioſus. Non tamen inuidiæ ceſſit, ſed quanto magis hominum conſpiratione premebatur, tanto magis diuina gratia erigebatur. Ea enim eſt Dei in ſuis actionibus incomprehenſibilis adminiſtratio, ut quæ homines degrauant, ipſe pro ſua inæſtimabili uirtute ſubleuet; & contra, quæ homines tollunt, ipſe deprimat. Ibi, poſtquam annis aliquot in ſtudio Philoſophico rectius tractando, nihil aliud promoueret, quam ut id cœperit eſſe in minori pretio, quod

quos-

quoſdam in eum tunc exaſperauit, grauiori opera tentauit, ſacram philoſophiam, ut in qua de ſalute animæ ageretur pro Dei benignitate inſtaurare, atque ad iudicium & fontem reuocare. Quod ei præter ſpem tam feliciter ceſſit, (licet non defuerint, qui manibus, pedibus, in quibus & ego fui, ut non primus, ita nec ultimus, repugnarent) ut non ſolum Theologiam, quod tunc ſpectauit, pro ſua uirili reſtituerit, ſed etiam plane oſtenderit, Philoſophiæ, quamlibet ſanctæ, præſertim ut nunc uulgo in ſcholis tractaretur, cum ſanctis literis nihil conuenire. Vnde, cum in Theologia diſputatione, quorundam autoritatem ſubinde eleuaret, quod aut meri eſſent Sophiſtæ, aut ita humanam Philoſophiam cum diuina miſcuiſſent, ut magis obeſſent, quam prodeſſent, tandem perfecit, ut primum unus & alter, deinde plures, a ſcholaſticis doctoribus ad eccleſiaſticos & ab illis ad biblicos libros, quaſi per gradus, deficerent. Ita tamen, ut primum eccleſiaſticos omnes in omnibus legerent ac ſequerentur. Quod cum ſæpe admonuiſſet, non eſſe faciendum, uix tamen obtinuit, ut omnium hominum dicta ad ſacram ſcripturam exigerent. Cui, ut quisque ex ſanctis patribus propius uideretur accedere, ita in maiori habendum pretio. Quod conſilium eius, cum Principes aliquot in Philoſophia & Theologia fieri ſequerentur, Eraſmi eloquentia, quaſi tuba animati, ego omnium nouiſſime (tam obſtinatus fui in ueterato ſtudio) de miſericordia apprehendi. Tantæ molis erat, ueteratos ponere mores. Nam cum adoleſcentia &

iuuen-

iuuentute, ut quæ nondum fuit humanis commentatis tam corrupta, minus ei fuit negotio. Facile enim illa, quo ducta fuit, ſequebatur, tanta ſane copia, tanto ſucceſſu, ut admodum paucos tam claro, quam obſcuro loco natos, in hoc toto literatorio Gymnaſio ſit inuenire, qui non pluris faciant diuinas quam humanas quascunque literas, qui non magis ſe oblectent bibliacis, quam quorumcunque hominum libris. Sed nec omittendus eſt Caroloſtadius, qui tamen paullo poſt Fanaticiſmo correptus, non modo Ariſtoteli, ſed omnibus ſcientiis, artibusque liberalioribus bellum indixit, ac, ut idem facerent, aliis autor, ſuaſorque exſtitit. Ita enim fert indoles Fanaticiſmi, quem bonis literis interitum minitari, nemo negauerit, præterquam is, qui iſtam Fanaticismi indolem non ſatis habet perſpectam. Nonne Gabriel Didymus pro concione hortatus eſt parentes, ut ex Scholis auocarent liberos. Nonne Georgius Mohre Lyceum Wittebergenſe clauſit, & mira quadam μεταμορφώσει in tabernam mutauit piſtoriam. Nonne Philippus Stumphius, a Caroloſtadio ſeductus, Muſis uale fecit. Anabaptiſtæ Monaſterienſes, eodem agitati ſpiritu, omnem librorum ſuppellectilem, quam ex tota ciuitate cumulauerant, Wigando (*) teſte, igne concremarunt. Hetzerus libello Germanico *omnem philoſophiam, & literas tam Græcas, quam Latinas explodere* conatus eſt, cuius ſummam Io. Gaſtius

(*) In Anab. p. 337.

Gaſtius Briſacenſis exhibuit. (*) Iam ante, quam in Fanaticiſmum prolapſus eſt, auerſo fuit a philoſophia animo Andreas. Quæſiuerat aliquando ex eodem G. Spalatinus, quibus in locis Logica Theologiæ ſit neceſſaria, cui in Epiſtola A. MDXVIII. perſcripta, & a Io. Gottfr. Oleario in Scrinio Antiquario (**) conſeruata, ita reſpondet. *Tibi reſpondeo: in nullo locorum, quia Chriſtus non indiget figmentis humanis. Hominum ſcientia & ſapientia huius mundi eſt apud Deum ſtulticia, & expolianda eſt anima philoſophicis præſtigiis, quæ Chriſtum uidere uult. Dicit enim Apoſtolus: Curate, ne quis uos deprædetur per inanem fallaciam. Et ſapiens ait: Odibilis eſt Deo omnis Sophiſta. Propterea exiſtimo Dialecticam non eſſe neceſſariam Theologiæ.* Sed egregie hunc ſui contemtum uindicauit Dialectica tum, quando in certamen deſcendebat Caroloſtadius. Vnde ipſe etiam Zuinglius id de eodem tulit iudicii, ab Hoornbeckio (***) commemorati, *idem ei accidiſſe, quod tyroni, cui arma quidem ad pugnandum non deeſſent, ſed armorum peritia.*

XI.

Cauſa, quamobrem Lutherus, Fanaticos non moror, auerſo ab Ariſtotele fuerit animo, non una, quantum coniicere poſſumus, fuit. Rapini

(*) De Catabapt. Error. L. I. p. 318. (**) p. 14.
(***) In S. C. p. m. 54. & 815.

uillationem non moramur, qui (*) Lutherum, anchthonem, Bucerum, Caluinum, Poſtellum, lum Sarpium eo potiſſimum nomine tam grar inuectos eſſe in Ariſtotelem ſcribit, propterquod beneficio ſolidioris, quam Ariſtoteles ɛiuit, methodi falſæ deſtrui rationes poſſunt, as in errorum ſuorum patrocinium, & ueritar euerſionem homines afferunt αἱρετικοί. O antum igitur commiſere crimen tot Pontifices, i edictis, decretisque ſanciuerunt, ne in ſcholis ælegeretur Ariſtoteles. Siccine illi cœtum um inſigni priuarunt commodo, quod ex Ariſtotele habere poterat, ſi quando inſultus αἱρετικῶν pateretur. Quod, num ex ignorantia, an imprudentia, malitiam uix audeo adiungere, ſit factum, ipſe iudicet Rapinus. Non enim hic mihi ſumo iudicium. Lutherus eiusque aſſeclæ, nunquam deprecati ſunt diſputationem, iuſtis legibus inſtituendam, ſed cum uiris, in arte diſceptandi peritiſſimis, ore iuxta ſcriptisque, de doctrinæ ſuæ capitibus, contenderunt. Cum uero hi σοφίσμασι tantum indulgerent, & Ἀριστοτελικῶς magis, quam ἀποστολικῶς inter diſputandum ſeſe gererent, fieri aliter non potuit, quin Philoſophiæ Ariſtotelicæ, in quam iam ante non ita bene erant affecti, magis magisque Luthero, eiusque aſſeclis, exoſa fieret. Cepit enim Lutherus iam tum minoris facere Ariſtotelem, cum primum diuiniores literas, quas, pro more ſeculi, uix degu-

(*) La Comparat. de Plat. & Ariſt. p. 412.

deguſtauerat, mente manuque ſolerti euolueret. Quarum dulcedine mox ita captus eſt; ut omnibus ad unum, quæ Scripturas haud ſapiebant, faſtidiret. Crebra hæc Scripturarum tractatio nouum contrahebat faſtidium. Facile enim intelligebat Lutherus, uitam hominis Chriſtiani ipſam quaſi actionem eſſe debere, quam tantum aberat, ut ſpeculationes Ariſtotelicæ promouerent, ut potius etiam atque etiam ſufflaminarent. Hinc Taulerum, Theologiam Teutonicam, & myſticorum libros in honore habebat, et uaſtiſſimis Scholaſticorum uoluminibus, ſpeculationibus eiusmodi ad nauſeam usque repletis, multis modis præferebat. Accedebat, Ariſtotelem nimium tribuiſſe uiribus humanis, uirtutesque in mediocritate poſuiſſe. Quorum hoc ſtudio pietatis erat detrimento, illud Pelagianiſmo patrocinabatur, gratiæque diuinioris, qua homo, in uiam reducendus, ualde indiget, neceſſitatem eleuabat. Ab his monſtris, quæ, ſparſis ab Ariſtotele ſeminibus, excluſerant Scholaſtici, cœtum diuiniorem liberare uolebat Lutherus. Quare non eſt, quod miremur, ſi quid durius in Ariſtotelem, a cuius autoritate pendebant Scholaſtici, diſſimulare neſcius, pronunciarit.

XII.

Atque ex his luculenter elucet, quænam ſub initium repurgatæ a Luthero religionis, inter Proteſtantes, liceat hac προλήψει uti, Ariſtotelis fuerit fortuna. Tenuis omnino fuit, & propemodum nulla. Eiecti aliquando ſunt ex tem-

plis

plis Monachi, propterea, quod Ariſtotelem aliquando ſacerdos, pro concione, ex ſacro umbone, laudauerat. Factum hoc eſt Brunſuigæ, quod et Gasmerus in Orat. de Vita Lampadii fuſius perſequitur. *Habuit Henricus Lampadius per hyemem ab anno 26. usque ad Feſtum Paſchatos anni 27. collegam, Ioannem Grouium, bonum quidem hominem ſed ſimplicem & Pontificium. Is cum in habendis concionibus infelicior eſſet, ſubindeque ex Ariſtotele, Platone et aliis profanis Scriptoribus compilata in ſuggeſtum afferret: Lampadius uero ſummo ſtudio Scripturæ textum inculcaret: diſſonantia quædam inter duos collegas deprehenſa eſt. Cumque Lampadii conciones populo magis probarentur, præcipui aliquot ciues eius parochiæ, inter quos Autor Sanderus anteſignanus fuit, ab ampliſſimo Senatu ſubmiſſe contenderunt, ut cum Ioanne Grouio per Paſtorem ageretur, quo ſuas Lampadii concionibus nil niſi uerbum Dei redolentibus adtemperaret, & Ariſtotelem, Auicennam, Iſidorum, & neſcio quæ alia excitata Numina ab Eccleſiæ limitibus procul remoueret. Agitur cum Ioanne Grouio, qui emendationem pollicetur. Cum igitur in die Paſchatos ſancta, Miſſæ, ut uocant, concio Grouio habenda eſſet, illeque ſibi ipſi diffideret, putaret autem concioni pomeridianæ familiam ſolummodo interfuturam, coram qua uidebatur animo præſentiore concionaturus, cum collega horam docendi permutat. Videntes itaque auditores, ſibi Grouium non deſtinata hora comparere, quod ſibi metuerat, hora 12. pomeri-*

 diana

diana ſolito frequentiores confluxerunt. Ille uel more ſuo uel quod aliam docendi rationem ignorabat, ter præmiſſo themate ut uocabant Latine & Germanice. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, explicationem ſuam hunc in modum exorditur: Sic dicit Ariſtoteles (*) *Id indigne ferens ſutor quidam Ioannes Beccerus nugatoriarum rerum minus ſtudioſus una cum uicino Pflaumbaum ſub initium concionis aſſurgit, & funem, quo æs campanum pulſari ſolet, aggreſſus, Ariſtotelem cum publica infamia commoto nimirum toto auditorio, ex templo relegat, quemadmodum hiſtoria illa pleriſque nota eſt. Obſtupefactus Sacerdos illa turba per pulſum concitata ex ſuggeſtu ſtatim deſcendit, & dimiſſione a Paſtore impetrata ex urbe diſcedit.* Hæc quidem non ſunt huius loci, oſtendunt tamen, quantopere ſordere ceperit Ariſtoteles, qui cum patientia quondam pro concione ante illa tempora eſt auditus. Neque exiſtimandum eſt, tantum concipere potuiſſe in Ariſtotelem homines, quos nominant, λαικὰς, odium, niſi ex doctoribus ſuis, quis, qualisue eſſet Ariſtoteles iam audiuiſſent. Interim hæc minime omnium eo ſunt trahenda, quaſi Lutherus, eiusque genuini aſſeclæ artium liberalium, iuxta & philoſophiæ fuiſſent hoſtes. Quod Laurentius Surius, aliique Luthero obiiciunt. Non reiiciebat artes, nec ipſam Philoſophiam, ſed ſectam ſaltim Philoſophicam, aut genus,

(*) 2. Phyſicor. c. 7.

nus, quod tum obtinebat, philoſophandi. Ipſam Philoſophiam, tanquam donum DEI, magni fecit, in qua Hornio iudice, (*) inſigniter erat uerſatus. Quod ſi uero hoſtis & oſor omnis philoſophiæ dicendus eſt, qui modo ſectam quandam philoſophicam proſcribit, quid, quæſo te, dicendum erit de antiquioribus, cœtus Chriſtiani doctoribus, quorum nomine Lactantius. (**) *Nos ab hac calumnia immunes ac liberi ſumus, qui Philoſophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inuentio eſt, Sophiam defendimus, quia diuina traditio eſt, eamque ab omnibus ſuſcipi oportere teſtamur.* Quid dicendum de tot Pontificibus, qui, Launoio teſte, edictis non paucis lectione ſcriptorum Ariſtotelicorum ſuos interdixerunt. Itane & illi artium liberalium, & philoſophiæ fuere oſores. Adſcribo ſaltim Lutheri uerba ſupra iam allata ex Epiſtola ad Iodocum Iſenacenſem, ex quibus de mente Lutheri conſtare nobis poterit, *Ego ſimpliciter credo, quod imposſibile ſit Eccleſiam reformari, niſi funditus Canones, Decretales, Scholaſtica Theologia, Philoſophia, Logica, ut nunc habentur, eradicentur & alia ſtudia inſtituantur.* Inprimis hanc in rem legi meretur epiſtola ad Spalatinum A. cIↄ Iↄ XVIII. miſſa, quam integram, cum breuis modo ſit, adiiciemus. *Conuenit inter D. Rectorem & me, mi Georgi, de lectionibus bonum uideri, ut non*

(*) Hiſt. Phil. L. VI. c. IX. p. 314.
(**) L. III. Diu. Inſt. c. XVI.

modo phyſica Thomiſtica caderet, quam nunc deſerit Magiſter Gunckel, *ſuccedens textuali lectioni D. Rectoris: uerum ut rueret quoque Logica Thomiſtica, quam profitetur Magiſter Premſel Torgenſis, ut pro ea Ouidium metamorphoſiacum legeret idem Magiſter, cum in literis humanitatis non parum ualeat. Nam Scotiſticam Philoſophiam & logicam cum textuali logica, & phyſica ſufficere putamus: donec & ſcotiſticæ ſectæ æque inutilis ac infelicis ingeniorum negocii, cadat profeſſio: ſi quomodo tandem diſſidiorum nomina funditus pereant: & pura Philoſophia & Theologia omnesque matheſes ex fontibus ſuis hauriantur.*

XIII.

Sed quæ ſub initium nulla fuit Ariſtotelis fortuna, ea non multo poſt eximia plane fuit, & ex contemptu, cui obnoxia fuerat, ſe emerſit. Acceptam hanc fortunam referre debet Melanchthoni, quem ante ſibi aduerſum habuerat. Is uehementer Ariſtotelem laudauit, multisque utilitatem rationibus adſtruxit, quam ſibi promittere ab Ariſtotele Reſpublica Chriſtiana, & literaria poſſet. In epiſtola ad Leonardum Eccium A. cIↄ IↄXXXV. data. (*) *Vere*, inquit, *iudicas plurimum intereſſe reipublicæ ut Ariſtoteles conſeruetur, & exſtet in ſcholis ac uerſetur in manibus diſcentium. Nam profecto ſine hoc autore non retineri pura philoſophia, ſed ne quidem iuſta docendi aut diſcendi ratio ulla poterit.* Idem integra

(*) Lib. I. Ep. c. XVI. p. 165.

gra oratione perſecutus eſt, quam de Ariſtotele inſcriptam, & a Flacio quodam Norinbergenſi habitam T. III. Declamationum intulerunt. In Præfatione quam Philoſ. Moral. præmiſit ita in Philoſophiæ Peripateticæ laudes effunditur. *Scio,* inquit, *quoſdam mirari alias ſectas. Nam Stoicos ſuſcipiunt nonnulli tanquam ſemideos. Valla, cum reliquos philoſophos rabioſe exagitet, Epicuro tamen non obſcure plauſum dat. Ego uero, qui has ſectarum controuerſias diu multumque agitaui,* ἄνω καὶ κάτω στρέφων, *ut Plato facere præcipit, ualde adhortor adoleſcentes, ut repudiatis Stoicis atque Epicureis, amplectantur Peripatetica. Nam etiam cum grauiter defenduntur, & ut ita dicam, mangonizantur Epicurea, & Stoica, neceſſe eſt plurimum admiſceri ſophiſtices. Porro & moribus nocent falſæ opiniones, & ipſa conſuetudo Sophiſtices multis modis pernicioſa eſt, corrumpit iudicia, abducit animos ab amore & ſtudio ſimplicis ueritatis & proprietatis, aſſuefacit ingenia, ut ament monſtroſas opiniones, ut non explicare res, ſed inuoluere ſtudeant. At in Ariſtotele methodus gubernat diſputationem, & quaſi intra metas coercet, ne a demonſtrationibus & recta uia deerretur; quare eruit ueras ſententias, easque ordine & proprie explicat. Proinde & propter ueras ſententias, & propter methodi exemplum Peripatetica ſunt utiliora.* Eadem fere habet in Sermone de Vtilitate Philoſophiæ in Libro Declam. p. 28. ſq. *Eruditam philoſophiam requiro; non illas cauillationes, quibus nullæ res*

ſubſunt. Ideo dixi unum quoddam Philoſophiæ genus eligendum eſſe, quod quam minimum habeat Sophiſtices, & iuſtam methodum retineat: Talis eſt Ariſtotelis doctrina. Sed huic tamen aliunde addenda eſt illa præſtantiſſima Philoſophiæ pars, de motibus cœleſtibus. Nam reliquæ ſectæ plenæ ſunt Sophiſtices, & abſurdarum & falſarum opinionum, quæ etiam moribus nocent. Nam illæ hyperbolæ Stoicorum ſunt omnino Sophiſticæ, bonam ualetudinem opes & ſimilia non eſſe bona. Comentitia eſt & ἀπάθεια, falſa & pernicioſa opinio de fato. Epicurus non philoſophatur, ſed ſcurratur, cum affirmat omnia caſu extitiſſe: tollit primam cauſam, & diſſentit in totum a uera Phyſicorum doctrina. Fugienda eſt & Academia, quæ non ſeruat methodum, & ſumit ſibi licentiam immoderatam omnia euertendi: quod qui facere ſtudent, hos neceſſe eſt multa Sophiſtice colligere. Quanquam is qui ducem Ariſtotelem præcipue ſequitur, & unam quandam ſimplicem ac minime Sophiſticam doctrinam expetit, interdum & ab aliis autoribus ſumere aliquid poteſt. Vt enim muſæ cum cantu certaſſent cum Sirenibus, easque uiciſſent, ex pennis earum coronas ſibi fecerunt, ita & in ſectis, etſi una maxime probanda eſt, tamen interdum ex aliis aliquid ueri decerpamus, quo noſtra ſententia ornetur. Et quis ignorat in ipſa Apologia A. C. cuius Melanchthon autor eſt, p. 62. diſerte affirmari, *Ariſtotelem de moribus ciuilibus adeo ſcripſiſſe erudite, nihil ut de his requirendum ſit amplius.* Ob quæ nonnullis apologia

pologia uapulat, & παϱοϱάματος arguitur, a Sontagio, aliisque defenſa. Nihil namque dixit, quod non alii pariter dixerunt. Gabriel Naudæus in Bibliographia Politica p. m. 12. *Ariſtotelem illud omne, quod ad doctrinæ iſtius*, moralis puta, de qua loquitur, *perfectionem ſpectabat, uariis operibus complexum eſſe* iudicat. Hinc ipſe in explicandis præceptionibus philoſophicis Ariſtotelem, quamuis non ſine delectu, ſequebatur. Non enim ita addictus erat Ariſtoteli, aut in Ariſtotelis iurauerat uerba, ut religioni ſibi duceret, uel tantillum ab Ariſtotele recedere. Hinc quæ in Ariſtotelem grauius aliquando dixerat, in ſequioribus Locorum editionibus uel temperabat, uel expungebat. Quæ cauſa eſt, quamobrem has editiones primæ nonnulli poſtponant, quibus Ariſtoteles, & Theologia Scholaſtica eſt exoſa. Quos tamen perpendiſſe deceret, Melanchthonis de Praedeſtinatione ſaniorem eſſe in poſterioribus, quam prioribus, ſententiam. Hinc Ariſtoteles iuuentutis paſſim terebatur manibus. Neque enim dubium, plurimos idem feciſſe, ſuaſu, inſtinctuque Melanchthonis, quod de ſe Chytræus commemorat, in epiſtola ad Matthæum Dreſſerum. (*) *Ariſtotelis organon, una cum Commentario Burſæ montis Colonienſis, quem omnium optimum mihi Præceptor meus Philippus priuatim perlegendum ipſe commendauit, adoleſcens mediocri attentione euolui, & alios ut idem*

(*) in Epiſt. p. 825.

idem facerent, hortatus ſum. Selneccerus in Recitationibus (*) *Si in ſtudiis philoſophicis aſſequimur Philippum, & hunc monſtratorem, & Ducem ad Ariſtotelica tempe obſeruamus, ſatis profecimus, & aliis utiliter inſeruire poſſumus.*

XIV.

Sic igitur Ariſtoteles in Academia Vitebergenſi, obſtetricante Philippo, caput iterum extollebat, liberatus tamen a tricis, quibus plus caliginis, quam lucis ipſi affuderant Scholaſtici. Videmus enim, & alios ad Ariſtotelis ductum interpretatos eſſe philoſophiam. Fecit id, ut unum commemorem, Io. Velcurio, qui in Præfat. Commentarii Phyſici diſerte profitetur, *pro ſuo iuuenumque captu, ac uiribus*, illum Commentarium *ad præſcriptam normam Ariſtotelis & peripateticorum* abſoluendum eſſe. Vnde & Sebaldus Hauenreuterus, libros iſtos, quos poſt Velcurionis obitum Tubingæ MDXLVII. in lucem emiſit, non dubitauit inſcribere *Commentarios in Vniuerſam Phyſicam Ariſtotelis.* Apparet uero ex his libris, quantum Ariſtotelis creuerit autoritas, quam probandis ſententiis ſolam ſufficere Velcurio ſcribit. Ita enim (**) *Eſſe aliquam ſcientiam de rebus naturalibus certam, ſi nihil aliud probaret*, Ariſtotelis, *& communis Doctorum conſenſus, ſcholarumque tam conſtans diuturnaque autoritas ſatis arguit, quod ſi fidem illis adhibere nolit ſtudioſus, fruſtra docebitur. Nam addiſcentem*

(*) p. 328. (**) L. I. c. I. p. 5.

tem oportet credere. Quod Ariſtotelem dixiſſe, ex Elenchis conſtat. Vnde & a Petro Io. Nunneſio de Recte Conficiendo Curriculo Philoſ. (*) inculcatur. Laudandus tamen eſt, quod, ut multi Ariſtotelis admiratores faciunt, Philoſophum haud excuſet, in quibus excuſandus haud eſt, nec uerba præter eius mentem aliter interpretetur, ut ipſe intelligenda uoluit. Inde eſt, quod ingenue fateatur (**) *ex Ariſtotelis uerbis probari non poſſe animæ immortalitatem.* Alii colligebant Autoritates Ariſtotelis. Quo ſub nomine peculiaris editus eſt libellus, cuius meminit Io. Velcurio (***) Atque hæc uiuo fiebant ſcribebanturque, Luthero, qui, talia uel improbaſſe, uel impediuiſſe, quod ſua facile perficere autoritate potuiſſet, nuſpiam, quantum recordor, legitur. Vnde colligimus, Lutherum ſequioribus pariter temporibus mitiorem de Ariſtotele concepiſſe ſententiam. Philippum ſane, eiusque in docenda, reſtituendaque, Philoſophia conatus, quam grauiter commendauit. *Qui Philippum,* ita Selneccerus loquentem inducit Lutherum, in Recitat. (****) *non agnoſcit præceptorem eum neceſſe eſt merum eſſe aſinum & beanum ſuperbiſſimum. Quicquid ſcimus in artibus, & in uera philoſophia, illud debemus Philippo.* At Philippus Ariſtotelem amabat. Quid? Quod ipſe aliquid in Ariſtotelem conferret laudis. Te-

 ſtor

(*) c. VI. (**) L. IIII. c. XL. (***) Lib. IV. c. XXXII. (****) p. 328.

ſtor uerba, quæ in Com. in Gen. (*) habentur: *Igitur ſi pro patria ſuſcipiuntur, ſiunt uirtutes, ſi contra patriam, ſiunt uitia, ſicut Ariſtoteles erudite diſputat.* Idem agnouiſſe uidetur Baltus (**) qui Lutherum *primis temporibus*, uehementer, ut ſolebat, in Ariſtotelem inuectum ſcribit. Dum enim priorum modo temporum meminit, intellexiſſe omnino cenſendus eſt Lutherum de uehementia & rigore, quem ipſi tribuit, in Ariſtotelem remiſiſſe. Qua in re Balto facile adſtipulamur, qui tamen ignarus fuit eorum, quæ de Melanchthone paullo ante adduximus. Alioquin enim non ſcripſiſſet, Melanchthonem *ſemper* pro Ariſtotele feciſſe. Ceterum Oſiander inde occaſionem uidetur ſumſiſſe cauillandi in literis ad Mich. Stifelium datis, *Lutherum a Philippo ſeductum plane Ariſtotelicam Theologiam coxiſſe.* (***)

XV.

Mirabitur, credo, unus quisque, tantam fieri potuiſſe conuerſionem, ut, qui deſpicatui ante habebatur Philoſophus, non multo poſt ſummo in pretio, ac honore fuerit habitus. At enim, qua erat perſpicacia, facile uidebat Melanchthon, non poſſe, nec debere ex republica Chriſtiana, nuper admodum repurgata, omnem proſcribi philoſophiam. Cum uero nec tutum ſatis

(*) c. IIX. 21. f. 113. (**) Defenſe de SS. Peres p. 2. 3. in not. (***) Vid. Wigandus in Oſiandr. p. 110.

tis eſſet, rationem philoſophandi cuiuslibet permittere ingenio, eaque ratione contentionibus, controuerſiisque occaſionem dari, maluit unam ex uetuſtioribus reuocare ſectam, quamuis ueris, ubi aberrat, ſententiis temperatam. Has inter ſectas principem quidem locum Platonica, & Ariſtotelica obtinent, quæ & plures inuenere admiratores, de præſtantia iſtius, quam complexi erant, philoſophiæ præ altera, exemplo Beſſarionis, & Marci Epheſii, quam acerrime inter ſe concertantes. Sed enim, miſſa Platonica, Ariſtotelicam reſtituit, quæ ipſi procul dubio rei Chriſtianæ uiſa eſt commodior. Ariſtoteles namque, ut pleraſque Philoſophiæ partes in artis redegit formam, ita etiam plus adfert adiumenti rebus apte, concinneque pertractandis, proponendis, adſtruendis, defendendis, deſtruendis. At horum nihil præſtabat Plato, cuius Philoſophia obſcurior, nec ad iuſtæ methodi, ordiniſque adſtricta leges, ſed ea potius inſtructa ratione, quæ Arceſilam in *ἀκαταληψίαν* dedit præcipitem. Porro Ariſtotelica uidebatur caſtior, quæ tanta opinionum monſtra in rempublicam Chriſtianam haud inuexit, quantis illam Platonica, & olim, & ſequiori ætate, obruerat. Neque ignorabat Melanchthon, per Platonicam homines procliues fieri ad Enthuſiaſmum, & Fanaticiſmum, a quibus ea ætate plus fere ſibi metuere debebant, quam a Papiſmo, tot *βδελυγμάτων* iam conuicto. Non poſſum, quin Io. Velcurionis de Philoſophia Platonica adſcribam iudicium, quod nos facile docet,

cet, quid tum de eadem iudicarint. *Hæc*, ita ſcribit, (*) poſtquam Platonicorum de uirtutibus recitaſſet placita, *Platonicorum uana ſomnia recenſui ob id tantum, ut haberemus fere ſummam, Platonicæ Theologiæ quam uocant, & oſtenderem, quam ſide dignis ſcilicet, & iuſtis de cauſis quidam uaniloqui perſuaſi: Platonicam philoſophiam auſint comparare Chriſtianiſmo, cum reuera ſimiarum animi ac mores corporaque, ſint hominibus ſimiliores, quam hæ quadruplices Platonicorum uirtutes commenticiæ, aliquantillam Chriſtianiſmi ueri exprimant umbram.* Tandem & illud adiicio, debuiſſe noſtrates eam ob cauſam inſtructos eſſe philoſophia peripatetica, ut eo melius ſuis occurrerent aduerſariis, in iſta haud leuiter uerſatis.

XVI.

Inde in reliquis pariter ſcholis ſedem inuenit Ariſtoteles. Ex his enim nonnullæ non primis initiis, ſed poſt aliquot demum annos emendatam a Luthero doctrinam ſuſceperunt. Hinc mirum eſſe nequit, quod Ariſtotelem, cui adſuetæ erant, retinuerint, ipſis iam tum Vitebergenſibus probatum. Aliæ recens condebantur, ſed ad exemplum Academiæ Vitebergenſis, a qua iſtos accipiebant, quorum opera, uel in ordinandis rebus, uel erudienda iuuentute utebantur. Ex ſchola Melanchthonis, uelut ex equo Troiano, præſtantiſſimi prodibant uiri, qui Scholis cum Maio-

(*) L. IIII. Comment. Phyſ. c. 39.

Maioribus, tum Minoribus per totam Germaniam, Daniam, Sueciam, Hungariam, aliasque regiones præfecti, illam cum auditoribus communicarunt philoſophiam, quam, Philippo duce, imbiberant. Taceo, non raro ſcholaſticis admotos eſſe officiis, qui a Pontificiis, apud quos regnabat Ariſtoteles, ad noſtra ſe conferebant ſacra. Ita factum, ut nulla eſſet ſchola, paullo celebrior, cuius cathedra Ariſtotelis non perſonaret philoſophia.

XVII.

In Academia Lipſienſi, quod nemo ignorat, conſtitutus eſt aliquis, qui organon Ariſtotelis interpretari debet. Qua occaſione librum de Vſu organi Ariſtotelici, Conringio, aliisque tantopere commendatum, confecit Io. Neldelius, Vir acutiſſimus, & Simonis Simonii auditor. Erat autem iſte Simon Simonius Italus, qui ob religionem Patria exul, Lipſiam ſe contulit, & ſummo ſtudio in Ariſtotelis philoſophiam incubuit. Commentarius eius in Librum primum Nicom. *ea Peripateticæ Philoſophiæ peritia & doctrina* Samueli Rachelio (*) ſe commendauit, *ut merito in reliquis idem ab ipſo præſtitum exoptauerit: quamuis non tantum ipſe præſtare, quantum in aliis deſiderare* eidem uideatur. Placuit etiam iſte commentarius Gabrieli Naudæo, ſiquidem *bene & erudite* Simonium in primum laboraſſe librum

(*) In Introduct. in Philoſ. Moral. Ariſtotelis Libris ad Nicom. præmiſſa c. XIV. p. 140.

librum non diffitetur (*) & Morhoffio iudice (**) Academiam Lipſienſem Ἀριστοτελίζειν docuit. Quod tamen opus habet temperamento, cum non defuerint alii, qui philoſophiam peripateticam ibi docuerint, ſuisque commendarint auditoribus. Docuit ibidem Victorinus Strigelius, qui etiam in philoſophicis, & Dialecticis Melanchthonis ſequebatur ueſtigia. Docuit ibidem Ioachimus Camerarius, ſummus Melanchthonis amicus, qui ratione non diſſimile, quà Philippus, de Ariſtotelis philoſophia iudicauit. Digna ſunt, quæ hic legantur uerba ex Prolegom. in Offic. Cic. *Peripatetica diſciplina humaniſſima fuit, quæ ad captum ingenii humani dignitatis ac uirtutis præcepta accommodauit, neque ueluti optando quid maxime quisque uelle deberet, collegit, ſed quid conſequi etiam poſſet circumſpexit. Stoici, ut ait Cicero, fines officiorum paulo longius quam natura uellet, protulere, ut cum ad ultimum animo contendiſſemus, ibi tamen ubi oporteret conſiſteremus. Itaque hi priora præclara & luculenta opera elimando uidentur corrupiſſe: nam Academici certe cum Peripateticis ſententia & dogmatis coniuncti earundem rerum diuerſa quodammodo explicatione uſi fuerunt, ut aliter de aliis utrique loquerentur. Epicurei uero quaſi abortiuum Philoſophiæ genus grauitatem huius plane reliquerunt, & ad futilia quædam ac uulgo nota probataque*

(*) In Bibliogr. Polit. p. m. ed. Conring. 21.
(**) In Polyh. T. II. L. I. c. XI. 28.

taque tradúxerunt diſputationes ſuas, expertes omnis eruditionis, Ariſtippi placitis arreptis, quæ tamen ipſa alicubi corrupiſſe & reddidiſſe putantur molliora. Ipſe etiam manus explicando Ariſtoteli gnauiter admouit. Explicationem Eth. Nicom. accuratiſſimam nominat Rachelius. Et inter explanatores Politicorum Ariſtotelis tertium poſt Antonium Montecatinum, & Petrum Victorium Camerario concedit locum Hermannus Conringius (*) Ipſe Gabriel Naudæus, Germanis alias paullo iniquior, dum de illis agit, qui libros Ethic. Ariſtotelis commentationibus illuſtrarunt, opus habuit confiteri a *Camerarii & Zuingeri lectione neminem unquam niſi doctiorem receſſiſſe.* Et infra Camerarium & Giphanium *commentatores* appellat *præcipuos*, in Politica puta Ariſtotelis, de quibus ipſi ſermo eſt, *qui nihil unquam inepte moliti ſunt.* (**) Exſtat Conſtitutio Academiarum Lipſienſis & Vitebergenſis, ab Auguſto A. cIↄ IↄLXXVI. edita, qua ſecundus Profeſſor philoſophiæ nec non ſeptimus, octauus & nonus *ſolius Ariſtotelis libros in Dialecticis, Phyſicis, Ethicis, & Politicis prælegere, Diſputationes item, & Examina promouendorum ex Ariſtotelis libris inſtituere.* (***)

XVIII.

De Roſtochienſi, Dauid Chytræus in Epiſt. ad

(*) In Introduct. ad Pol. Ariſt. c. IX. p. 649.
(**) l. c. p. 21. & 39.
(***) Vid. Hulſemann. in Præf. ad Dial. p. 13. ſq.

(*) ad Matthæum Dreſſerum, qui Chytræo contemtum Ariſtotelis, & Dialecticæ Philippeæ exprobrauerat. *Grauiſſimam de Ariſtotelis & Philippi dialecticis, a me, uel certe nominis mei prætextu, alibi contemtis, abiectis, exploſis, exterminatis, & Ramo uiciſſim ſubſtituto accuſationem tuam, ſuperioribus nundinis ad me miſſam: fateor me initio aliqua cum admiratione & ſtupore, tandem uero etiam non ſine riſu, legiſſe. Quam enim ego ſignificationem, uel ſaltem ſuſpicandi de Ariſtotelis organo, & Philippi Erotematis, ex uſu ſcholarum explodendis occaſionem, unquam de me præbui? qui Ariſtotelis organon, una cum Commentario Burſæ montis Colonienſis, quem omnium optimum mibi Præceptor meus Philippus priuatim perlegendum, ipſe commendauit, adoleſcens mediocri attentione euolui, & alios, ut idem facerent hortatus ſum: & Philippi libros Dialecticos, in hac ſchola multos annos ipſe interpretatus ſum, nec in hodiernum usque diem alios in noſtra Academia prælegi, patimur.* In Tubingenſi ſummam ex ſtudio philoſophiæ peripateticæ laudem conſecutus eſt Iacobus Schegkius, qui, Fechtio iudice, in Sched. Sacr. (**) *Philoſophiam peripateticam, perpetuo tanquam ἔργον perſecutus, ut e tenebris Scholaſticorum iterum erueretur, illiusque uſus in omnibus diſciplinis incomparabilis toti orbi pateret, legendo inque publicum meditationes ſuas edendo, unice operam ſuam impendit.*

Quibus

(*) In Epiſt. p. 824. ſq. (**) Exerc. II. p. 448.

Quibus effecit, ut *peripateticorum princeps* a Nicolao Taurello, in Epiſt. Ded. Alp. Cæſis præmiſſa appelletur. Argentorati tanti habitus eſt Ariſtoteles, ut, cum aliquando idoneo philoſophiæ Profeſſore ſchola illa deſtitueretur, duo Theologi, ſicut ſacras literas, ita quoque Ariſtotelis philoſophiam alternis ſeptimanis docerent. Erant autem illi Petrus Martyr, & Hieronymus Zanchius, quorum ille, teſte Ioſia Simlero, (*) Ariſtotelis libros de moribus ad Nicomachum, hic de Natura, interpretandos deſumſit. Non tamen uidentur iſti Petri Martyris in Ariſtotelem commentarii magnopere ſe approbaſſe Simoni Simonio. Ita enim iudicat. *D. Martyr noſter piæ memoriæ, diligentior quidem aliis in quibusdam Pſalmis eſſe uoluit, ſed in iisdem omnia perturbate proponit, in reliquis ſat egiſſe ſibi uiſus eſt, ſi, quæ Euſtratius diceret, ipſe recenſeret. Quare non ita bonus Philoſophus, ut optimus Theologus haberi debet. Quanquam in eo ſit magnopere laudandus, quod Ariſtotelem, quem Theologaſtri quidam fugiunt atque oderunt, ſummopere charum familiariſſimumque ueris Theologis eſſe debere, ſua illa interpretandi Ariſtotelis prouincia ſuſcepta, tacite monuit.* Ibidem pariter de Ariſtotele bene mereri ſtuduit Io. Lud. Hauenreuterus, qui et Ariſtotelis de mundo librum anno ætatis XXIV. cum auditorum admi-

D ratio-

(*) In Oratione de Vita & obitu P. Martyris, præmiſſa Locis Communibus.

ratione publice explicuit, & non alia pauca huius Philoſophi ſcripta commentariis illuſtrauit. Vnde & effigiei in eius laudem præfixum eſt τετράστιχον

Orbis amor: morum exemplar: pietatis ocellus
Alter Ariſtoteles; alter & Hippocrates.
Quem Teuto, Gallus, ſtupet, Italus, Anglus, Iberus
HAVENREVTERVS IAN. Ludouicus hic eſt. (*)

In Heidelbergenſi magni habitum eſſe Ariſtotelem ea, ni fallor, docent, quæ ibi cum Ramo facta ſunt, ex Altingio paullo poſt commemoranda. In Ienenſi docuerunt Strigelius, Stigelius, aliique Scholæ Melanchthonianæ quondam alumni, quos Præceptoris in Ariſtotelem ſtudium iuxta ac animum imitatos eſſe, non eſt, quod dubitemus. Neque aliter iudicandum eſt de Regiomontana, quam Albertus condidit, Georgii Sabini uſus conſiliis. Hunc uero Melanchthonis in matrimonio habuiſſe filiam, nemini obſcurum eſſe poterit. Reliquas lubens taceo, de quibus ex his indicium fieri debet.

XIX.

Etſi uero ita ubique regnabat Ariſtoteles, uidetur tamen, in ipſo ſtudio, aliqua eius facta eſſe remiſſio. Atque huic, ſi quid uideo, occaſionem, eandemque non leuem, illi ipſi dediſſe uidentur, quibus ſuam Ariſtoteles debebat autori-

(*) Vid. Fecht. in Sched. p. 488.

toritatem. Cum enim illi, conſilio non improbando, compendia paſſim conficerent philoſophica, eademque in ſuis ſcholis interpretarentur, factum eſt, ut Ariſtoteles ex ſtudioſæ manibus iuuentutis, iſtis adſuetæ compendiis, ſenſim paulatimque excuteretur. Contigit hoc in ipſa Academia Vitebergenſi, in qua maiorem compendiorum, a Melanchthone confectorum, quam Ariſtotelis, habitam eſſe rationem, clare luculenterque confirmant uerba Polycarpi Lyſeri in peculiari quadam ad Amicum Epiſtola, quam in Sylloge Epiſtolarum ſumme Venerandus, Cellenſium Præſul, feliciſſimus & nominis, & meritorum Lyſerianorum hæres, edidit. *Porro*, ita ſcribit (*) *ut quoque de Ariſtotelis Philoſophorum Principis ſcriptis quid ſentiam, ſcribam, tantum abeſt, ut illa ex ſcholis releganda eſſe ſtatuam, ut nunquam diſſimulauerim, me mirari, qui fiat, quod in hac Schola noſtra, quæ cum reliquarum in Germania Academiarum quaſi communis mater eſſe ſtatuatur, tantum compendia Philoſophiæ ſtudioſæ iuuentuti prælegantur, Ariſtotelis autem libri prorſus negligantur. Ego omnino iudico D. Ph. initio Compendia Philoſophiæ ſaltem pro incipientibus ſcripſiſſe, idque non hoc conſilio feciſſe, ut Ariſtotelis libros ex manibus diſcentium prorſus excuteret: ſed tantum, ut eosdem ad legendum ipſum Ariſtotelem introduceret, & quaſi uiam ſterneret. Iam uero dum Ariſto-*

D 2 *teles*

(*) p. 287.

teles ab aliis negligitur, ego inſimulor, quaſi eius libros ceu inutiles reiiciam. Cum ſtatuam ex dignitate Academiarum eſſe, ut in illis iuniores a Compendiis ad fontes ipſos adducantur.

XX.

Acceſſere certamina Synergiſtica, Adiaphoriſtica, Crypto-Caluiniana, quæ Ariſtoteli aliquid detrimenti, nec parum odii attuliſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Illi enim (*) cum quibus certandum erat, argutias philoſophicas non raro afferebant, ut erroneas palliarent, ſaniores autem peruerterent ſententias. Teſtor diſputationem Vinarienſem, quam cum Victorino habuit Flacius, & rationes, quibus doctrinam de βελτίωσει Humanæ Naturæ, beneficio unionis ὑποστατικῆς facta, oppugnare conabantur οἱ κρυπτοκαλβινίζοντες. In quibus, coecus ſit, oportet, qui non argutias Philoſophicas deprehenderit. Matthias Flacius Ilyricus in Claue Script. (*) *Nec tamen hic* ad Col. II. *tantum falſa philoſophia reprehenditur, ſed etiam iſta uera, quam nunc potiſſimum ex Ariſtotele habemus.* Quam in rem cum exemplum aliquod ab Ethica deſumtum attuliſſet, tandem ſubiicit, *ſit igitur omnibus ea utentibus in corde & ore illud præclariſſimum dictum Lutheri p. m. Qui uult ſapiens fieri in Ariſtotele, ſtultificetur prius in Chriſto, ut nempe Catechiſmus regat philoſophiam, non regatur ab ea.* Eadem habet in libello, de metis ſcien-

(*) P. I. uoce Philoſophiæ p. m. 893.

ſcientiarum, ad quem ſubinde Lectores ſuos remittit. Quid? quod eo prolapſus ſit, ut (*) *ueram ueri Dei cognitionem ex conſideratione creaturarum* haberi poſſe negauerit, eosque, qui illud affirmant, *pſeudophiloſophos* dixerit. Scio equidem, Voëtium iuxta & Calouium, Flacium iuiſſe excuſatum, propterea quod in diſputatione Vinarienſi diſerte is fuerit profeſſus, *Paulum bis in Actis urgere, Ethnicos ex beneficiis Dei collegiſſe, eſſe Deum.* Sed uereor, ſolida ſit hæc excuſandi ratio. Contendit namque Philoſophos *tolerabiles, quas effuderint de uno DEO, eius iuſtitia ac prouidentia, ſententias a Patribus accepiſſe.* Videtur ergo Flacius, quod & alii non raro faciunt, æſtu abrepti diſputatorio ſententiam migraſſe, quam antea propoſuerat, utque Synergiſmum, rationi, uiribusque humanis nimis, quam par erat, tribuentem, eo fortius, meliusque conficeret, omnem rationi, ſibi relictæ, denegaſſe δύναμιν, aliquam de DEO ueritatem aſſequendi. Flacii, aliorumque in certamine Adiaphoriſtico conatus probauit Io. Stolzius, verbi diuinioris in aula Vinarienſi miniſter. Is uero in Defenſione, quam edidit, Lutheri (**) ita ad Lutherum, cum quo in ſomnio ſe collocatum fingit. *Eo prope res rediit, ut pauciſſimi tua legere dignentur* ſcripta; *adeo omnes philoſophica illa theologia, Ariſtotelicis aliorumque Ethnicorum*

(*) P. II. Clau. Script. Tr. VI. p. m. 678. ſq.
(**) pag. 79.

rum tincta ſomniis, quibus tu quam maxime infenſus fuiſti, occupauit. Ad quæ Lutherus (*) hæc reſpondet. *Inprimis uero exploſam uolui ex Eccleſia theologiam Ariſtotelicam, & quam longiſſime philoſophiam a theologia remotam: ut libellus meus ſcriptus initio cauſæ meæ ad ſtatus nationis Germaniæ de reformatione Eccleſiaſtica, abunde teſtatur. Vidi, quantas tenebras reductura eſſet hæc doctrinarum diuerſiſſimarum commixtio. Quo factum, ut etiam illud, quod ſomniator tuus ita præ omnibus meis libris prædicat, conſentaneum doctrinæ & omnibus partibus abſolutum corpus nouiſſime editum, minus mihi placuerit præ illo, quod primis annis editum eſt.* Innuit haud dubie Locos Theologicos Philippi Melanchthonis. *Sed eo*, ita pergit, *redibit ſtudium Theologicum, ut pro Paulo Ariſtoteles uobis ſit concionaturus: quod & antea Satan in Scholaſtica theologia & monachorum concionibus effecit.* Hæc animum ab Ariſtotele auerſiſſimum ſatis, opinor, produnt. Subiungendus merito quodam ſuo Andr. Oſiander; quem Myſticorum immerſum libris, in Ariſtotelem ſubinde & Melanchthonem, qua animi erat impotentia, debacchatum eſſe nouimus.

XXI.

Sed maius malum, & tantum non interitum, Philoſophiæ Ariſtotelicæ minitari uidebatur Ramus, qui totus in eo erat, ut nouam philoſphandi

(*) pag. 87. ſq.

di rationem, proſcripta Ariſtotelica, præiret. Hinc oppugnandus erat Ariſtoteles, quem tum omnes ſuſpiciebant. Neque enim lætum philoſophiæ nouæ ſucceſſum ſperare poterat, ante, quam omni priuatus eſſet autoritate Ariſtoteles. Cum uero res hæc negotii erat pleniſſima, & inuiſa maxime, impetum potius in ſcripta Philoſophi, quam ipſum fecit Philoſophum. Cauſabatur namque, non ſupereſſe amplius genuina Ariſtotelis uolumina, ſed alia ex his eſſe interpolata, alia ſuppoſita. Ex quibus prona id conſecutione ſequebatur, non eſſe ueram, quæ in ſcholis tum proponebatur, Ariſtotelis philoſophiam. Commendabat ſe Rami philoſophia nouitate, cuius homines ſolent eſſe cupidiſſimi, perſpicue res proponebat. Modum & rationem oſtendebat promte de rebus quibuscunque diſſerendi. Tandem non pauca Ariſtotelis placita, quæ approbationis indigent, cum παῤῥησία quadam in lucem proferebat. Ita facile in hominum ſeſe inſinuabat animos, multosque conſequebatur fautores in Gallia, Scotia, Germania. Et quidem quod ad Germaniam attinet, in illam, ſi non primus, ſaltim inter primos Philoſophiam Ramæam intulit Fabritius Marcoduranus. Is namque, motus celebritate nominis Ramæi, ad Ramum in Galliam abiit, ut ab eodem coram Philoſophiam addiſceret. Atque hanc poſt aliquot annos, in Germaniam redux, in Schola Duſſeldorpiana, cui regendæ erat admotus, cum diſcipulis communicauit, quorum opera latius per

Germaniam, ſigillatim uero Weſtphaliam, diſſeminata eſt. In Weſtphalia namque poſt alios celebre ex Philoſophiæ Rameæ ſtudio conſecuti ſunt nomen Frid. Beurhuſius Tremonianæ, & Gu. Adolphus Scribonius, Corbacenſis Scholæ Rectores. Quorum tamen hic multa a Ramo aliorum induſtriæ relicta candide iuxta, ac ingenue profitetur. Vnde & Beurhuſio indignatur, contra Piſcatorem contendenti, perfectam omnibus modis Rami eſſe Dialecticam. *Placet*, inquit, illud mihi, & libentiſſime audio Ramum commendari, & logicæ artis laude tantopere prædicari. Nihil autem omnino in documentis eius emendari poſſe, id eſt, quod conſtantiſſime nego. Interpretes illi ſunt & diſcipuli nimis creduli. Ceterum ſuum erga Ramum, eiusque Philoſophiam amorem ſatis prodidit in Triumpho Logicæ Rameæ, quem Baſileæ cIɔ Iɔ XXCVII. formis exſcribi curauit. Quid? quod ipſe Ramus in Germania aliquando Heidelbergæ commoratus ſit, ubi tamen, Altingio teſte, (*) nonnulli iuuenum ſtudioſorum male illum tractarunt, amotis ſcalis ex cathedra arcere conantes diſputaturum. Cui diſcrimini feliciter Galli cuiusdam ereptus eſt opera, qui, humi procumbens, dorſum ei ſubſtrauit, per quod, ceu gradum aliquem, eniteretur. Tantum præiudicatæ poſſunt opiniones, quæ eo maiorem in iuuenum animis habere ſolent efficaciam, quo ſunt recen-

(*) In hiſt. Eccleſ. Palat. p. 247.

recentiores ex Præceptorum ſcholis. Maiori in pretio Ramum habuerunt alii, & in his uiri, ingenio, iudicioque præſtantes, qui Ramum, ut Præceptorem, colebant, eiusque uidendi cauſa Heidelbergam proficiſcebantur. Ex multis unum laudaſſe ſufficiat Chytræum, qui ita in Epiſtola adipſum Ramum, A. CIↃ IↃ LXX. X. Cal. Mai. data. (*) *Etſi nulla inter nos conſuetudo familiaris hactenus interceſſit: tamen multos iam annos, lectione librorum, a te, ſumma cum acutiſſimi iudicii, perfectæ doctrinæ, diſſertiſſ. eloquentiæ & in iuuanda re literaria nullis terroribus ac periculis fractæ fidei ac conſtantiæ laude, editorum, in quib. uelut Hercules, diuinitus noſtræ ætati donatus, totum orbem artium, a monſtris inutilium & peregrinarum præceptionum libros, & ſuas cuique artis regiones ac fines certos attribuens, rectiſſimam ſingulas docendi & diſcendi uiam demonſtras: mirifico me tui amore & deſiderio, & uirtutis ac ſapientiæ admiratione accenſum eſſe fateor. Oro itaque, ut inter plurimos, in his regionibus, doctrinæ tuæ diſcipulos, qui reuerenter & ex animo te præceptorem uenerantur & colunt, me quoque numeres, & hunc Collegam & amicum meum M. Nicolaum Goniæum, qui eam unam ob cauſam nunc Heidelbergam proficiſcitur, ut Petri Rami, cuius nomen & ſcripta apud omnes bonos & doctos in his regionibus celeberrima & gratioſa, hactenus ardenter amauit*

(*) In epiſt. p. 547. ſq.

uit & admiratus eſt, conſpectu etiam & colloquio frui coram poſſit.

XXII.

Actum ſic fuiſſet de Ariſtotele, niſi Peripatetici latius ſerpenti Philoſophiæ Rameæ maturrime ſe obieciſſent. Cum ipſo Ramo congreſſus eſt Iacobus Schegkius, ſummus in Tubingenſi Academia Peripateticus, cui Ramus IV. reſpondit Epiſtolis, a Schegkio in Hyperaſpiſta, quem nominat, A. cIↃ IↃ LXX. Tubingæ edito, confutatis. Etiam Nicodemus Friſchlinus in Ramum Dialogo quodam inſurrexit, quem Conradus Neubeckerus ſub examen uocauit. Apud Argentoratenſes Ramum confutare, editis propoſitionibus, conatus eſt Daſypodius. De cuius conatibus ſuum iuxta ac Gyphanii iudicium Marbachiis fratribus ita Io. Pappus perſcribit. (*) *De propoſitionibus ego ad Gyphanium nuper: Niſi ſcripſiſſet Ramus, theſes nullas Daſypodium fuiſſe habiturum. Imo, inquit ille, niſi eſſet ille mortuus, nunquam hic proponere iſta auſus fuiſſet.* Sed magnam inprimis ad tuendam Ariſtotelis Philoſophiam, tantopere oppugnatam, acceſſionem attulerunt Academia Iulia, & Altdorffina, quæ eo tempore ambæ ſunt erectæ, quo ſuos Ramæa tantum non ubique per Germaniam extendebat ramos. Vtraque ſemper Philoſophiæ Peripateticæ fuit ſtudioſiſſima, eandemque a Ramiſtarum defendit inſultibus. In Academia

(*) Ap. Fechtium p. 404.

mia Iulia Cornelius inprimis Martini quam acerrime pro Ariſtotele propugnauit, Ramum contra, eiusque Philoſophiam,quod Morhoffius(*)ſcribit, *Helmſtadio continuis quaſi diſputationibus in exilium miſit.* Teſtor ſaltim, ex multis aliis, diſputationem de Subiecto, & Fine Logicæ, nec non Analyſin Logicam, in quibus acriter perſtringit Ramum. Idem fecit in libro de recta ſui, ſuorumque inſtitutione Io. Caſelius, cuius tamen uehementem in Ramum orationem minus probauit Chytræus. Ita namque (**) *Quod ad poſtremam Ramo didaſcaliæ inſectationem attinet: Philippi præcepta ac exempla, longiſſime Rameis anteferenda, nunquam dubitaui. Ideoque ſola in publicis ſcholis retinemus: Sed tamen moderatius de Ramo & placidius iudicat C. V. D. Sturmius, Ariſtoteleæ Dialecticæ Doctor & cuſtos fideliſſimus, ac dexterrimus: quem in epiſtola ad Schorum pronunciare meminiſti, quæ in adiecta pagella deſcripta, tibi nota eſſe ſcio. Tu uero cauſam huius uehementiæ iſthic grauiorem fortaſſe habebis.* Neque aliter in Ramæam Philoſophiam affectus erat Pancratius Crugerus, qui iisdem temporibus artem Poeticam in Academia Iulia profitebatur. Admotus namque regimini Scholæ Lubecenſis eiecit mox ex eadem Philoſophiam, ante nominatam, quam Ioachimus Hanſius, eius anteceſſor, ibidem quondam docuerat. Quare

(*) In Polyh. T. II. L. I. C. XII. p. 66.
(**) In Epiſt. p. 929.

re cum ex horum ſcholis ii prodierint, qui poſt ea tempora Philoſophiam in ea profeſſi ſunt Academia, facile apparet ratio, quamobrem iſta Peripateticæ fuerit tenaciſſima. Conradus Horneius (*) diſerte ſcribit, *quapropter etiam nos tanquam cynoſuram doctrinam Ariſtotelicam ſequemur & ad eius principia cæterorum dogmata potiſſimum exigemus.* Et Calixtus, dum in Præfat. Diſſert. de Myſter. Trin. in V.T. rationem ſtudiorum, quæ in Iulia excolerentur, exponit, inter alia commemorat, *coli præter humaniores literas ſtudium Philoſophiæ Ariſtotelicæ.* Ex quo fonte profluxere procul dubio tot commendationes ſtudii philoſophici & Scholaſticæ Theologiæ, quam non obſcure ſtudio linguarum præferebant Calixtus, & Horneius, a Calouio ea propter, multisque aliis notati.

XXIII.

In Academia Altdorffina docuerunt Scherbius, Piccartus, Sonnerus, qui ſummo ſtudio in explicanda ad mentem Ariſtotelis philoſophia uerſati ſunt. Scherbius in ipſa Italia philoſophiam hauſit, ubi tum magni fiebat Ariſtoteles. Inprimis Pellegrinum audiuit, cuius Metaphyſica, ex docentis ore excepta, cum nemine, ut erat inuidus, communicauit, ſed tantopere occultauit, ut Gryphes non ita aurum ſuum cuſtodiant, ut ille ſuum Pellegrinum. Quod eſt σκόμμα Michaelis Piccarti in Epiſtola ad Hoffmannum,

(*) In Philoſoph. Mor. L. I. c. I. p. 15.

num, quæ inter Richterianas legitur. (*) Ipſe tamen Piccartus admirabatur Scherbium, nec pudebat eum a Scherbio diſcere, profeſſioni iam admotum. *Ego illum*, ſcribebat ad Hoffmannum (**) *interdum auoco, & quia uitæ eius omnino metuo, arcana quædam ſtupenda Viri huius ſapientiæ foras uoco, frontem egregie ponens, & pudorem. Nusquam enim rectius me poſiturum quam hic & hoc conſilio arbitror.* Quantos uterque in comparandis aduehendisque ex Italia Peripateticorum ſcriptis impenderit ſumtus, ex iisdem, quas laudaui, Epiſtolis ſatis ſuperque conſtat. Nec minoris Ariſtotelem fecit Sonnerus, Scherbii pariter diſcipulus, quem Iacobus Thomaſius, iure, meritoque *Ariſtotelicæ Philoſophiæ peritiſſimum in paucis uirum* nominat. (***) Tanti cum eſſent Ariſtotelis admiratores, quis, quæſo te, dubitauerit, quin inſignem pariter in uindicando Ariſtotele a Ramiſtis impenderint operam. Scherbii ſane integra exſtat pro Philoſophia Peripatetica aduerſus Ramiſtas diſſertatio. Taurello num inter hos locum dare debeam, dubius propemodum hæreo. Quamuis enim ad Schegkii quondam ſederit Tubingæ pedes, tamen in nullius ſe iuraſſe Magiſtri uerba profitetur, & Ariſtotelem iuxta ac eos, qui mordicus Ariſtoteli adhærent, non leuiter ſubiude notauit. Perſpicere hoc datur ex Alpibus Cæſis, in quibus

(*) pag. 579. (**) l. c. pag. 588.
(***) In Origin. Hiſt. Philoſ. & Eccleſ. p. 11.

bus Andr. Cæſalpini, Aretini, Quæſtiones Peripateticas ſub examen uocauit. Cuius ſui inſtituti in Præfatione, iisdem præmiſſa, hanc dedit rationem. *Et eo quidem uſu res accreuit: ut hæc Cæſalpiniana dogmata maiore apud noſtros fuerint in pretio: quam olim apud Græcos Apollinis oracula. Quid facerem? Tuli hæc indigniſſime.* Mirum Cæſalpinum ſua cuipiam potuiſſe approbare dogmata, quæ impietatem facile produnt, & ita ſunt comparata, ut omnem facile euertere religionem queant. Erant tamen forſan tum in Academia Altdorffina, qui Cæſalpinum uenerabantur. De Scherbio non obſcure id colligitur ex Epiſtolis Richterianis. (*) In eadem Præfatione maiori quam alii ferrent libertate itidem, quid de Ariſtotele ſentiat, expreſſit. Th. Bartholinus in Diatriba de Pulmonibus Sect. IV. p. 75. non uult ulla parte Taurellum iuuare, *quia uehementiores habet contra Peripateticos impetus.* Cæſalpinum uero, quem Taurellus perſtringit, *grauiſſimum* nominat. Sed audiamus Taurellum. *Huic altera*, inquit, (**) *noſtrorum hominum inſania ſimillima: qui ſeſe putant tum demum optime philoſophari, quando uel Ariſtoteli, uel Auerrhoi, uel D. Thomæ: aliiue cuipiam mordicus addicti, uel fraude, uel arte quiduis ad magiſtri ſui præcepta tuentur accommodate. Quaſiuero principii loco debeat haberi: quicquid is aſſerit: in cuius uerba iuraueris. Hæc nempe malorum*

(*) pag. 593. (**) pag. 23.

lorum nobis origo eſt: quæ nimia noſtrorum maiorum εὐήθεια noſtras in ſcholas inuexit. Vt quod tibi propoſitum eſt, obtineas: ſola tibi ſatis eſt unius Ariſtotelis auctoritas. Et (*) *Cum enim nulli ſectæ ſimus addicti: neque nos Auerrbois, neque Alexandri, neque ipſius etiam Ariſtotelis monet autoritas. Vt cuique aſſentiamur & probemus, id quod a ueritate ſit alienum.* Quid? quod de Ramo ita pronunciat. *Vt uero nihil ex Rami uel eius aſſeclarum ſcriptis didicerim: quibus ipſe nunquam ſum delectatus: cum uideamus tamen adeo felicem eius doctrinæ ſucceſſum, atque indies augeri eorum numerum: qui uel ſeſe aperte Ramiſtas eſſe profitentur: uel ſaltem a Rami dogmatibus non abhorrent: quis non flectatur, & de Ramo iudicare incipiat æquius? Liberum probo philoſophandi genus. Noui etiam in Ariſtotele reprehendiſſe Ramum: quod probandum non fuerat.* Et paullo poſt: *Quid ergo? Si Ramiſta non ſim: an me Peripateticum eſſe oporteat? An ab Ariſtotele nulla omnino ex parte recedere licebit? Ne puta me cuiusquam mancipium eſſe uelle. Si quod ex Ariſtotelicis dogma reiiciam: id ex ipſomet Ariſtotele: uel Ariſtotelica differendi ratione præſtabo, præceptisque analyticis: quæ non raro ipſemet neglexit Ariſtoteles.* Subiicit tandem. *Si toti pendeant ipſi ab unius Ariſtotelis ſententia: nos in rebus philoſophicis nullius hominis imperium agnoſcimus. Omne ius in rationibus eſt poſitum:*

(*) pag. 37.

tum: ut merito quantum iuris in ueteres fuit Ariſtoteli: tantum etiam in ipſum eius habeant poſteri. In Libris de Rerum Æternitate non minori cum παῤῥησία cum Ariſtotelem, tum Peripateticos perſtringit. Quantopere uero conſueta ſibi παῤῥησία eos offenderit, ipſe exponit in Epiſtola Dedicatoria, qua Libros iſtos Mauritio, Haſſiæ Landgrauio inſcripſit. *Neque*, inquit, *dubium nobis eſt, ſi Peripateticis adhærere uoluiſſemus, & idem ſapere, quod plerique omnes, quin maiore cum quiete, & ſecuritate, maiore etiam noſtro commodo emergere potuerimus.* Vti uero a prima iuuentute ſibi propoſuit errores patefacere, & refutare, quibus Ariſtotelicam ſcatere uidebat philoſophiam, & eos quidem maxime, qui noſtræ religioni Chriſtianæ aduerſabantur, ita totus in eo fuit, ut reformaret Philoſophiam iuxta chriſtianæ placita religionis, eamque & chriſtianam faceret. Quod a Morhoffio, Thomaſio, aliis, recentiori ætate improbatum, in Triumpho Philoſophiæ, quamuis non ſine multorum offenſione, ſe præſtitiſſe confirmat. De Triumpho namque illo magni nominis Peripateticus, ita ipſe tradit in Epiſt. Ded. paullo ante laudata, iudicauit, *non fuiſſe quenquam, qui ridiculum illum Triumphum tanti faceret, ut ei uel legendo, uel refutando tantillum tribueret temporis.* Ipſe etiam Schegkius, cum eundem legiſſet, Taurello ſcripſit. *Ingenium tuum probo ſed quod aduerſus Ariſtotelem id exercueris, non probo.* Interim tamen, ut alia taceam, minime omnium Chriſtianam

ſtianam ſapit philoſophiam, quando ea ſaltim, quæ nulla naturæ neceſſitate, ſed libero uoluntatis arbitrio geruntur, prouidentiæ diuinæ ſubiicere uoluit, reliqua uero, quæ naturæ commiſit, iis munitæ uiribus, ut eius mandata probe poſſet exſequi, diuinæ curæ ſubtraxit. Quod non ſcripſiſſet, uir cætera acutiſſimus, ſi naturam & cauſas conſeruationis diuinæ rectius perpendiſſet. Forſan etiam offendit uirum, quod conſeruationem hanc nonnulli *continuam* dicant *creationem.* Credidit ergo, ex horum mente conſeruationem ita fieri, quaſi Deus ſingulis momentis aliquid conderet. Vnde & in Præfat. antea laudata. (*) *Male*, inquit, *profecto*, *quisquis rerum creationem ab initio mundi conditi, ad eius usque finem extendit.* Sed enim hoc nemini in mentem unquam uenit, ſi ab Erhardo Weigelio recedas, qui recentiori ætate affirmauit, Deum ſingulis momentis, res extra ſe exiſtentes, quippe quæ ſingulis momentis exiſterent, & deſinerent, reſuſcitare, & quaſi ab interitu uindicare. Neque memini, Weigelium in ſuam quempiam pertraxiſſe ſententiam. Hoc ſcio, nuper admodum eandem proſcriptam eſſe a Leibnizio in Tr. Eſſais de Theodicée. (**) Interim ab Atheiſmo, cuius ſuſpicione apud nonnullos laborat, facile libero Taurellum, quem inſigniter quondam Marbachio commendauit Simon Sulcerus, apud Fechtium. (***)

E XXIV.

(*) pag. 30. (**) n. 384. (***) pag. 589.

XXIV.

Vtut uero a tantis paſſim oppugnarentur uiris, partibus tamen ſuis non deerant Ramiſtæ, ſed maſcule pro ueritate ſuæ Philoſophiæ propugnabant. Cornelius Martini nactus eſt aduerſarios Fridericum Beurhuſium, Conradum Hoddæum, & Heizonem Buſcherum, quorum ille Tremonianæ, iſte Gottingenſi, hic Hanoueranæ præerat ſcholæ. Hi Triumuiri Diſſertationem Martini, antea nominatam, ſingulis confutare conati ſunt Diſſertationibus, quæ iunctim Lemgouiæ. Anno cIↄ Iↄ XCVI. prodierunt. Idem fecit M. Anthonius Notholdus, qui in eandem Diſſertationem de Rameæ inſtitutionis principiis, & Natura Logicæ, conſiderationem edidit, *a Philoſophiæ Rameæ ſtudioſis in illuſtri Academia Iulia* inſtitutam. Quod licet fingat Notholdus, certum tamen eſt, habuiſſe etiam in illa Academia ſuos Ramum aſſeclas, ex quorum numero Caſpar fuit Pfaffradius. Cum interim Cornelius Martini his Philoſophiæ Rameæ ſtudioſis Programmate reſponderet, ipſis Kal. Ian. cIↄ Iↄ XCVII. propoſito, & Studioſæ Logices Iuuentuti inſcripto, Notholdus mox iſtud Programma cum Reſponſione Studioſorum Rameæ Philoſophiæ in Academia Iulia eodem anno recudi fecit. His acceſſit anno cIↄ Iↄ XCVIII. Eiusdem Diatriba Philoſophica, qua doctrina de Definitione & Diuiſione Dialecticæ, de notionibus primis & ſecundis, de argumentis inuentionis, & prædicabilibus, de Analyſi Logica Rameorum, de Metaphyſica,

phyſica, & Prædicamentis ad Philippi & Rami documenta reuocatur, ac iudicatur. Scripſit etiam in Cornelium Hermannus Nicephorus, qui in ſuis de Analyſi Logica libris ſubinde Cornelium uellicat, & quem de eodem argumento edidit librum, ſub examen uocat. In Epigrammate, quod non nemo his præmiſit libris, hæc in Logicæ Rameæ laudem

Magnus Ariſtoteles Logicus! non uilior illo
Ramus. at obſcurus magnus Ariſtoteles.
Ramus conſpicuo diſcentem tramite ducit:
Eſt breuis: Et breuitas hæc tibi cuncta aperit.
Nemo percipiet Logicam felicius artem,
Quam qui Rameam perdidicit Logicam,
Poſtea Ariſtotelis: non ut meliora; ſed illa,
Quæ uulgus nouit, tu quoque ſcire queas.
Cum ſtultis etenim ſtulteſcere tempora poſcunt;
Hoc apte quiſquis fecerit, ille ſapit.

Quod ſi tamen dicendum, quod res eſt, nimium, quam decebat, de Analyſi Logica Cornelii Martini detrahit, quam alii ſummis extollunt laudibus, & auream iure quodam ſuo appellitant. Philippo Scherbio Henningus Rennemannus obiecit Philoſophiæ Rameæ inſuperabile ſcutum, librum uel eo nomine commendandum, quod ſummatim exponit, quomodo Philoſophia Ramea ab aliis oppugnata, ab aliis defenſa fuerit. Neque ignotum eſt Io. Thomæ Freigii nomen, ne de aliis nunc dicam. Etiam ex Danis Andreas Kragius Rameas ſcholas & Defenſionem P.

Rami contra G. Liebleri calumnias, in Epitomen octo librorum Acroamaticôn aſperſas, dedit. Atque ſic tantum abeſt, ut repreſſi ſint Ramiſtæ, ut potius creuerint, ſcholasque cum maiores, tum minores occuparint. Lipſiæ Io. Cramerus, Organi Ariſtotelici Profeſſor, Dialecticam Rameam priuatim docuit, eamque ob cauſam, cum propoſito ſemper inhæreret, tandem A. cIↄ Iↄ XCI. officio Profeſſoris eſt exutus. Autor eſt Io. Hulſemannus, in Præf. Dialyſ. Apologeticæ (*) Vitebergæ pariter Ramiſtas fuiſſe, ex uerbis coniicere licet, quæ infra producam in medium. In Academia Roſtochienſi Thomas Rhædus, Scotus, commoratus eſt, contra quem Vindicias ſecundum ueritatem pro Ariſtotele, & ſanioribus quibusque Philoſophis Henningus dedit Arniſæus, Halberſtadienſis. Fallor? an huc quoque pertinet Balthaſar Menzerus, cui Calixtus φράσιν, modumque loquendi, a filio in Præfatione, Operibus præmiſſa, recte & ſaniori doctrinæ conformiter explicatum, *Chriſtus ſecundum humanitatem eſt DEVS*, tanquam *germen acuminis Ramiſtici* improperauit. Saue in Epiſtola Dedicatoria Anti-Crocio præmiſſa, inuehitur in Philoſophiam Scholaſticam, Ariſtotelis alumnam & ſobolem. *Inualuit*, inquit, *proh dolor! paſſim cacoëthes illud, ut flos ætatis Philoſophiæ ſcholaſticæ impendatur, in qua non tantum rerum Theologicarum & Philoſophicarum mixtura & confu-*

ſio

(*) pag. 8. 12.

ſio pernitioſa deprehenditur, uerum etiam barbara & inelegans loquendi ratio uſurpatur: cui gemino malo occurrendum eſt magno conatu, & imitandum D. Lutheri & Philippi Melanchthonis exemplum, ex Academia Vitebergenſi Scholaſticam illam & monachalem philoſophandi rationem prorſus exulare iubentium. Hoc ſatis eſſe potuit, ut Menzerus Ramiſtis accenſeretur. Erat enim Calixtus Philoſophiæ Scholaſticæ amans, & offenſus haud dubie liberiore, quod cum in pec. Epiſtola ad Wideburgum, tum in Anti-Crocio (*) de eius Epitome Menzerus dederat iudicium. Neque tamen & alii Theologi penitus abhorruerunt a Theologia Ramea. Ipſe Io. Gerhardus, in Methodo ſtudii Theologici (**) *non improbat, ſi collationis & methodi cauſa coniungatur Ramea* Philoſophiæ Ariſtotelicæ, quam reliquis præferendam ducit. Quam & conſilii ſui rationem Hamburgenſes habuerunt, qui, lege data, uoluerunt, ut in Gymnaſio Philoſophiæ pariter Rameæ haberetur ratio, *eiusque iuxta ac Ariſtotelicæ explicarentur termini.* Etenim Iacobus Reneccius, cuius haud dubie in erigendo Gymnaſio uſi ſunt conſiliis, Ramæam ſectabatur philoſophiam, eoque meruit, ut a Cornelio Martini, Philoſopho Helmſtadienſi, uehementer exagitaretur. Poſt Reneccium, qui primus ἐφορείαν celeberrimi Gymnaſii tenuit, munus profeſſoris Theologi delatum eſt Seuerino Slutero, quem

(*) Diſp. V. Theſ. II. (**) p. 132.

quem Ramiſtam facile probat Anatome Logices Rameæ, Anno R. S cIↄ Iↄ CVIII. cum Scholæ Stadenſis ageret Rectorem, edita. Neque ignotum eſt Ioachimi Iungii nomen, cui cum Io. Scharffio nonnullæ interceſſerunt controuerſiæ.

XXV.

Huc dum igitur de palma certabat cum Ariſtotele Ramus. Tandem uero ſuccubit, ceſſitque Ariſtoteli, qui in Academiis ſcholisque, etiam illis, in quibus antea audiebatur Ramus, priſtinum obtinuit locum. Conqueſtus ea de re iam A. cIↄ Iↄ c XXIV. Hermannus Nicephorus, in Præfatione, quæ libris de Analyſi Logica eſt præmiſſa, & cohortationem complectitur ad Rectores, cæterosque Præceptores Scholarum præcipue Weſtphalicarum. Poſtquam enim nonnulla de ſtudio Philoſophiæ Rameæ in Scholis Weſtphalicis, earumque apud alios celebritate adduxerat, non absque doloris ſignificatione, ſubiungit. *Sed quorſum nunc res Scholaſticæ noſtræ prolapſæ ſunt? Neſcio, quo fato iam pridem in antiquum tenebrarum chaos omnia ruere uideantur. Irrepunt enim in ſcholas paſſim cum applauſu Logici libelli (ne dicam de aliis) nugarum pleni, expellentes e poſſeſſione ſua contra ius fasque Logicam Rameam optimam, pulcherrimam, & ſimul uſum eius ut ampliſſimum, ita accuratiſſimum.* Quod cum uiderent alii, qui Ramum penitus abiicere nolebant, Ariſtotelem uero, priſtinæ reſtitutum dignitati, ſusque deque habere nec poterant, nec audebant, in id inprimis incubuerunt,

buerunt, ut uel Philoſophum philoſopho conciliarent, uel ex utriusque placitis σύςημα aliquod conficerent. Atque tum audita ſunt nomina Syncretiſtarum, & mixtorum Philoſophorum. Inter Syncretiſtas Rudolphus eminuit Goclenius, & inter mixtos Bartholomæus Keckermannus. Quorum utriusque nullam feciſſem mentionem, niſi & inter Noſtrates ad eorundem exemplum nonnulli eandem philoſophandi rationem fuiſſent ingreſſi. Goclenium uero *purioris Philoſophiæ* in Synodo Dordracena plus ſimplice uice nominari profeſſorem, mirari ſatis nequeo, cum notum ſit, quanti Ariſtotelem Theologi, ſic dicti, Reformati faciant. Ipſe Ramus non poterat obtinere munus profeſſorium in Schola Geneuenſi, quod Geneuenſibus *certum ac conſtitutum eſſet & in ipſis tradendis Logicis, & in cæteris explicandis Diſciplinis ab Ariſtotelis ſententia ne tantillum quidem deflectere.* Quod ipſi Ramo perſcribit Theodorus Beza (*) qui itidem (**) ſuum a Ramo diſſenſum diſerte profitetur. Rami *furioſa conuitia in demonſtrandi artem, quam non intellexit, nec aſſe* uult *emptitare* Gerh. Io. Voſſius (***) Quantæ contentiones inter duos Philoſophiæ profeſſores Geneuæ fuerint, quorum unus Ariſtoteli, alter Derodoni, ἀσπόνδῳ Ariſtotelis hoſti, adhærebat, in Epiſtola ad Bebelium narrat I. P. Spenerus. De

E 4 Anglis

(*) In Ep. p. 202. (**) Epiſtola XXXIIII. p. 197
(***) De Logices Nat. & Conſt. c. V. §. 7.

Anglis Chriſtophorus Arnoldus ad G. Richterum (*) *In priuatis Collegiorum Oxonienſium diſputatiunculis tantam Ariſtotelis auctoritatem eſſe aiunt, ut ſi quis opponendo eam infringere, aut uilipendere ſuſtineat, ſolidos quinque Anglicanos (hoc eſt Philippicum unum) ſoluere omnino teneatur. Profecto ſi tantam S. Scriptura, quantam Ariſtoteles, in Anglia grauitatem haberet, non tot Schiſmaticorum maledictis ſigeretur.* Interim, quod plerumque accidere ſolet iis, qui medii eſſe uolunt, Syncretiſtæ illi, & medii, nec Ramiſtis, nec Ariſtotelicis ſuos approbarunt conatus. Ramiſtis Pſeudo-Ramæorum appellantur nomine, quos eodem, quo Ariſtotelicos, proſequuntur odio. Equidem Ramiſtæ pariter ad præcepta Rami Peripateticorum adiecere diſtinctiones, quod & Seuerinus Sluterus in Anatome Logicæ Rameæ fecit, ſed non alio id fecerunt conſilio, quam *ut Rameis præceptis addicti*, recito Sluteri uerba, *Ariſtoteleorum terminos ſimul addiſcerent, cum doctiſſimi quique, qui ante Ramum uixerunt*, aliique eruditiores *iisdem in explicandis ſuarum facultatum principiis uſi ſunt*, De Secta Mixtorum Io. Scharffius (**) *Hinc alia Ramiſtarum ſecta orta eſt, quæ uocatur Miſta, ſeu Mixta: ſcilicet nomine fatali. Miſcet enim omnia in unum chaos, Ariſtotelem transformat in ramenta falſarii ſui Petri, hoc eſt, lucem*

(*) In Epiſtol. Select. G. Richteri p. 487.
(**) In Inſtit. Logic. p. 41.

cem in tenebras, cælum in terram, arborem in ramos, ut ſuo loco demonſtratur. Abrahamus Calouius (*) *Rameis, ut & mixtis ne delectentur, ſi Peripateticæ Logicæ informatione gaudere poſſint, quod conſilium quam ſalubre ſit, ipſi tum agnoſcent, cum diſcernere poterunt, quid diſtent æra lupinis.*

XXVI.

Debet Ariſtoteles renouatam hanc autoritatem principum inprimis decretis, quibus ex Academiis Ramæa proſcribebatur philoſophia. Lipſiæ Io. Cramerum ex numero Profeſſorum propter Ramæam, cui adhærebat, eſſe excluſum, ex Hulſemanno ſupra iam audiuimus. Idem autor eſt (**) per interdicta Pr. Electorum Saxonum Acti-

(*) In Pæd. Theolog. p. 111.

(**) In Præf. Dialyſ. p. 13. Verba legis, ita ſe habent: Von unlangen Jahren her iſt in dieſer Facultät eine beſondere Secte entſtanden / die man die Ramiſterey nennet / und damit umgehet / daß ſie den Ariſtoteliſchen Methodum docendi bey Gemach aufheben / und eine neue Art zu lehren einſetzen wolle ꝛc. Demnach ſo wollen wir / hiermit befehlende / daß die Ramiſterey von unſern Profeſſoribus in publicis lectionibus gäntzlichen vermieden und unterlaſſen werde / mit Verwarnung / wer dawider handeln würde / daß wir denſelben in gebührende Straffe nehmen laſſen wollen.

bus Ordinis Philoſophici inſerta, iterumque A. cIↃ IↃ CIII. confirmata, prohibitos eſſe Vitebergenſes, ne Rameæ ſe dent Philoſophiæ. Neque dubium, quin hoc exemplum ſecuti ſint alii. Vnde & Nicephorus, quem ſemel iterumque excitauimus, *Ea temporum iniuria eſt, ut neque precibus, neque rationibus, neque ullo modo alio ſtudium tuum ueritatis & publicæ utilitatis ſartum tectumque conſeruare queas, ſed & ui minisque depulſus ad placitum te potentiorum componas, ac ueritatem utilitatemque turpiter deſerere cogaris.* Commouebant uero uiros principes, ut eiusmodi promulgarent edicta, publicæ, priuatæque contentiones, quibus non raro decertabant uiri, ex una alioquin cathedra docentes. His enim dum indulgerent, uerendum erat, ne tempus, quo nihil pretioſius eſſe ſolet, ſine fructu tereretur, omiſſisque utilioribus ſtudiis, artium literarumque interitus, quem pridem ab eiusmodi Eruditorum contentionibus Maturinus metuit Simonius, accelerаretur. Implebantur etiam aulæ querelis, Rameo philoſophandi genere, nouis, quos nominant, terminis omnia confundi, turbarique, iuſtas ſolidioris methodi leges euerti, iuuenes ad diſceptandum minus reddi idoneos, metuendum, ne, ſuppreſſa per Ramæam Ariſtotelica, armis priuarentur noſtrates, quibus ad reprimendos ſuſtinendosque Loiolitarum inſultus opus ſit quam maxime. Parum enim abeſt, quin Georgio Hornio ſubſcribam, qui

Quæ

(*) *Quæ cauſa eſt*, inquit, *cur multi orthodoxi non alia de cauſa philoſophiam Ariſtotelicam rimentur, quam quod absque ea non poſſe cum Ieſuitis recte diſputari uideant.* Veram hanc eſſe cauſam, facile nobis perſuadet Io. Gerhardus, qui disertis uerbis (**) fatetur, *philoſophiam Ariſtotelicam præferendam eſſe reliquis, tum propter perfectiorem philoſophandi rationem, tum propter aduerſarios, cum quibus Theologo in arenam deſcendendum, illorum enim plerique Philoſophia Ariſtotelica utuntur, quandoque etiam abutuntur.* Addo neglectionem, qua Metaphyſicam plerumque proſequebantur Ramei. Hanc enim reliqui uel ex ea, ne de aliis dicam, ratione excolendam ſuadebant, quod Loiolitis, quos non immerito *Neo-Scholaſticos* appellaueris, uſitatum erat, omnia metaphyſicis, ut nominant, inuoluere terminis. Quam meam coniecturam inde confirmo, quod inprimis ſtudium Metaphyſices ab eo inter Noſtrates tempore florere ceperit, quo colloquium illud Ratisponenſe, cum Gretſero, Tannero, Hagero habitum eſt. Prudentia ſuadebat illam ſibi notam perſpectamque facere, in qua Loiolitæ tantum habebant collocatum præſidii, ne eandem ab aduerſariis ferrent reſponſionem, quam in colloquio Thorunienſi a Schonhoffio Io. tulit Bergius, θέσεως cuius-

(*) L. VI. H. P. c. IX. p. 315.
(**) In Meth. ſtud. Th. p. 132.

cuiusdam, de regula credendi, modo propoſitæ Scholaſtico, non ſatis aſſecutus ſententiam.

XXVII.

Proſcripto ex Academiis Ramo, non difficile erat, ex minoribus illum pellere ſcholis, quibus non alii ſolent præfici, quam qui in Academiis ſunt inſtructi, artibusque imbuti. In illis autem primum obtinebat Ariſtoteles locum. Hunc ſequebantur potiſſimum, hunc commendabant, ad eius mentem compendia philoſophica conficiebant, utut alii aliis tenacius, neque enim id diffiteor; eidem adhærerent. Equidem ex illa Academia, quæ pro Ariſtotele tantopere propugnauerat, imminebat aliquando Philoſopho, omnique, quoad ex ratione innoteſcit, philoſophiæ non leue aliquod periculum. Controuerſias innuo a Dan. Hoffmanno in Academia Helmſtadienſi de Philoſophia motas. Is namque Philoſophiam, quam olim ſummo in honore habuerat, tanquam opus carnis damnauit, & Theologiæ ſacratiori contrariam confinxit. Si, quod Gerh. Theod. Meierus, in Monumentis Iulicis (*) tradit, Caſpar Pfaffradius Hoffmannum in Philoſophos incitarit, uidetur huic controuerſiæ aliquid adhæſiſſe odii, quo Ramiſtæ, ex quorum numero iſte erat Pfaffradius, Ariſtotelicam Philoſophiam proſequebantur. Non paucos ex ſtudioſa iuuentutis corona, in ſuas pertraxit Hoffmannus partes. In his erant Io. Mullerus, &, quem

(*) pag. 24.

quem primo nominare debebam loco, Io. Angelus Werdenhagenius, qui plus ſimplice uice ſuum in Philoſophiam & ſigillatim Peripateticam, odium in Poematibus, ut nominat, Iuuenilibus declarauit. Adſcribam ſaltim quædam ex Ode IV. Libri V. Theodoro Coſterio, Bremenſi, inſcripta.

Iam nulla nugæ lumina cœlico
Verbo relinquent: Vndique latius
Extenta uiſetur ſtageiræ
Barbaries, ſophiesque cura.
Euincet omnes ingenii ſui
Vires, uelut mox imperium ſibi
Grande arrogabit, tot tumeſcens
Cultibus aſſiduis Catonum.
Serpet malum iam longius in ſui
Vigore curſus, quando academias
Occæcat omnes, & potentem
Diſſimilat tenebris nitorem.
Incauta gens ſic, & iuuenum genus
Dulci ſophorum decipitur ſono
Paſſim, quaſi mentis profani
Semi Deos generent labores.

Quid? quod nonnullos ſibi addictos habuerit in tanta conſtitutos dignitate, ut illis, qui Cornelio Martini, & Io. Caſelio adſtipulabantur, aditus ad officia, & dignitatem muneris ſacri uel omnino intercludere, uel difficillimum ſaltim reddere poſſent. Quæ cauſa fuit, quamobrem Bartholdus Nihuſius, de fortunis ſuis nimis ſollicitus,

licitus, nomen Cornelii Martini ex carmine expunxerit, quo eidem Diſputationem gratulatus erat Rudolphus Diepholdius, *ne id ſibi apud μισολόγȣς καὶ μισοσόφȣς inſcitiæ patronos*, hæc ſunt Calixti uerba (*) *fraudi eſſet.* Renouauit controuerſiam Wilhelmus Schillingius, cui ſuppetias quaſi tulit Io. Schraderus, ſummus Werdenhagenii amicus, & admirator. Circa ea tempora Valentinus Weigelius, & ſocietas Roſæcrucianorum innotuit, quorum in eo poſitum erat ſtudium, ut nouam Theologiam, & Philoſophiam, eamque Aſtrologizatam, proſcripta uetere, inueherent. Pro Roſæcrucianis uindicias, ficto nomine, Robertus dedit Fluddius, e cuius ſcriptis Waltherus, Koberus, artis ſalutaris Doctores, portenta compilaſſe dogmata dicuntur, quæ cum ſuæ famæ ac exiſtimationi metuerent, ſub Iacobi Boehmii nomine, ut quorundam fert perſuaſio, in lucem prodire iuſſerunt. Accedebant & alii, qui, ζηλώσαντες ȣ̓ κατ' ἐπίγνωσιν, in Philoſophiam, artesque iuxta ac ſcientias inuehebantur, ut pietatis reuocarent ſtudium. Imitari uolebant Io. Arndium, Virum pietati ſerio deditum, qui tamen eo, ut artium contemneret ſtudia, nunquam eſt prolapſus. Huc pertinet Melchior Brelletus, iis merito annumerandus, qui cauſæ Arndianæ nocuiſſe magis, quam profuiſſe cenſendi ſunt. Is noſtrates dicit Theologos *profana ſua Theologia non iam Pontificios tantum*

(*) In Digreſſ. de Arte Noua p. 131.

tantum, ſed Iudæos etiam æmulari. Nam ſicut illi Barabam Chriſto, ſic hos Ariſtotelis Ethicam Arti uiuendi ex Chriſto & Euangelio deſcriptæ anteferre, illi locum in Academiis aſſignare; hanc cum ſuis Autoribus pro populo damnare. Quæ cenſura ſua notauit Iac. Werembergius.

XXVIII.

At enim horum conatibus fortiter ſe obiecerunt alii. Danieli Hoffmanno Io. reſtitit Caſelius, politiorum literarum ea ætate uindex ac ſtator egregius. Cum hoc, quem Hoffmannus *pro hæretico*, ut Meierus tradit, (*) haberi uoluit, Cornelius Martini, Duncanus Liddelius, Owenus Guntherus, alii faciebant, Caſelianorum appellati nomine. Acceſſit pariter Albertus Grawerus, qui in libello, de Vnica Veritate, Hoffmanni ſententiam iuſtis rationibus profligauit. Et Hoffmannus quidem ita cauſa cecidit, ut Declaratione, publice propoſita, errorem agnoſcere iuxtaque retractare debuerit. Sic liticula, ab Hoffmanno excitata, nubecula erat, cito tranſitura, quæ neque artium, neque Peripateticæ Philoſophiæ ſplendorem obſcurare poterat. Schillingium & Schraderum Iacobus Martini, & integer ordo Theologorum, in Academia Vitebergenſi, repreſſerunt, ad quem ſponte Schillingius cauſam detulerat. Scripta, a Theologorum Ordine in hoc argumento confecta, in Conſiliis continentur Vitebergenſibus. (**) Iacobus autem

(*) In Mon. Iul. p. 8. (**) P. I. p. 817. ſqq.

autem Martini Rationis edidit ſpeculum, lingua uernacula conſcriptum, in quo uſum, uiresque rationis, a defectione primorum parentum, in poſteris ſuperſtites, fuſiſſime declarat. Negabant enim, ineſſe rationi aliquam uim, citra reuelationem diuinam, aliquid ueri, de DEO, aſſequendi. Non ergo leuis momenti erat controuerſia, ſed digna omnino, quæ iuſtis excuteretur rationibus. Neque exiſtimandum, de ſola tum, ut nonnulli, controuerſiæ iſtius penitus ignari, ſibi perſuadent, diſceptatum eſſe Metaphyſica, quam Schillingius Concionibus ſuis, Metaphyſicalibus, in Mamphraſii, Mayero iudice (*) contemtum compoſitis, exagitauerat. Volebant una cum Metaphyſica omnem de Deo notitiam, rationis beneficio hauriendam, proſcribere. Quid? quod uetuſtiores in Metaphyſicis de Deo, egerint, Ariſtotelis legentes ueſtigia, quem per *ens*, ut *ens*, quod in Metaphyſicis contemplabatur, ens primum, ſiue ſubſtantiam primam, Deum puta, intellexiſſe Sonnerus, Iac. Thomaſius, alii, pridem obſeruarunt. Et primus, qui Pneumaticam a Metaphyſicis ſeorſim pertractauit, Io. Scharffius eſſe creditur. Quod ego tamen affirmare nolim, cum uideam, iam ante Scharffium alios, & in his Alſtedium, ſolam Οντολογίαν, poſthabita Pneumatica, in Metaphyſicis perſequi.

XXIX.

(*) In Præfat. ad Rumpæi inſtit. Metaph.

XXIX.

Sic tandem & hanc σύῤῥαξιν feliciter ſuperauit Ariſtoteles, & ita quidem ſuperauit, ut in eodem, quo antea, fuerit pretio. Helmſtadi, ubi turbæ in Ariſtotelem ſunt excitatæ, a ſuis partibus habuit Horneios, Froelingios, Rixneros, Conringios, Rachelios, qui modo hanc, modo aliam philoſophiæ partem ad mentem Ariſtotelis interpretati ſunt. Horneius Compendium Dialecticæ confecit, quod Notis illuſtrauit Dan. Stahlius. De Philoſophia eius Morali iam ſupra audiuimus. Politica ex mente Ariſtotelis explicuit Conringius, qui itidem in laudes Ariſtotelis Orationes ſcripſit, a Morhoffio laudatas (*) Sam. Rachelius libros Ethicorum ad Nicomach. edidit, præmiſſa Introductione in uniuerſam Philoſophiam Moralem. Neque ipſi ſuis modo lucubrationibus, ſed & alienis, quas recudi fecerunt, bene de Ariſtotele ſunt meriti. Viotti quinque libros, de Demonſtratione, ad Ariſtotelis mentem conſcriptos, Froelingius, præmiſſa Conringii τȣ πάνυ præfatione cum Germanis communicauit. Ex eadem pariter Academia accepimus Petri Io. Nunneſii Peripateticæ Philoſophiæ Inſtitutionem, & Ariſtotelis Vitam, ab Ammonio, ſiue potius Philopono conſcriptam, & Petri Io. Nunneſii locupletiſſimis ſcholiis explicatam. Neque ſe ſegniores in laudando, legendoque ac interpretando Ariſtotele præbebant

 alii.

(*) In Polyh. T. II. L. I. c. XI. p. 64.

alii. Io. Conr. Dannhauerus, *felicem illum* prædicat diem, quo Ariſtotelis organon ad manus ſumpſit, (*) cuius tamen defectus ipſe ſubinde, non inuitus, agnoſcit, & in Idea Boni Interpretis ſupplere uoluit. Vir aliquis magni nominis, quod ſæpe, multumque audiui, in ore habuit, Ariſtotelem ὄργανον ſuum θεοπνεύςως ſcripſiſſe. Quod καταχρηςικῶς pronunciatum ea haud dubie ratione intelligendum eſt, qua eius animum diuina quaſi inflammatione commotum dicimus, qui rem egregiam molitur, feliciterque perficit, a nemine antea tentatam. Hulſemannus anno MDCXLIX. quo Dialyſin Apologeticam Chriſtiano Ludouico inſcribebat, palam confeſſus eſt: *nusquam Præceptorum Ariſtot. elementa græca diligentius inculcari ſtudioſæ iuuentuti, atque in ſcholis & Academiis Saxonicis, atque cumprimis in hac Lipſienſi obſeruatum fuit hactenus, hodieque pertinaci religione obſeruatur: ut neque primæ Laureæ, neque Magiſterialis tiaræ Candidati admittantur ad ambitos honores, niſi Definitiones Logicas, Rhetoricas, Phyſicas, Metaphyſicas, Ethicas, Politicas, Mathematicas, gentilibus & uernaculis Philoſophi uerbis, id eſt, græcis, ſine hæſitatione poſſint reddere.* (**) Vitebergæ Ariſtotelis Philoſophiam complexi ſunt Martini, Wendeleri, Scharffii, Trentſchii, ſelectu tamen aliquo uſi. Neque enim illa Academia

(*) In Id. Bon. Diſp. Sect. I. Art. III. p. 26.
(**) Vid. Præf. p. 7. 8.

mia ita mordicus adhæſit Ariſtoteli, ut omnia Ariſtotelis δόγματα ſua pariter faceret, nullaque in re ab Ariſtotele recederet. Quamuis enim Ariſtotelem reliquis facile præferret philoſophis, tamen libertate quadam philoſophandi, inde a Melanchthonis temporibus eſt uſa. Teſtem ſiſto Io. Scharffium, qui alioquin Ramiſtas, Ariſtotelis hoſtes, paſſim oppugnauit. *Relictis*, inquit, *ergo aliis ſectis nos id operæ dabimus, ut in ſecta Peripateticorum, nec non in Platonis doctrina omnia probemus, & quæ bona ſunt retineamus, uera ſeligamus & utilia, erronea uero & ſcrupuloſa, aut ſpinoſa non neceſſaria, poſtponamus & repudiemus. Amicus Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica ueritas. Hæc præ amicis honoranda, uti ipſe Ariſtoteles grauiter monet lib. I. Eth. cap. 4.* ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, *ſanctum eſt ueritatem honorare. Nemo igitur nobis uitio uertet, ſi ob amorem ueritatis nonnunquam receſſerimus ab Ariſtotele, eiusque ſequacib. præſertim in phyſicis, ubi palpabiles habet errores, ut alibi edocuimus.* (*) Quam ob cauſam Calixtus aliquando Ariſtoteli forſan, exemplo Cornelii Martini, Præceptoris ſui, addictior, Vitebergæ omnia peruerti & innouari, nihil emendari ſcripſit. Vagari illum innouandi pruritum, facto a Grammatica initio, per Logicam, reliquasque diſciplinas, & in ipſa deſinere Theologia. Tenacius adhæſerunt Ariſtoteli Ienenſes, Altdorffini, Regiomontani. Et

F 2 qui-

(*) In Inſtitut. Logic. p. 38.

quidem ex Ienenſibus Io. Zeiſoldus Conſenſum ſcriptorum Ariſtotelicorum cum S. Scriptura in illis, quæ ex lumine naturæ innoteſcunt, confecit. Balthaſar Cellarius Epitomen Theologiæ Philoſophicæ, ſeu naturalis ex Ariſtotele, & libro de mundo in eadem Academia non ſine plauſu Doctorum concinnauit. Tanti igitur cum fieret Ariſtoteles, inuenti etiam ſunt, qui Introductiones & Iſagoges in Ariſtotelem adornarunt. Quod Melchiorem Zeidlerum, & Michaelem Piccartum, quorum ille Regiomonte, hic Altdorffi philoſophiam profitebatur, feciſſe conſtat. Qui labor ideo ſuſcipiendus erat, ut lectio ſcriptorum Ariſtotelis, ſumma paſſim obſcuritate, cuius Nunneſius explicauit cauſas, laborantium, facilior omnino redderetur. Annon uero aliquando in eiusmodi ſcriptis multa aliter, quam debebant, ex aliqua amoris erga Ariſtotelem abundantia ſint perſcripta, id aliis iudicandum relinquo. Qui enim Ariſtotelem cum Scriptura conciliare ſatagit, illum oportet in plurimis capitibus aliam tribuere Philoſopho mentem, quam ipſe, dum in uiuis erat, fouit. Nonne torquendus eſt Philoſophus, ſi quando idem cum Scriptura de rerum initiis, ac conſeruatione, de unitate Dei, de Dæmonibus, de anima affirmaſſe dicitur. Non ſufficit adduxiſſe uerba, quæ ſpeciem conſenſionis cuiusdam cum diuinioribus literis habere poſſunt, ſed uidendum, adhibita in ſubſidium συναφεία, excuſſoque integro ſententiarum, cum a Scriptura, tum ab Ariſtotele

pro-

propoſitarum, *συςήματι*, num idem utrobique ſit ſenſus. Hic ſolus conſenſum efficit, quem uerba non ſemper præſtant. Quid? quod non raro literæ diuiniores detorqueantur, ut ſenſum fundant, Ariſtoteli conformem. Eleuanda erant principia innata, omnisque, quam Paulus admittit, notitia, ut nominatur, inſita. De his enim nihil habet Ariſtoteles, qui ſibi animam, ut nudam concipit tabulam, & omnem cognitionem ab ſenſibus deriuat. Proſcribenda erat tradux, quam itidem Ariſtoteles ignorat, cui *νȣ̃ς θύραθεν ἐπεισιέναι* dicitur. Vnde & ad Ariſtotelis ſe recipit autoritatem Theodorus Beza in peculiari de Origine animæ Epiſtola, quam Diſſertationi de Spiritus humani ortu totam ſubiunxit Io. Iac. Grynæus. (*) Equidem non ignoro, eſſe nonnullos in ea ſententia, non aduerſari Ariſtotelem traduci. Quod peculiari ad Simonem Bornmeiſterum epiſtola Io. Durrius, & ante eundem Ordo Theologorum in Academia Argentoratenſi, in Epiſtola (**) ad Dan. Sennertum, allatis ex Ariſtotele teſtimoniis, euincere uoluit. Sed enim non uidentur obſeruaſſe, *νȣ̃ν* ex Ariſtotelis mente diſtinguendum eſſe *ἀπὸ τῆς ψυχῆς*, de qua teſtimonia illa maximam partem loquuntur. Sed nec illud reticendum eſt, quod

(*) P. II. Diſſert. p. 444. In libro Epiſtolarum Th. Bezæ non exſtat.

(**) Quam inſeruit ſententiis de Origine & Natura Animarum in Brutis p. 107.

nonnunquam dogmata Theologica, ad uoces Ariſtoteli uſitatas, dicamne reformare, an informare conentur. Eius tenoris erat controuerſia, quæ Regiomonte recentiore ætate, fuit diſceptata de Infinitate, num ea uere, proprieque Deo competeret. Hoc enim Philoſophi negabant, propterea, quod iuxta Ariſtotelem infinitum de magnitudine ſaltim & multitudine, quarum utraque uere, proprieque in Deum non cadat, deprehendatur. Quare Deum malebant *immenſum*, quam *infinitum* dicere.

XXX.

Mirum uero non eſt, hanc Ariſtotelem ſuperaſſe *σύῤῥαξιν*, propterea, quod debita eruditione, aliisque præſidiis ad tantam rem perficiendam neceſſariis, deſtituerentur plerumque illi, qui eius erant autores. Grauior ergo ille fuit impetus, quem uiri, ingenio, doctrinaque præſtantes, in Ariſtotelem fecerunt. Hi enim, cum ſeruile reputarent, liberalibusque indignum mentibus, ab unius hominis pendere autoritate, neque ſibi perſuaderent, ita iam omnia ab Ariſtotele eſſe confecta, ut nihil amplius deſiderari poſſet, ipſi rebus meditandis ſe accinxerunt, ſuumque, ab Ariſtotele, nouis propoſitis ſententiis, teſtati ſunt diſſenſum. Occaſionem ni totus fallor, Baconus de Verulamio, feliciſſimi uir ingenii, dedit, qui modum & rationem præiuit primus maiori, quam antea, ſtudio philoſophiam pertractandi. Huius igitur excitati conſiliis primum in Ariſtotelem impetum pertulerunt Phyſici.

ſici. Suaſerat Verulamius, ut in Phyſicis explicandis experimenta, quæ nominant, in ſubſidium uocarent. Atque hoc commendatum ſibi habuit Daniel Sennertus, qui primus forſan ex Germanis penitius, quam antea quisquam, rimatus eſt Phyſicam. Duo ille conſtituit ueritatis inueſtigandæ principia λόγον puta, & πεῖραν, quorum hæc præcedere, ille rem inuentam probare, ſtabilire, confirmare deberet. Hinc nec ſibi religioni duxit Ariſtotelis deſerere opiniones, aliasque in medium afferre, rationi ac experientiæ magis conformes. Rationem inſtituti in Proemio, Hypomnematibus Phyſicis, præmiſſo ita exponit. *Etenim nec in temerariorum illorum Nouatorum, ſeu Paracelſiſtarum, ſeu Chymicorum, ſeu alio nomine ueniant, qui antiquam Philoſophiam, quæ Ariſtotelis præcipue ſcriptis ad nos peruenit, e ſcholis plane eliminare conantur, numero eſſe uolui: nec tamen iis etiam accenſeri, qui noſtro ſeculo publice profiteri non erubuerunt, ſe malle cum Ariſtotele uel Galeno errare, quam cum Recentiorum aliquo uerum dicere.* Et paullo poſt. *Sit Ariſtoteles homo de uniuerſa ſapientia humana præter ſupraque cæteros omnes bene meritus; ſit ſapientiæ noſtræ pater & Dux; ſit ſummus Dictator ſapientiæ; ſit ſummus Philoſophorum Imperator; ſit Philoſophici regni, ſapientiæ, laudis literariæ Aquila, ſit ueritatis Hercules, princeps, tribunal, ſit Philoſophorum Numen; ſit denique uir omni laude maior, omnique calumnia potior: ueritatis tamen norma, nec ipſe nec ullus*

mortalium conſtitui poteſt. Ex Germanis uix aliquis litem mouit Sennerto, ſi a Io. Zeiſoldo, Profeſſore Ienenſi recedas, qui Sennerti ſententiæ, *de formis in prima creatione rebus a Deo inditis, ſuique multiplicatiuis*, quæ Traducem ſecum ferebat, contradixit. Inter exteros uero Io. Freitagius, artis ſalutaris in Academia Groningenſi Profeſſor, in Sennertum, tanquam nouæ ſectæ, Sennertiano-Paracelſicæ conditorem, qui Ariſtotelis & Galeni, indubitatæque ueteris Philoſophiæ ueritatem euerteret, & impiis ſimul opinionibus ſacroſanctamChriſtianorum fidem conſpurcaret, inuectus eſt. Quam rem indigne tulit Sennertus, & Theologorum iudiciis, quibus a blaſphemiæ, & hæreſeos crimine, a Freitagio ipſi intentato, abſolutus eſt, ſubiecit. Egit tamen Sennerti cauſam Io. Sperlingius, qui utrique Zeiſoldo, & Freitagio reſpondit. Confecit etiam conformiter principiis Sennertianis Inſtitutiones Phyſicas, *quas in plerisque Germaniæ ſcholis receptas, & canonis inſtar diſcentibus explicatas fuiſſe*, ex uero tradit Chriſtianus Vaterus. (*) Scriptæ namque ſunt plano dicendi genere, ſibique per omnia conſtant, & inutiles illas ſubtilitates, quibus Scholaſtici Phyſicam fecere obſcuram, neſciunt. Obſeruant uero nonnulli, nimis illum qualitates occultas crepare, & experimentis iuſtis, idoneisque deſtitutum fuiſſe. Neque dubium eſſe poteſt, quin Phyſicam multo perfectiorem

(*) In Præf. Phyſiolog. proœm. p. 4.

orem potuiſſet reddere, ſi animum ad recentiorum applicuiſſet φιλοσοφήματα. Quod tamen ideo, ut ex aliis plus ſimplice uice audiui, recuſauit facere, ne forſan, aſſumta quadam noua opinione, imprudens illam læderet conformitatem, & ἀναλογίαν, qua omnia cohærere, ſibique in Inſtitutionibus Phyſicis reſpondere credidit. Qua in re officium Philoſophi neglexiſſe uidetur, qui omnia deguſtare, optima quæuis ſeligere, & uel ſua, ſi opus habent, emendare, uel erronea, quæ apud alios deprehenduntur, confutare omni cura, ſtudioque debet. Quicquid interim huius ſit, certum tamen eſt, hac ratione, præparatos eſſe Germanos, ut recentiorum pariter conſulerent ſcripta, nec Ariſtotelem, tanquam oraculum aliquod, ſequerentur unice. Tum enim Gaſſendus, Carteſius, Digbæus, magna inter Philoſophos nomina, ſurgebant, quorum primus extinctam pridem, eandemque Epicuræam, reuocabat, alter nouam meditabatur, ultimus Peripateticam nouo habitu induebat. Atque hi mox aliorum accenderunt ſtudia, ut uix ulla ætas feracior fuerit inuentionum, atque obſeruationum phyſicarum. Etſi uero Digbæus Ariſtotelem uiſus ſit ſequi, Thomasque Anglus ad eius adeo mentem Inſtitutiones Peripateticas confecerit, non tamen tot, quot Carteſius, inuenit aſſeclas. Cuius rei hanc ego puto fuiſſe cauſam, quod Digbæus, non diffitente Thoma Anglo, (*) *ab altiſſimis*

(*) In Sec. Præfat. ad Demonſtrat. Immortal. Animæ. Membr. III.

tiſſimis naturæ confiniis, qua Metaphyſica eſt alligata, initium, fecerit. Quo pacto difficilior paullulum eius reddebatur philoſophia, ſiquidem non omnes Metaphyſicas præceptiones, quæ ingenium poſtulant, præciſionibus faciendis adſuetum, aſſequuntur. Sed & Gaſſendum multitudine aſſeclarum ſuperauit Carteſius, cuius *Philoſophia ita placuit huic ætati*, recito P. D. Huetii uerba (*) *hominumque etiam acutiſſimorum animos nouitate ſua ita cepit, ut præ ea pene iam obſoleuerint reliquæ philoſophorum diſciplinæ.* Quæ de nouitate affert Huetius, qua ſe commendauit philoſophia Carteſiana, ea infra (**) ita explicat. *Lapſu demum temporis, ut fit, ſectæ huius*, de Ariſtotelica loquitur, *tricas pertæſi, ad eamque quaſi nauſeantes, quæ primæ in hoc faſtidio obiectæ ſunt ipſis offæ Carteſii, tam iucunde ipſis ſapere uiſæ ſunt, ut iis ſeſe ingurgitauerint largiter, omnemque aliam ingenii paſtionem reſpuerint. Hos alii, nihil niſi alienis oculis ſpectare ſoliti, pecudum ritu ſecuti ſunt. Quidam acutiores, at parum candidi, partium ſtudio ducti, Carteſianos ſe profeſſi ſunt; non quod doctrinam hanc probarent, ſed quod eam probare uideri, conducibile ſibi putarent.* Equidem non nego, magnam eſſe nouitatis uim & gratiam, multasque res nouitate ſaltim ſe commendare, cum alioquin uix tantiuis ſint pretii. Videtur tamen mihi Huetius partium hic

(*) In Præf. ad Cenſur. Phil. Cateſ. §. I.
(**) Cap. VIII. §. II.

hic duci ſtudio, nec candorem præſtare, philoſopho, nedum Theologo, dignum. Faſtidium forſan tricarum, quas nominat, philoſophiæ Ariſtotelicæ tantum ea ætate haud erat, quantum Huetius id fuiſſe contendit. Si aliquod fuit, pauciſſimorum ſaltim occupauit illud animos, maxima orbis, qua philoſophatur, parte pro Ariſtotele, tanquam philoſophorum maximo, faciente. Neque primæ in hoc faſtidio obiectæ ſunt ipſis offæ Carteſii. Vno enim, eodemque fere tempore triumuiri, antea laudati, noua propoſuerunt φιλοσοφήματα. Eccur igitur, miſſis Gaſſendo, ac Digbæo, plerique Carteſium ſunt ſectati? Quod ſi quis ex rei ueritate pronunciare uelit, is, neceſſum eſt, fateatur, præter nouitatem, multa dari in Philoſophia Carteſiana, laude ſua non defraudanda, & ita omnino comparata, ut eandem ſerio philoſophantibus gratam facile, acceptamque facere potuerint. Neque ullus dubito, quin plures conſecuta fuiſſet fautores, ſi modo ſuos intra ſe continuiſſet limites, neque in Theologiam, rationis captum longiſſime ſuperantem, inuolaſſet. Ita namque ſuſpecta mox facta eſt Theologis, quibus cura ſaniorem conſeruandi doctrinam, ex diuinioris legis præſcripto, incumbit. Docebant Carteſiani, quod ipſe iam incruſtauerat Carteſius, (*) Scripturam, quam in ſententiis quibusdam phyſicis,

(*) In Reſponſ. ad Obiect. ſecundas p. m. 66.

ſicis, Mathematicisque ſibi habebant contrariam, φαινομένως ſaltim res deſcribere iſtas, ac ad erroneum uulgi captum ſe accommodare. Qua ratione omnis diuiniorum literarum eleuatur autoritas. Κριτήριον, quod iactitabant, eruendi, inueniendique ueritatem, detrimento erat rebus Theologicis, quæ ſciri nequeunt, ſed propter Dei reuelantis autoritatem, credi debent. Ecquis, quæſo te, admiſerit tremenda doctrinæ Chriſtianæ μυςήρια, ſi nihil ante eſt admittendum, quam clare illud, perſpicueque cognoueris? Ita Scriptura ad rationis exigenda erit ductum, ſenſusque poſt habendus, quem illa alioquin, dato συμβιβασμῷ, de ſe fundit. Hoc uolebat liber, Philoſophia Scripturæ interpres, cuius Autor, Ludouicus fuit Meyerus, artis ſalutaris in urbe Amſtelodamenſi Doctor. Ludouicus Wolzogius, peculiari quidem hunc confutauit ſcripto, ſed euentu id confecit minus felici, cum in eodem, quo Meyerus, hæreret luto. Ex eodem pariter fonte, Hermannus Alexander Roëllius quæſtionem mouit, de τȣ̃ λόγȣ generatione, quam contra diuiniores literas, ueram ille, proprieque talem inficiatus, coexiſtentiam, eandemque æternam, absque omni τȣ̃ λόγȣ a Patre proceſſione, loco generationis ſubſtituit. Quod pluribus declarare poſſem, niſi id Chriſtianus Hugueninus in Chriſtiano feciſſet Ratiocinante. Præter Theologos etiam id offendit alios, quod Carteſiani literas, ad humanitatem ſpectantes, non eo, quo debebant, ſtudio exco-

excolerent. Conqueritur ea de re in Epiſtola ad Io. Frid. Gronouium Mericus Caſaubonus, (*) & poſt eundem P. D. Huetius. (**) Aliis uiſa eſt Carteſii philoſophia ſublimior, quam ut capi poſſit. Confitetur Th. Bartholinus, *mentem ſuam nimis anguſtam ad omnium illius*, Carteſium intelligit, *ſecretorum cognitionem.* Totum, quod de Carteſio dedit iudicium meretur legi in Diatriba §. 7. de Pulmonibus. (***)

XXXI.

Alterum in Ariſtotelem impetum iuris naturæ doctores fecerunt. Grotius quidem, qui primus hoc Ius in artis formam redegit, ſua Ariſtotelem laude non defraudauit. In Epiſtola ad Beniamin. Aleterium Auberium Maurerium, A. cIↄ IↄcXV. perſcripta, & Hermanno Conringio digna uiſa, quæ Naudæi Bibliographiæ Politicæ ſubiungeretur, *utramque*, inquit, Philoſophiam puta Moralem, ac Ciuilem, *ſi quidem non guſtare uis, ſed haurire penitus, ipſe tibi ſummus docendi artifex legendus Ariſtoteles erit.* Eidem poſt ea tempora *principem merito inter Philoſophos* deberi *locum* confeſſus eſt, *ſiue tractandi ordinem, ſiue diſtinguendi acumen, ſiue rationum pondera conſideres.* (****) Conqueritur tamen, *abiiſſe principatum aliquot abhinc*

(*) In Epiſt. quas Iſaaci ſubiunxit Almelouenius p. 17. (**) In Cenſ. c. VIII. §. 7.

(***) Sect. V. p. 84. ſqq. (****) In Proleg. in Libr. de I. B. & P.

abhinc ſeculis in tyrannidem, ita ut ueritas, cui Ariſtoteles fidelem nauauit operam, nulla iam re magis opprimatur, quam Ariſtotelis nomine. Hinc more inſtitutoque ueterum Chriſtianorum in nullius ſeſe Philoſophorum ſectam iurauiſſe confirmat, ipſumque notat Ariſtotelem, qui naturam ipſam uirtutis in mediocritate affectuum, actionumque poſuerit. Quid multa ? *Nobis*, inquit, *propoſitum eſt Ariſtotelem magni facere, ſed cum ea libertate, quam ipſe ſibi in ſuos magiſtros ueri ſtudio indulſit.* Qua libertate philoſophandi id, credo, conſecutus eſt Grotius, ut Romæ libri de I. B. & P. indici librorum prohibitorum adſcriberentur, inque ipſa Gallia, ubi tum uiuebat, minoris æſtimarentur. Tum enim tanti fiebat Ariſtoteles, ut, qui eius philoſophiam deſerebant, digni haberentur animaduerſione. Exempli loco afferri ex Launoio (*) poterit Cenſura iuxta & ſententia, quam in Antonium Bitaudum, Antonium de Villon, & Stephanum de Claues *propter theſes quasdam contra Ariſtotelis doctrinam, communiter receptam, euulgatas*, cum Ordo Theologorum Pariſienſium, tum Senatus Pariſienſis, anno cIↄIↄcXXIV. tulerant. Quare cum proximo abhinc anno ſuos Grotius libros emitteret, fieri aliter non potuit, quin eorum ſibi contraheret indignationem, qui in Ariſtotelem quaſi iurauerant. Neque, opinor, errauerim, ſicubi eam ob cauſam Ariſtotelem a Grotio lauda-

(*) De Var. Ariſt. Fort. c. XVI.

laudatum dixero, ne indignationem, quam facile præuidebat, experiretur maiorem. Poſt Grotium uires ſuas in hoc ſtudiorum genere periclitatus eſt Thomas Hobbeſius, quem Epicuro magis, quam Ariſtoteli, fauiſſe conſtat. Vtrumque ſecutus eſt Samuel Pufendorffius, de cuius in Ariſtotelem animo, Specimen Controuerſiarum, Commentatio ſuper inuenuſto Veneris Lipſicæ pullo, aliaque ſcripta ſatis ſuperque loquuntur. Meditatus etiam eſt Commentarium de Politica Græcanica, in quo perſequi uolebat *dogmata Politica a Græcis ſcriptoribus, cumprimis Platone, & Ariſtotele tradita, & in autores deinceps Romanos ac huius quoque ſeculi ſcholas ſcriptoresque diffuſa, e quibus non pauca abſurda ac erronea, alia turbas ac conuulſiones ciuitatum parere apta inueniuntur. Quale opus,* ita inquit, (*) *in os ingeri cumprimis expediebat illis, qui adhuc pro tuenda decrepiti Ariſtotelis autoritate coniurationes inire narrantur Catilinariæ ſimiles, niſi quod fratribus ſacramento adſtringendis non cruor ſanguine miſtus, ſed cereuiſia fecibus turbida pateris circumlata ſit.* Meminit etiam huius operis in Specimine Controuerſiarum, (**) ſed nunquam, niſi me memoria fallat, adſpexit lucem. Multi tum in Pufendorffium ſtrinxere calamos, Schwarzius, puta, Beckmannus,

(*) In Præfat. alteri editioni Libri de Iure Nat. & Gent. præm.
(**) Cap. I. §. 4.

nus, Valentinus Alberti, Iuſtus Geſenius, Veltbemius, Scharſchmidius, Zentgrauius, alii. Ipſe Pr. Elector Saxonum nouitatibus, ut dicebantur, Pufendorffianis peculiari edicto ſibi occurrendum duxit. Sed hæc tamen omnia impedire non potuerunt, quo minus ad Pufendorffii partes non pauci accederent. Inprimis in Academia Lipſienſi, in qua tantopere quondam eſt oppugnatus Pufendorffius, non ueritus eſt eidem adſtipulari Chriſtianus Thomaſius, qui nonnulla capita, a Pufendorffio uel prætermiſſa, uel leuiter ſaltim pertractata, fuſe, luculenterque expoſuit. Fecit hoc in Inſtitutionibus Iurisprudentiæ Diuinæ, in quibus tamen, pro ingenio, quod habet, temporario, multa ipſe, dicamne in melius, an in peius mutauit. Abiecit adeo ipſam, quam communem cum Pufendorffio habebat, de principio iuris naturæ, ſententiam. Proſcripſit leges poſitiuas uniuerſales, de quibus *a ſe, omnium primo, ſi non ex tenebris, ex crepuſculo tamen erutis*, quondam gloriabatur. His legibus Polygamiam eſſe prohibitam olim affirmauit, quod nunc penitus inficiatur. Alia mitto, quæ ex fundamentis iuris naturæ, & gentium hauriri poſſunt. Præter Thomaſium ſecuti ſunt Pufendorffium & alii, totusque propemodum mundus, qua in philoſophiam moralem incumbit, miratus eſt, ſe tam cito factum fuiſſe Pufendorffianum. Thomaſius interim non ſatis habuit unam Philoſophiæ partem reformaſſe, ſed totam reformare philoſophiam, quantum in ſe

erat,

erat, uoluit. Hinc in Peripateticos paſſim inſurgit, neque ipſis Carteſianis parcit, ſed uel Eclecticum, uel Nouatorem, quod nominis ipſe haud deprecatur, agit. Teſtor ipſum Thomaſium, ita de ſe loquentem (*) *Reſtat Nouatoris conuitium, quod apud ueræ ſapientiæ aſſeclas fere contemnitur, cum gloriæ potius ducendum ſit, ſi quis non alienis oculis omnia cernere uelit, ſed ex propria ratione ab aliis præteruiſa detegat, ab aliis non recte dicta emendet. Eſt hoc proprium Philoſophiæ Eclecticæ, quam ſequor.* Et paullo poſt: *Multa noua amplector, multa noua reiicio, multa ipſe innouo libertate philoſophandi uſus & rationem ducem ſecutus, cui uidelicet nec ſordent noua, nec inepta uidentur antiqua.* In his, non nego, quædam, laude non indigna, præſtitit. Num uero ea tanta ſint, ut alter quaſi dicendus ſit Lutherus, qui in emendanda Philoſophia idem præſtiterit, quod in repurganda Theologia Lutherum præſtitiſſe conſtat, alii, quibus uolupe eſt, diſquirant. Mihi ſane in hoc iudicio plus aſſentationis, aut ſi mauis, profuſæ admirationis, quam ueritatis, ineſſe uidetur.

XXXII.

Non credo, me opinione falli, ſi quidem Cocceianiſmum detrimenti aliquid attuliſſe Ariſtoteli, affirmauero. Antonius Hulſius (**) *Cocceianos, & Carteſianos* coniungit *ob arcanam neceſſitu-*

G

(*) In Diſſ. Proëm. ad Iuris pr. Diu. §. 33.
(**) P. II. Theol. Hypoth. p. 359.

ſitudinem, quæ inter utrosque intercedit, qua alterum genus alterius cauſam ſtrenue ſe agere haud quaquam diſſimulat, quod & ex communi commercio euidenter liquere contendit. *Imo ſunt*, ita pergit, *qui utramque profitentur æqualiter.* Qua in re ueritatem dixiſſe Hulſium, Heydani, Wittichii, Braunii aliorumque euincunt exempla. Galenus Farellus, qui Diſſertationem hiſtoricam, ſiue Epiſtolam ad Amicum reſponſoriam, de nouiſſimis in Belgio litibus, edidit, & totus eſt a Coccei, cuius cauſam agit, partibus, in Præfat. ad Lectorem diſerte profitetur, *In Philoſophia Carteſio, in Theologia Cocceio faueo, quantum licet doctis uiris, non tamen iuro in Heroum illorum uerba & conceptus. In multis Magnos illos uiros ſequor, in quibus Fratres ab ipſis recedunt, ipſis obloquuntur, quia, ut clare percipio, illorum conceptus ut ueri, ſic maximi uſus in Theologia Reformata.* Et in ipſa Epiſtola. (*) *Datur, uigetque Dictos Cocceianos inter & Carteſianos Chriſtiana animorum unio ſine ulla præcedenti confœderatione. Quæ Vnionis huius cauſæ? quæris; manifeſtæ & apertæ ſunt, quippe horum Antagoniſtæ ipſos uniuêre, dum iisdem libellis petebantur & Dicti Cocceiani & Carteſiani; coniunxit illos conſenſus in fundamentalibus, libertas in Philoſophicis; Vnionis neceſſitas ob communes hoſtes, ac præcipue ueritatum mutua amicitia.* Atque ex his facile nunc intelligitur, quomodo in Ariſtotelem eiusque Philoſophiam affecti

(*) pag. 131.

cti ſint Cocceiani. Facile fidem habeo Antonio Hulſio, quando *publico exceptos* eſſe *ſibilo* conqueritur, (*) *qui dicerent philoſophiam eſſe Theologiæ ancillam, cachinno uero, ſi quis termino aliquo Philoſophico, etſi in theologicis tritiſſimo, uteretur.* Sæpe enim multumque, quod nec ipſe Farellus negat, in Theologiam Scholaſticam inuehuntur. Io. Braunius in Præfat. ad doctrinam Fœderum id ſibi propoſitum fuiſſe in concinnando illo libro ſcribit, *nullo prorſus uocabulo, nullaque dictione uti, quæ non eſſet latina, ſe enim putare, horridum iſtum barbarumque ſermonem Monachalis ſapientiæ ſimul inuexiſſe in Theologiam ſpinoſas quæſtiones, diſtinctiones, quæ inſtar telæ araneæ multum habent ſubtilitatis, ſed prorſus nihil ſoliditatis, multas habent ſuperſtitiones, errores, hæreſes.* Ita Theologiam petit Scholaſticam, quam iſta ſermocinatione exoſam plerumque conantur reddere, quotquot uſum ab abuſu, pro eo, ac par eſt, haud diſtinguunt. Ego quidem nullum ex noſtratibus Cocceianiſmi poſtulabo. Scio tamen non deeſſe, qui methodum fœderalem amant, modumque Cocceio uſitatum, in explicandis diuinioribus oraculis, iis præſertim, quæ de cœtus ſacri fatis agunt, quam maxime ſectantur. Atque hos Cocceianorum facit ſimiles contemptus Philoſophiæ Ariſtotelicæ, &, quæ illa utitur, Theologiæ Scholaſticæ, ne de dicteriis, in Syſtemata Theologica, ob

(*) P. II. Th. Hyp. p. 15.

ob terminos, quos uocant, Scholaſticos, potiſſimum coniectis, aliquid commemorem.

XXXIII.

Subiungo σύῤῥαξιν, quam nominant, Pietiſticam, quæ in Germania non minores, quam in Belgio Cocceianiſmus, dedit turbas. Erant qui ſtudium pietatis, ſemel iterumque ac iterum in Scripturis diuinioribus commendatum, ſed nimis per omnes, ut rebantur, ordines, ſtatusque collapſum, reſtaurare uolebant. Cui fini cum ſolam diuinarum literarum lectionem ſufficere ſibi perſuaderent, fieri aliter non potuit, quin in contemptionem adduceretur paulatim philoſophia. Hinc nonnulli ſub initium iſtius συῤῥάξεως eo dicuntur prolapſi dementiæ, ut Prælectiones Logicas & Metaphyſicas, quas calamo ante exceperant, igne combuſſerint. Bilefeldius diſputationi aliquando hoc adiecit Corollarium, *Philoſophiæ in Theologia aut exiguus, aut plane nullus eſt uſus.* (*) Idem in Diſputatione de Theologia Pia, unice uera, non obſcure iam declarauit, quo ſit in Theologiam Scholaſticam animo. Alii Philoſophiam contemptim nominant *intellectus ſtrepitum*, (**) Schelwigio, qui in Synopſi (***) affirmauerat, *philoſophiam, qualis Euangelicorum ſcholas huc usque perſonuit, atque ex diſciplinis eius etiam Logicam & Metaphyſicam, eo fine, eaque ratione, ut Theologiæ*

(*) Vid. Roſtoch. Defenſio contra Gieſſenſ. p. 53.
(**) Apud Io. Fecht. in Lection. in Syll. p. 24.
(***) Artic. XXXI. Qu. II.

ologiæ inſeruiant, cum fructu doceri, & diſci, ita reſpondet Io. Wilhelmus Zieroldus (*) *Calumnia eſt quenquam prohibere, ne quis diſcat Logicam, & Metaphyſicam, ut Lexicon terminorum, Ipſe Salomon dicit, Applicaui cor meum ad cognoſcendam NB ſtultitiam & ſapientiam.* Quæ nec in laudem Logicæ, & Metaphyſicæ dicta ſunt, nec ad earundem aliquid faciunt commendationem. Videbatur etiam ad promouendam pietatem quam maxime facere Theologia Myſtica, micantes quasdam inuſitatæ pietatis ſtricturas, ut Iacobus iudicat Thomaſius, in ſe continens. Quæ cum ſurculus ſit Philoſophiæ Platonicæ, facile apparet ratio, quamobrem Peripatetica ſigillatim adeo contemptim ſit habita. Excito in rei fidem Præfationem ad Tabulas Hodoſophicas, ex qua alii occaſionem inuehendi pariter in Ariſtotelem ſumpſiſſe cenſendi ſunt. In illa hæc leguntur in Ariſtotelis philoſophiam ἐγκλήματα. *Longe maiorem noxam Ariſtoteles Eccleſiæ intulit, quam Plato. Peripatetica non eſt melior Platonica, ſed deterior. Philoſophia Ariſtotelis omni alia plus nocuit. Satis ex pluribus indiciis apparet, ut ei exſequias eatur, parum abeſſe, nec enim quale ſeculum noſtrum eſt ingeniorum perſpicacium ferax diu amplius ferre poteſt priſtinam ſeruitutem.* Ne uero exemplum deeſſet noxæ, quam intulit Ariſtoteles, Cornelius laudatur Ianſenius, qui Ariſtotelis philoſophiam Pe-

(*) In Synopſi p. 439.

lagianiſmum inuexiſſe in Eccleſiam ſcribit. Quibus allatis hæc ſubiiciuntur, *quo affectu nos Lutherani in eum*, Ariſtotelem, *ſimus, ſi quod res eſt, deprehendamus? cum Papatus Anti-Chriſtianus longe grauiorem noxam regno Dei intulerit, quam priores ſectæ (unde illi inprimis ἀποστάσεως nomen 2. Theſſ. II, 3. 1. Tim. IV, 1.) uidentes Ariſtotelicam Philoſophiam illius dominationis extruendæ ex præcipuis fuiſſe inſtrumentis.* Et alibi (*) affirmari lego, *plus boni in Philoſophia Platonica, Pythagorica & Stoica, quam Ariſtotelica dari, cum illa propius ad uetuſtiorem Iudaicam accedat, & quædam eius rudera complectatur.* Non equidem nego, Ariſtotelis philoſophiam noxam intuliſſe rei Chriſtianæ. Eſt tamen utilitas, quam illi affert, & tot præſtantes uiri, ipſa confirmati experientia, teſtantur, plane nulla. Non nego, multos illam complecti errores, quos nec ipſi diſſimulant eius alumni. Sed habet

(*) P. I. Conſ. c. 2. Art. 1. Sect. 10. p. 410. wäre Anleitung / die alte Philoſophiam Platonicam, und auch Pythagoricam, ſo dann Stoicam, (worinnen Lipſius zum Vorgänger genung ſeyn möchte) gründlich zu unterſuchen / ſolte man vielleicht mehr gutes in derſelben / als in der Ariſtoteliſchen Philoſophia finden / als welche der alten Jüdiſchen Philoſophiæ allem Anſehen nach näher kommet / und einiges aus derſelben übrig haben mag.

bet tamen multas etiam ueritates, eaſdemque iuſtis rationibus, non ſola παράδωσι, confirmatas. Qua in re neminem, ut ego arbitror, habebo diſſentientem. Vtor ergo iisdem uerbis, quæ in defenſionem Theologiæ Myſticæ, Platoniſmo infectæ, affert Præfatio. *Vti ſolemus aurum, argentum, uel gemmas, ſi lutum adhæreat, non aſpernari, ſed purgare, & infantem cum ſordibus non eiicere, quod in prouerbium abiit, ita nihil æquius uidetur, quam eadem ratione circa myſticam uerſari Theologiam*, ſubiicio, *Philoſophiam Ariſtotelicam, ipſamque Theologiam Scholaſticam.* Quæ de papatu, e Pelagianiſmo enato, dicuntur, ea quidem ſpeciem habent. At enim num Papatus ex ſolo ſaltim Pelagianiſmo conſtat? Nonne ex uariis conflatus eſt αἱρέσεσι, quarum nonnullæ ex Platonica, Stoica, & Pythagorica enatæ ſunt philoſophia? Atque ex una harum illam de uiribus naturæ ſententiam petere potuerunt Pelagiani, ut non opus ſit recurrere ad Philoſophiam Peripateticam. Platonici namque Stoici & Pythagorici non poſſunt aliter per ſua φιλοσοφήματα, quin naturæ uiribus multum tribuant. Vnde & cœtus Chriſtiani doctores, qui iſtis innutriti ſunt, Pelagiani ſane ante Pelagium fuerunt. Pelagianiſmum ſapiunt, quæ Clemens Alexandrinus, Stoicæ magis & Platonicæ, quam Peripateticæ addictus philoſophiæ, habet (*) συνεζάπτειν δὲ ἡ γραφὴ τὸ ζώπυρον

(*) Lib. I. Stromatum. p. 274.

πυρον τῆς ψυχῆς, καὶ συντείνει τὸ οἰκεῖον ὄμμα πρὸς θεωρείαν, τάχα μέν τι καὶ ἐντιθεῖσα οἷον ὁ ἐγκεντρίζων γεωργὸς, τὸ δὲ ἐνυπάρχον ἀνακινοῦσα. Quare & in eam tandem deſcenderunt ſententiam, ut non ueriti ſint, philoſophos, extra cœtum Chriſtianum conſtitutos, beatis, cœlitibusque annumerare. Quod, adductis in medium teſtimoniis, Iſ. Caſaubonus declarauit. Ne uero exiſtimes, nihil commercii Pelagianis fuiſſe cum Stoicis, & Pythagoricis, adi ſis Thomaſium, qui ex Hieronymo probat, Pelagianos ἀπάθειαν iuxta ac ἀναμαρτησίαν, quam ſomniabant, ab iſtis hauſiſſe philoſophis. (*) Quæ maxime digna obſeruatione iudico, propterea, quod prætenſa ἀναμαρτησία arctiſſime cum altera ſententia cohæreat, quam de naturæ uiribus fouerunt, ut non ſine probabilitatis ſpecie utraque ex uno eodemque profluxiſſe fonte cenſenda ſit. Quodſi igitur metu Pelagianiſmi, ex pomœriis ἐκκλησίας proſcribere Ariſtotelem uelimus, relegandus una erit Plato, cuius philoſophia multo magis Pelagianiſmum inuehit. Nonne Fanaticiſmus, qui lumen aliquod internum, ſcintillam eſſentiæ diuinæ, tresque in homine partes, easdemque, ut in ſcholis loquuntur, eſſentiales crepat, Pelagianiſmum ſecum uehit? Dicas uero, uelim, num maiorem ille cum Platonica, quam Ariſtotelica, affinitatem habeat. Atque hic ipſe Fanaticiſmus monere Noſtrates debebat, ut a Philoſophia

(*) In Origin. Hiſt. Phil. §. 47. ſqq.

loſophia ſibi Platonica, tanquam eius matre, ſummo ſtudio cauerent. Non enim a Papatu ſaltim, ſed & Fanaticiſmo noſtrati cœtui metuenda ſunt mala. Quem fugit, quomodo cœtui noſtrati, tenello, & uix dum a Papatu repurgato inſidiatus ſit Fanaticiſmus, quem nondum penitus extinctum eſſe, ſed clam palamue inter nos ſerpere ipſa, proh dolor, experientia docet. Quare ſi, quod nemo negat, hoſtis domeſticus, in uiſceribus quaſi hærens, maiora inferre poteſt damna, hoſte aliquo peregrino, metuendus magis nobis erit Fanaticiſmus ipſo Papatu, niſi uelis dicere, ipſum hærere in Fanaticiſmo Papatum. Non equidem hoc negauerim, perſuaſus tamen ſum hac ratione, metu papatus, æque ſuſpectam nobis eſſe debere Platonicam, ac Peripateticam Philoſophiam.

XXXIV.

Ita clarum nunc erit, quid de iudicio ſit habendum, quod Præfatio ante excitata, de Ariſtotelis philoſophia pronunciat. Et huius tamen autoritate alii ſunt commoti, ut nec mitiorem de Ariſtotele mentem induerent, ſed Pythagoram eidem & Platonem anteferrent. Egit hoc ſcripto non uno Io. Wilhelmus Zieroldus, a Friderico Chriſtiano Büchero, Theologo Gedanenſi, oppugnatus. Inprimis huc pertinet Introductio in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, in qua omnia compilauit, quæ apta ſunt uiſa perdendæ Ariſtotelis exiſtimationi. In Synopſi (*) *Ancil-*

(*) Art. XXXI. p. 440.

lam honeſtam, requirit Theologia caſta, non ſcortum Ariſt. Magnifice contra de Pythagora, aliisque ſentit in Diſſertatione de Nexu Communionis, notatus ea propter a Valentino Erneſto Loeſchero. (*) Non alia Ioachimo Langio mens eſt, qui paſſim in Ariſtotelem inuehitur. Facit hoc ex profeſſo, dataque quaſi opera, in Medicina Mentis. Et in Anti-Barbaro (**) *philoſophiam uulgarem, qualem ex Ariſtotele per ſcholaſticam papatus traducem nos accepiſſe* contendit, *eſſe, meritoque uocari moroſophiam* pronunciat. Neque aliter, quin ita ſentiat, poteſt, ſi, quod in Prolegomenis ad Medic. Ment. (***) confitetur, *iſta philoſophandi ratio, quæ a principio ſupernaturali*, quali Ariſtoteles fuit deſtitutus, *diuulſa, ſolum tamen naturæ ſequitur, noua, ſpuria, & noxia eſt, atque ita uoluntati ſeu inſtitutioni Dei, ſapientiæ indoli, atque inculpatis priſcorum ſapientum exemplis, contraria.* Quæ ab Hoffmanni, eiusque ſequacium parum abſunt ſententia. Rectius præfatio, plus ſimplice uice adducta philoſophiam *in ſeſe bonum Dei donum* nominat. Quis enim illud nouum dixerit, ſpurium, & noxium, quod a Deo habet originem, & tum, quando condebatur homo, animæ eius eſt inſcriptum, quod ab ipſa Scriptura ἀλήθεια nominatur, quod χειραγωγίαν uerum inueniendi Deum præbet, homines de ueritate Numi-

(*) In Prænot. p. 337. (**) P. IV. Append. p. 797. (***) §. VI.

Numinis, bonis, malisque factis interius conuincit, eosque tandem ἀναπολογήτȣς efficit. Interea philoſophia erat reformanda, & alia in locum Ariſtotelicæ ſubſtituenda. Hoc animo Medicina mentis eſt confecta, & Comenii Phyſica reuocata. Forſan alii eam ob cauſam Cabbalam ceperunt rimari, ut ueterem reſtituerent Hebræorum philoſophiam. Quorum ſtudium haud dubie inflammauit Præfatio, ante nominata, in qua hæc leguntur, *Si quidem hac adhuc ætate extaret uetus Philoſophia Iudaica, quæ Moſis, Dauidis, Salomonis & Prophetarum tempore in uſu populi ſancti fuit, dubium eſſe nequit, quod illa merito principatum habere deberet.*

XXXV.

Agmen claudant, laxioris religionis homines, quibus, ut Ariſtoteli faueant, non permittit Indifferentiſmus. Hic enim ſolam uoluntatis correctionem ſufficere putat. At Ariſtoteles magis ſollicitus eſt de emendando intellectu. Contemptim habet ſyſtemata Theologica, quæ doctrinæ capita iuſto ordine complectuntur, &, petitis ex foro Scholaſtico notionibus, explicant, ut eo melius ἑτεροδόξȣς, ſub Scripturæ uerbis ſuos occultantes errores, e latibulis protrahant. Hinc proſcribendus erat Ariſtoteles, ex quo Theologia Scholaſtica enata creditur. Auerſatur plerumque diſputationes, doctrinæ tuendæ cauſa inſtitutas. At his egregie inſeruit Ariſtoteles.

les. Taceo, id genus homines Myſticam plerumque amare Theologiam, ac inde acerbum, quod illa excitare ſolet, Ariſtotelis capere odium. Quæ nemini obſcura erunt, qui modo Dippelii, Arnoldi, Fridlibii, aliorumque inſpexerit ſcripta, ut non opus ſit tempus deſcribendis teſtimoniis impendere.

XXXVI.

Atque ſic eo tandem res deuenit, ut Ariſtoteli inſultauerint etiam quandoque illi, qui uix priorem ſcriptorum Ariſtotelicorum paginam cum cura inſpexerunt. Deſcripta ſunt ſequiora, quæ alii in Ariſtotelem tulere iudicia, ſed quandoque cum inſigni ἀκρισίᾳ, nec minori inſcitia. Nonne dignus eſt irriſione, qui cum exoſum reddere uellet Ariſtotelem, barbara iſta nomina, quibus Baſilides, Saturninus, Valentiniani uſi ſunt, a Peripateticorum *barbara*, *celarent* deriuauit. Nam uel Tyronibus notum eſſe debet, iſta nomina in peripato haud eſſe tradita, ſed in locum literarum, quibus, Mathematicorum more, utebatur Ariſtoteles a Scholaſticis, aliquot demum, poſt Baſilidem & Saturninum, ſeculis, ſubſtituta. Fuit, cui Ariſtoteles impoſtor eſt uiſus, qui hominibus facetis fabricis, & doctis dolis tantiſper glaucomam ob oculos obiecit, donec Carteſius ſurrexerit, eosque meliora docuerit. Alius, non quidem in Ariſtotelis commendationem, publice in quæſtionem

illam

illam inquiſiuit, num iure Lutherus Ariſtotelem dixerit aſinum. Et quis omnia afferre poterit dicteria, quæ in Ariſtotelem ſequiori hac ætate ſunt coniecta? In Ariſtotele conficiendo, proſcindendoque omnes conſpiraſſe uidentur, cum alii, qui deterioris quondam habiti ſunt notæ, ab erroribus criminibusque paſſim defendantur. In quibus facile partium deprehenditur ſtudium, quod tamen alioquin diſſuadent & oppugnant. Quod uero nemo in eum accipiat ſenſum, ac ſi omnia Ariſtotelis effata probem. Habet Ariſtoteles errores, eosdemque rei Chriſtianæ perquam noxios. Non ea, qua decebat, accuratione, addo, & perſpicuitate omnia eſt perſecutus. Multa reliquit intacta, quorum rationes uel ignorauit, uel non aſſequi ſatis potuit. Non probo illos, qui non uerentur profiteri, *malle ſe errare cum Ariſtotele, quam bene ſentire cum aliis.* Commiſeratione magis, quam confutatione dignum iudico celebrem illum philoſophiæ ſimul ac Theologiæ profeſſorem, quem aſſeruiſſe Gaſſendus ſcribit (*) *ſe exiſtimare magnum iri Deo præſtitum obſequium, ſi proprio ſanguine obſignaſſet, confirmaſſetque uieriſſima eſſe, quæcunque Ariſtotelis operibus continentur.* Neque G. adſtipulor Harueo, qui, Pearſonio teſte (**) ſæpius dixiſſe fertur, *nihil fere*

(*) In Exercit. Parad. II. p. m. 16.

(**) In Epiſtola, qua Carolo II. inſcripſit Diog. Laertii uitas Philoſophorum.

fere unquam in ipſis naturæ penetralibus inueniſſe ſe, quin ſi Ariſtotelem ſuum penſiculatius euolueret, idem ab illo, aut explicatum aut ſaltem cognitum reperiret. Quod ſuis ipſe inuentis ſatis ſuperque confutat. Sane de generatione animalium, ut unum ſaltim afferam, multo aliter, quam Ariſtoteles ſentit. Vnde & Iano Orchamo, quem male habebat Ariſtotelem deſeri, eſt confutatus. Potuiſſet ergo Georg. Fridericus Rallius, Harueum, cuius agit contra Orchamum hyperaſpiſten, uiris iſtis celeberrimis annumerare, quorum, *ſe religioſam admirari* dicit *ſuperſtitionem, qui dum noui quid, præteritisque ſeculis inauditum ipſi inuenerunt, anxie ex Hippocrate, Galeno, uel Ariſtotele textus conquirunt, quibus probabile faciant, his ipſis ſapientiæ coriphæis tale quid non fuiſſe incognitum, cum tamen per tot ſecula nemo interpretum id ex illis locis colligere potuerit, nec ipſi illi autores, ſi uiuerent, id ipſum inde deducere uellent, aut poſſent.* (*) Deo potius habendæ ſunt grates, cuius prouidentia, quibusdam diſciplinis maior accenſa eſt lux, & non pauca excogitata, de quibus nihil notum fuit maioribus. Interea tamen & hoc profiteor, maiora eſſe Ariſtotelis in Philoſophiam merita, quam ut tot dicteriis afficiatur, & quauis alga uilior habeatur. Sit, non nego, nimia quorundam erga Ariſtotelem ueneratio. Hæc uero non

(*) In Epiſt. ad Lector. Diſquiſit. Medico-Phyſicæ de Generat. Animal. præf.

non magis debebat eſſe fraudi Stagiritæ, quam Platoni, & Carteſio, quorum admiratores non debitum ſemper in laudando, uenerandoque adhibuerunt modum.

XXXVII.

Hinc Viri, eruditione præſtantes, non penitus Ariſtotelem abiiciunt, ſed quædam eius φιλοσοφήματα complectuntur, non ob Ariſtotelis autoritatem, ſed ob conſenſionem, quam cum ueritate habent. His aliorum Philoſophorum, nulla ætatis ratione habita, adiungunt placita, ſi quæ ueritati deprehendant conformia, cuius nos omnes oportet eſſe ſectatores. Quæ philoſophandi ratio ἐκλεκτικὴ nominatur, quam omnes propemodum Philoſophi, ipſe etiam Ariſtoteles, adamarunt. Atque hæc caput nunc ubique protulit, dignisque, ut par eſt, laudibus celebratur. Non tamen omnibus, ſed uiris ſaltim ingenio iudicioque politiori gaudentibus, datum eſt, ἐκλεκτικοὺς agere. Nonnulli fiunt αἱρετικοὶ, dum ſe ἐκλεκτικοὺς eſſe putant. Alii tum ſe partibus ἐκλεκτικῶν feciſſe ſatis credunt, ſi quidem ex uariis Philoſophorum decretis σύστημα aliquod conflauerint. Num uero cum principiis, quæ diſciplinis ſunt ſubiicienda, cohæreant, non ſatis, per iudicii imbecillitatem, diiudicant. Hinc fit, ut σύστημα eiusmodi non raro ſemetipſum deſtruat, & Simſonis

ſonis non abſimile ſit uulpeculis, quas caudæ coniungebant, capita modo huc, modo illuc rapiebant. Contra hos ea ualeant, quæ aduerſus philoſophiam ἐκλεκτικὴν Burcherus de Volder (*) produxit in medium. Non enim tanti ſunt momenti, ut de ἐκλεκτικῷ philoſophandi genere, eodemque genuino, uel tantillum detrahant. Præter ἐκλεκτικοὺς ſunt alii, qui uel diſſentientes, philoſophorum ſententias conciliant, uel, nouis excogitatis principiis, noua conficiunt συςήματα. In illo ſtatu, cum apud nos ſint res philoſophicæ, facile unusquiſque uidet, tantum nunc non eſſe, quanta olim fuit, Ariſtotelis fortunam.

(*) In Diſput. Philoſ. pag. 6. ſqq.

IN-

IOANNIS LAVNOII
CONSTANTIENSIS
DE
VARIA
ARISTOTELIS
IN
ACADEMIA PARISIENSI
FORTVNA
EXTRANEIS HINC INDE AD
ORNATA PRAESIDIIS
LIBER.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

Præfatio ad uirum clariſſimum Henric. Lud. Habertum Mommorium (*) Libellorum ſupplicum Magiſtrum integerrimum.

Cap. I. Prima Ariſtotelis fortuna recenſetur, & explicatur; In qua illius præcipui comburuntur libri, eorumque lectio interdicitur.

(*) Hunc uirum Petr. Dan. Huetius in Comment. de Rebus ad eum pert. Lib. III. p. m. 68. *omnis doctrinæ & ſublimioris, & humanioris amantiſſimum* appellat. Etiam certo per ſingulas hebdomadas die, certaque hora apud eum magnus doctorum hominum cœtus conueniebat, habebanturque inter eos utiles, & eruditæ de rebus phyſicis diſſertationes, quibus & ipſe intererat ſæpe numero Huetius, ſuasque aliquando etiam ſcriptiones philoſophicas cognoſcenda illis & diiudicandas permittebat. Fauebat autem Mommorius Carteſio, ut ut Petro pariter Gaſſendo familiariter uteretur. Nec aliam ob cauſam, ut Huetius tradit, creditus eſt conuentum hunc philoſophorum apud ſe inſtituiſſe, quam ut eorum animos Carteſianis dogmatis aſſuefaceret, & in hanc ſectam ſenſim pertraheret. Vnde forſan peti poteſt ratio, quamobrem hunc ſuum libellum, Ariſtoteli minus fauentem, Mommorio inſcripſerit Launoyus.

CAP. II. Primam Ariſtotelis fortunam antiqui Patres Eccleſiæ præiudicarunt, Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Lactantius, Euſebius, Athanaſius, Hermias, Baſilius Cæſarienſis, Gregorius Nyſſenus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Theodorus Presbyter Antiochenus, Fauſtinus Presbyter, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, Coetus Epiſcoporum Ponti, Socrates, Theodoretus, Petrus Chryſologus, Æneas Gazæus, Nemeſius, Sidonius, Manſuetus Mediolanenſis Epiſcopus, Beda, Rabanus, Remigius Lugdunenſis, Leo IX. Ernulfus Monachus, Bernardus, ſexta ſynodus.

CAP. III. Nonnihil adhuc expreſſius, & magis ad rem ſubnotatur. Beatus Bernardus, & Otto Friſingenſis Dialecticam Ariſtotelis in Petro Abælardo culpant. Galterus Prior Victorinus contra Abælardum, Lombardum, Pictauinum, & Porretanum, tanquam homines Ariſtotelico ſpiritu afflatos, ſcribit. His accedunt Robertus Corceon & Io. Trithemius.

CAP. IV. Secunda Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua perſiſtit uetita combuſtorum operum lectio, ſed Dialectica in publicas ſcholas admittitur.

CAP.

CAP. V. In hac fortuna ab antiquorum Eccleſiæ Patrum præiudiciis, & Senonenſis Concilii decreto nonnihil receditur. Non Ariſtotelis, ſed Beati Auguſtini Dialectica legebatur antea in ſcholis Luteciæ.

CAP. VI. Tertia Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua combuſtorum operum lectio prohibetur, donec ab eis error omnis diſpunctus fuerit.

CAP. VII. Ad hanc fortunam obſeruantur magni ponderis tria.

Secunda fortuna componitur cum tertia.

Simon Tornacenſis propter nimium Ariſtotelis uſum hæreſeos accuſatus, & alii aliter reprehenſi.

Albertus & Thomas in uetitos Ariſtotelis libros ſcribunt Commentaria. Cur id ita factum?

CAP. VIII. Secunda Ariſtotelis fortuna repetitur, & decreto Gregorii Papæ IX. aliqua ex parte derogatur.

CAP. IX. Quarta Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua nominatim exprimuntur plures Ariſtotelis libri, qui legantur, præter Phyſicam.

CAP. X. Quæ in fortunæ huius decurſu contigerunt eoque pertinent, enarrantur.

B. Thomas a facultate Theologiæ notatus,

 quod

quod Ariſtotelis uerba paulo frequentius uſurparit.

Clemens Auenionenſis Papa quorundam ætatis ſuæ Theologorum flagitia confixit.

Cardinalis Alliacus in eosdem Theologos inuehitur.

Pariſienſis Cancellarius in eosdem Theologos inuehitur.

Pariſienſis Cancellarii uiam inſiſtit auditor Clamengius.

Beatus Vincentius Ferrerius idem cum Amico ſuo Clamengio docet.

Nicolaus V. a maiorum ſtatutis in Ariſtotele tacitus derogauit.

Grauis de Platone & Ariſtotele contentio inter Card. Beſſarionem & Marcum Epheſinum.

CAP. XI. Quinta Ariſtotelis fortuna recenſetur atque explicatur. In qua Cardinalis Totauillæus memoratis in ſuperiori fortuna libris moralem Philoſophiam adiecit, ſed commentarios de phyſico auditu prætermiſit.

CAP. XII. Nonnulla in hanc quintam Ariſtotelis fortunam & eius decurſum animaduertuntur.

Totauillæus a Gregorii IX. decreto non recedit, ſed a Prouinciali Concilio nonnihil uidetur recedere.

Totauillæus ex omnibus Academiæ Inſtauratoribus primus eſt, qui ut Ariſtotelis Ethica lege-

legerentur, conſtituit. Publica unius Ethicorum Lectoris profeſſio ſuppreſſa.

De Ariſtotele Theologicis nimium immixto grauium atque eruditorum hominum Ioannis Trithemii, Hieronymi Hangeſti, Ioannis Maioris, Iodoci Clicthouei, Facultatis Theologiæ, Facultatis Artium, & Alberti Pighii, querela.

Ioannes Trithemius refertur, & in bonam partem explicatur.

Hieronymus Hangeſtus refertur, & explicatur.

Ioannes Maior refertur & explicatur.

Iacobus Almainus refertur.

Iodocus Clichtoueus refertur.

Facultas Theologiæ damnauit Lutheri propoſitiones duas, quæ ad Ariſtotelem nonnihil pertinent.

Pariſiis a Senatu, & Facultate Artium accuſantur quidam Theologi, quod profeſſioni ſuæ non uacent, ut par eſt.

Albertus Pighius refertur, & nonnihil emollitur.

Sanctus Thomas, Facultas Theologiæ Pariſienſis, Hieronymus Hangeſtus & Ioannes Maior certum præſcribunt modum, quo habitæ de Scholaſticis querelæ ſatisfieri poſſit.

CAP. XIII. Sexta Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua Ramus & Ariſtoteles in arenam deſcendunt: hic cum laude

 uincit,

uincit, ille ſine difficultate uincitur: dimicantibus cum Ariſtotele Franciſco I. & nonnullis Profeſſoribus.

CAP. XIV. Res multæ ad ſuperiorem fortunam animaduertuntur.

Non immerito Gallica Latinis admiſcentur.

Neque de cauſa Rami, neque de facto Franciſci R. quicquam pronuntiandum.

Franciſcus Rex in facto ſuo dedit exemplum, non accepit.

Audomarus Talæus Rami controuerſiam illuſtrat.

Bernardinus Donatus Veronenſis Ariſtotelem de animorum immortalitate contra Chriſtianos ſentire docet.

Ioannis Ludouici Viuis de Ariſtotele, & eius Philoſophia iudicium.

Guilielmi Poſtelli de Ariſtotelis philoſophia iudicium.

Melchioris Cani de multis quæſtionibus in Theologia tractari ſolitis cenſura.

Io. Maldonatus de inſtituendis Theologiæ diſputationibus præcepta tradit.

Franciſcus Roſerius antiquiorum Theologorum expoſtulationes inſtaurat.

Franciſcus Patricius Gregorio XIV. ſuadet, ut e Scholis Chriſtianorum tollatur Ariſtotelis philoſophia.

Io. Bodinus refertur, & Ariſtoteli opponitur.

CAP. XV. Septima Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua legendus Ariſtoteles præſcribitur.

CAP. XVI. Pauca, ſed contenta paucis multa, in hanc ſeptimam fortunam & illius decurſum obſeruantur.

CAP. XVII. Octaua Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua Philoſophus quanto quondam in de decore, tanto in honore habetur, aduerſarios perſequentibus Academia & Senatu Pariſienſi.

In Ariſtotelis oppugnatores Pariſienſium Theologorum cenſura.

Pariſienſis Senatus decretum.

CAP. XVIII. Nonnulla in hanc ultimam Ariſtot. fortunam & eius decurſum adnotantur.

Petrus Gaſſendus cauſam Petri Rami, Ioannis Bitaudi, Antonii Villonii, & Stephani Clauii non admodum iniuſtam fuiſſe re ipſa oſtendit.

Gerardi & Arnoldi Bottiorum de Ariſtotele & eius philoſophia iudicium.

Franciſcus Harlæus Rotomagenſis Archiepiſc. de Ariſtotelis philoſophia Theologicis nimium immixta conqueritur.

Prima Ariſtotelis fortuna comparatur cum ultima.

CAP. XIX. Quantum ſit ultimæ Ariſtotelis fortunæ præſidium demonſtratur.

Cani de retinenda Ariſtotelis Philoſophia iudicium.

Quædam in hoc iudicium animaduerſio.

Ad Canum accedit Bernardus Caſertanus Epiſcopus.

Concluſio operis ad eundem Henr. Lud. Habertum Mommorium.

DE VA-

DE VARIA ARISTOTELIS IN ACADEMIA PARISIENSI FORTVNA EXTRANEIS HINC INDE AD ORNATA PRAESIDIIS LIBER.

Ad Virum Clariſſimum Henricum Ludouicum Mommorium Libellorum ſupplicum Magiſtrum integerrimum.

QVam uaria fuerit Ariſtotelis in Academia Pariſienſi fortuna, Vir Clariſſime, deſcribo. Eſt notabilis prorſus res, atque ut admiratione, ſic & curioſitate digna. Eam ad te potiſſimum defero, qui non ſoles ex hominibus Philoſophiam; ſed ex Philoſophia homines æſtimare: nec immerito. Id enim appoſite quadrat in prudentiſſimum uirum, qui Philoſophos omnes habet pro ſapientiæ inſtitoribus. Eos aſpernatur, qui fucoſas exponunt merces, amat, qui ſinceras. Dum uero exponuntur ſinceræ, continuo licitatur uendibiliores, & pretioſiores emit: inſtitor ſit ſiue Plato, ſiue Epicurus, ſiue Zeno, ſiue Ariſtoteles, ſiue quiuis tandem alius: quorum quisque ſibi conſtituit ſe-

ctam,

ctam, in ludis principatum dedit, regiumque ita in ſuos dominatum occupauit. Vnde facta in dominatu ſeruitus, & in ſeruitute dominatus. Quæ duo cum aliorum, tum Ariſtotelis ſchola ſuppeditat abunde. Sunt enim uero, qui huius Philoſophi doctrina, tanquam equus capiſtro, retineantur. Sunt quoque, qui alios aliter ſentire non ſinant. Sunt denique, qui ad ordinandum chriſtianæ legis ſacrarium, & ad fulcienda illius dogmata introuocare non dubitent. Si quis reclamet, expediunt ſeſe breue manu: Ariſtotelem Theologiæ ancillari dicunt, quod antiquiores Eccleſiarum magiſtri etiam circumſpectiſſimi quique ac ſagaciſſimi non dixerunt. Tum Ariſtoteles pone ſiparium iſtud ſubridet & dominatur nonnunquam. Id fit eorum culpa, qui expertes ſcripturarum & legitimæ traditionis nihil rectum, niſi quod philoſophi moribus & documentis conſentiat, arbitrantur. Atenim quicquid id eſt, magnæ cæteroquin & accuratæ conſiderationis negotium, ab inſtituto abhorret meo. Aliam ſuſcepi cogitationem, aliud amplector opus, in quo non diſputatoris, ſed hiſtorici tenendæ ſunt partes. Exequor fortunæ caſus octo, quos Ariſtoteles ab anno Chriſti M CC. tulit Luteciæ Pariſiorum. Primus continet Synodi decretum, quo huius Philoſophi opera comburuntur præcipua, eorumque deſcriptio & lectio dirarum obnunciatione uetantur. Secundus refert monimenta, quibus incenſorum operum ſola prohibetur lectio, ſed dialecticæ ſtudium adeo non permittitur,

tur, ut ſumma eaque ſacra autoritate decernatur. Tertius Pontificium aliquod exhibet diploma, quo incenſorum operum lectio cauetur usque eo, quoad manus erroris emendatrix acceſſerit, & illius omnis ſublata fuerit ſuſpicio. Quartus eam tractat Academiæ Reformationem, ubi propria nomenclatione deſignantur explicandi in ſcholis libri fere omnes, præter eos, qui *περὶ τῆς Φυσικῆς ἀκροάσεως* inſcribuntur. Quintus eosdem libros recipit, alios pari modo repudiat, ſed Metaphyſicis atque Ethicis ſtudium adſcribit maximum. Sextus proponit editam a Franciſco I. Rege ſanctionem, qua ſedatur excitata Ramum inter & ceteros Profeſſores controuerſia, & uindicantur omnes Ariſtotelis libri, & cumprimis Dialectica, in quam Ramus commentariis paullo durioribus animaduerterat, ut illi ſuas inſtitutiones commodius anteferret. Septimus legendos in Academia libros præſcribit. Octauus libris omnibus autoritatem tribuit adhuc maiorem, eamque partim cenſoria Theologorum Pariſienſium ſubſcriptione, partim grauiſſimo Senatus placito confirmat. Singuli caſus ſuam habent uelut appendicem, in qua uel defenduntur uberius, uel illuſtrantur amplius, iis ad ſubſidium extrinſecus accerſitis, quæ conueniſſe unum in locum, atque inter ſe congruere uidentur. Vbi quid damni uel utilitatis Ariſtoteles importarit Theologiæ, identidem ex bonis autoribus apparet. Primus & ultimus fortunæ caſus tam ſunt diſſimiles, quam qui maxime. Hic in honore &

deli-

deliciis putatur: Ille in infamia & tormentis ponitur. Quintus a primo abeſt eo longius, quo magis appropinquat ultimo. Qui ſuperſunt, medium quendam modum ſeruant utcunque tolerabiliorem. Ceterum a primo ad ultimum ſemper eſt mutatum aliquid, in peiusne, an in melius, oportet pronunciare alterutrum, ſed cum utrumque ſuos nanciſcatur fautores acerrimos, utrum uerius, pronunciatu eſt, ſi non difficile, certe minus tutum. Aliud eſt cenſere de rebus proletariorum, quibus nulli ſunt nerui, aliud de magnatum, quibus nocendi poteſtas nusquam deeſt; Aliud quoque cenſere de rebus hominum, qui uiuere deſierunt, aliud de hominibus quibus„ cum quiete et tranquille uiuitur. (*)„Non omnes „ enim, quibuscum agitur, ueritatem puram putam „amant, aut ferre uolunt. Quin etiam ea ma„ niſeſtam in lucem prodita expalleſcunt, immur„ murant, maledicunt, tumultuantur, ſuoque ex„emplo docent, imperitis hominibus nihil eſſe „crudelius, & dum accedit fucata pietas, ne pi„ lus quidem ullus ſupereſt ad augendum tantæ „iniquitatis faſtigium.„ Sed iſtic iudicium non interpono meum: interponat ſuum, qui uoluerit. Non conſulo tamen. Impendet enim ex utraque parte periculum, ſi ſopitus ignis recaleſceret. Hinc anathemata, inde exilia, & forſan utraque timeri merito poſſent. Quo circa hoc ut iniudicatum in medium relinquo, hiſtoriam perſecuturus. CAPVT

(*) Hæc omnia in prima editione deſunt.

CAPVT I.

Prima Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur, in qua illius præcipui comburuntur libri, eorumque lectio interdicitur.

PRimam igitur Ariſtotelis fortunam ordior ab Senonenſi uel potius Pariſienſi concilio, quod Epiſcopi prouinciæ anno MCCIX. Luteciæ celebrarunt. In eo damnati ſunt errores Almarici & Ariſtotelis opera, quæ Pariſienſis Academiæ Profeſſores non ita pridem legebant & ſuis illuſtrabant commentariis. Id autem teſtatur Rigordus in uita Philippi Auguſti his uerbis: *In diebus illis* (anno MCCIX.) *legebantur Pariſiis libelli quidam de Ariſtotele, ut dicebantur, compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati de nouo a Conſtantinopoli, & a Græco in Latinum translati, qui quoniam non ſolum hæreſi* (Almarici) *ſententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, immo & aliis nondum inuentis præbere poterant, iuſſi ſunt omnes comburi, & ſub pœna excommunicationis cautum eſt in eodem Concilio, ne quis eos de cætero ſcribere & legere præſumeret, uel quocunque modo habere.* Hæc Autor æqualis, in quibus cauſæ ſunt duæ, cur quidam Ariſtotelis libri flammis ultricibus a Synodo Epiſcoporum addicantur: una, quod Almarico errandi præbuiſſent occaſionem: altera, quod nondum inuentis erroribus fauere opitularique potuiſſent.

Rober-

Robertus Sancti Mariani Antiſiodorenſis Monachus, ſeu potius Hugo, qui Chronologiam Roberti ad annum 1223. perduxit, meminit quidem hujus Concilii, ſed in rebus Ariſtotelis quid factum fuerit, non omnino perſpectum atque animaduerſum habuit. Illius uerba ſunt hæc ſub finem anni 1210. *Erant per id tempus quidam ſcioli literarum in Francia, ſed peſtilentis doctrinæ clanculo diſcurrentes, & uana quædam & impia dogmata, fideique omnino contraria latenter plurimis ſuſurrantes, & niſi prævenisset eos uirorum prudentium cauta ſagacitas, plures in barathrum perfidiæ demerſiſſent. Nam de communi Epiſcoporum conſilio miſſi ſunt, qui actus eorum ſagaciter explorarent, per quos comperti & detecti, captique & adducti Pariſiis cuſtodiæ mancipantur. Erant autem numero 14. quorum erant aliqui ſacerdotes, curam animarum habentes, quibus fecerat fauorem ad populum fucata ſpecies honeſtatis, & uitæ grauitas ſuperducta. Congregato igitur Epiſcoporum Concilio aſſidentibus Magiſtris Pariſienſibus, propalantur eorum ineptiæ, omniumque iudicio reprobantur, & iudicati hæretici exponuntur publicæ poteſtati, ex quibus decem traduntur incendio, reliqui quatuor murali recluſione damnantur. Aſſuit tali ſpectaculo innumerabilis hominum multitudo, nec ſine fructu hoc actum eſt, quia inde & area Domini mundata eſt, euentilando zizania, ne fidelium greges corrumperent; & plerisque timor incuſſus eſt, & repreſſa temeritas, ne nouis adinuentionibus adhærerent.*

rerent. Habuit autem initium hæc adinuentio profana uerborum a quodam nomine Almarico, (*) quem non longe ante defunctum iudicauerunt anathemate percellendum, feceruntque corpus ipſius

I

(*) Almaricus in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. habito damnatus eſt. Verba ſunt ap. Caranzam in Sum. Concil. p. 602. *Reprobamus & damnamus peruerſiſſimum dogma impii Almarici, cuius mentem ſic pater mendacii excoec it, ut eius doctrina, non tam hæretica cenſ nda ſit, quam inſana.* Franc. Syluius in Additione errores enumerat. Quod ſi uere eos fouit, quos ipſi Prateolus tribuit, non poſſum, quin Iac. Thomaſio adſtipuler, qui in Orig. Hiſtor. Phil. & Eccleſ. p. 12. hæreſeos Almaricianæ occaſionem quærendam dicit in Theologia Dionyſiana a Io. Scoto Erigena, ex Græcia in regiones iſtas illata. At hæc Platonem magis, quam Ariſtotelem ſapit. Quod nec ipſe diffitebitur Cel. I. F. Buddeus, qui Almarici errores maluit ex Philoſophia Ariſtotelica, quam Platonica deriuare. Dixit quidem Almaricus, *omnia ſunt DEVS.* Quæ, non nego, aliquam cum Peripateticorum, unam ſaltim admittentium ſubſtantiam, placitis habent affinitatem. At nonne eadem ratione & Myſtici, iidemque craſſiores, loquuntur, & ſentiunt, quibus nihil cum Peripateticis intercedit commercii? Me interim in ſententia con-

us a tumulo erui, & uelut hoſtem fidei extra locum fidelium procul poni. Librorum quoque Ariſtotelis, qui de naturali philoſophia inſcripti ſunt, & ante paucos annos Pariſiis cœperant lectitari, interdicta eſt lectio tribus annis, quia ex ipſis errorum ſemina uiderentur exorta. Non in tres tantum annos, ut hic ſcribitur, ſed in omne tempus operum Ariſtotelis lectio prohibita eſt. Rem melius nouerat Rigordus, qui ſancti Dionyſii Monachus cum eſſet, & Regis Medicus, Luteciæque degeret, quæ uidit ipſe, monimentis conſignauit ſuis. Deinde Ioannes Victorinus in memoriali hiſtoriarum MS. In Collegio Nauarræ & Concilii iſtius & rerum in eo geſtarum mentionem facit, nec omnino ſignificat, ad certum aliquod tempus interdictos fuiſſe Ariſtotelis libros. Hic autor Luteciæ floruit Philippo pulchro rege. Tum demum quæ ſumus poſtea dicturi, hac in parte Monachum Antiſiodorenſem adhuc erraſſe confirmabunt.

CAPVT

---

confirmant teſtimonia ueterum, a Thomaſio conquiſita, quibus Almaricus errores hauſiſſe dicitur ex Io. Scoti, antea nominati, libris, quem ad ductum Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ, Platoniſmo tantopere infecti, Myſticam excoluiſſe Theologiam, nemo ignorat.

CAPVT II.

Primam Ariſtotelis fortunam antiqui Patres Eccleſiæ præiudicarunt.

QVæ modo recenſita eſt Ariſtotelis fortuna, grauiſſimum ab antiquis Eccleſiæ Patribus præiudicium accepit, ſed præcipua illorum ſuffragia referre operæ pretium eſſe duco.

Primus mihi occurrit Iuſtinus ex Philoſopho Chriſtianus Martyr in dialogo (*) cum Tryphone: *Quid autem ſit Philoſophia, & qua de cauſa ad homines ſit demiſſa, permultos latet. Non enim eſſent, ſi ſcirent neque Theoretici, neque Platonici, neque Stoici, neque Peripatetici, neque Pythagorici, cum ea una ſit ſcientia.* Et poſt alia de ſe ipſo locutus: *a Stoico deſciui, & ad alium me contuli* (Peripateticum) *uocitatum hominem, ut ipſe exiſtimabat, acutum. Hic me primis diebus ſecum eſſe paſſus, poſtea mercedem* (**) *a me ſibi deſignari petiit, ne infructuo-*

 ſa

(*) Dialogum hunc Iuſtinum M. habere autorem non ita pridem inficiatus eſt Ven. Kochius, ſacrorum apud Apenradenſes in Cimbris Antiſtes, cui ea de re cum Feldenio, aliisque cum quibus faciebant Ittigius, Cyprianus, Löſcherus, interceſſere lites.

(**) Philoſophi mercede docentes male plerumque audiebant. Iul. Pollux in Onomaſt. L. IV. c. VI. Seg. 47. 48. Κακίσαις δ' ἂν σοφιςὴν λέγων κάπηλος, καπηλικὸς, μεταβολεὸς, ματαβλητικὸς, Ἔμμιθος Θηρευτὴς, νέως Θηρευτικὸς, μίσθαρνος, μισθοφόρος κ. τ. ε.

ſa mihi cum eo eſſet conſuetudo. Ego uero illum hanc ipſam ob cauſam reliqui, ne philoſophum quidem omnino eſſe opinatus. Sic Iuſtinus Ariſtotelem habet. Deinde idem uel quiſquis ille Chriſtianus Doctor librum edidit, cui titulus eſt: *Quorundam Ariſtotelicorum dogmatum euerſio.* (*) Vbi paulo poſt initium: *Inter eos uero, qui prophetarum ſcriptis fidem non habuerunt, ac coniectura propria ducti, quod eis placitum eſſet de Deo & creatione definierunt, magnum eſt & inter ipſos inuicem & apud quemquam eorum aduerſus ſeipſum de rebus, earumque principio iuxta ſubſtantiam, & numerum, & motum, & finem, diſſidium. Id quod ex Ariſtotele (præterquam quod is nihil ueri de rebus, quas definiendas ſibi commentationibus ſuis ſtatuit, affert) declaratur*: 1. ex Locis XII. libri I. de naturali auſcultatione. 2. ex loco uno Libri II. 3. ex locis VI. libri III. 4. ex locis XVI. libri IV. 5. ex locis II. libri V. ex locis V. libri IX. de eadem naturali auſcultatione. 6. ex locis VIII. libri I. de cœlo. 7. ex locis XI. libri II. de cœlo. 8. ex locis IV. libri III. de cœlo. (**)

Secun-

(*) Bellarminus de hoc libro, quem alii a Iuſtino profectum negant, *Huius meminit Photius, nec exſtat euidens indicium falſitatis, ideo nihil habeo, quod dicam.*

(**) Alia eaque luculentiora adſcribere ex Iuſtini Operibus poſſem teſtimonia, quæ minus fauent

Secundus Clemens Alexandrinus (*) in admonitione ad Gentiles: *Sed nec moleſtum fuerit, ut arbitror, cum ad hunc locum peruenerim, meminiſſe etiam Peripateticorum. Cuius quidem ſectæ, qui eſt pater, nihil de eo patre, qui eſt ſupremus, intelligens, putat eſſe animam uniuerſi, hoc eſt mundi, animam Deum eſſe exiſtimans, ipſe a ſe ipſo confoditur. Qui enim usque ad Lunam eius definit prouidentiam, deinde mundum Deum eſſe exiſtimat, auertitur, ut qui eum, qui eſt Dei expers, Deum eſſe arbitretur. Ereſius autem ille Theophraſtus familiaris Ariſtotelis alicubi quidem cœlum, alicubi uero ſpiritum Deum eſſe exiſtimat.* Deinde Libro V. Stromatum. (*p. 501.*) *Ita inquiunt, ſed materiam ponunt Philoſophi & Stoici, & Pythagoras: quin etiam Ariſtoteles Peripateticus, non autem unum principium.* (**)

 Ter-

uent Ariſtoteli, niſi ea iam dediſſet Baltus in libro Gallice conſcripto, Defenſe de SS. Peres accuſez de Platonisme L. II. c. III. p. 106. ſqq.

(*) Clementem Alexandrinum Stoicis annumerat Lipſius in Manud. ad Phil. Stoic. Lib. I. Diſſ. XVII. Minus recte. Fuit enim, quod ipſa αὐτοψία docet, ἐκλεκτικῇ philoſophandi rationi addictus. Hinc mirum eſſe nequit, quod in omnes fere philoſophorum ſectas laudes conferat, & tradita ab illis decreta complectatur.

(**) Poterat & ea ſubiungere Launoyus, quæ de Ari-

Tertius Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus libro aduerſus hæreſes II. cap. XIX. *Quod autem Saluatorem ex omnibus factum eſſe Æonibus dicant, omnibus in eum deponentibus uelut florem ſuum, non*

Ariſtotele loco excitato Clemens attulit. *Ariſtoteli uenit in mentem usque ad lunam deducere prouidentiam ex hoc Pſalmo, Domine in cœlo miſericordia tua & ueritas tua usque ad nubes.* In quibus fontem oſtendiſſe ſibi uiſus eſt Clemens, ex quo error ille Ariſtotelis profluxit. Scilicet credebant ueteres, Clearchi quam maxime inducti teſtimonio, Ariſtotelem Iudæi cuiuſdam uſum eſſe familiaritate, & ab eodem Vatum diuiniorum accepiſſe monimenta. Clearchi teſtimonium Ioſephus adduxit, ipſeque Clemens L. I. Strom. p. 304. & poſt illum Euſebius de Præpar. Euang. IX. 5. 6. Huetius in Dem. Euang. Prop. IV. c. II. §. XVI. de ueritate huius teſtimonii, tantum abeſt, ut dubitet, ut potius, eodem nixus, confirmet, Ariſtotelem ex Moſe deſumpſiſſe, quæ de DEO, & materia omnium rerum cauſa perſcripſit. Idem pariter admittit Edmundus Dickinſonus, in phyſ. Vet. & Vera c. IV. §. XIX. & Iudæum, cum quo, Clearcho teſte, conuerſatus eſt Ariſtoteles, ipſum Simeonem Iuſtum fuiſſe arbitratur. Contra Io. Ionſius de Scriptor. Hiſt. Phil. L. I. c. XVIII. Clearchi locum pro ſuppoſititio habet. Qua de re alibi fuſius explicabitur.

non extra Heſiodi pandoram nouum aliquid aſſe- runt. Quæ enim ille ait de illa, hæc hi de Saluatore inſinuant. Pandoron introducentes eum, quaſi unusquisque æonum quod haberet optimum, donauerit ei. Ipſam autem eduliorum & reliquarum operationum indifferentem ſententiam, & quod putent a nemine in totum poſſe coinquinari propter generoſitatem, licet quodque manducent, uel operentur, a Cynicis poſſederunt, cum ſint cum eis eiusdem teſtamenti, & minutiloquium autem & ſublimitatem circa quæſtiones, cum ſit Ariſtotelicum inferre fidei conantur. Quod autem uelint in numeros transferre uniuerſum hoc, a Pythagora acceperunt. Hic Valentinus (*) & illius Sectatores Ariſtoteli accepta referunt duo, minutiloquium & ſublimitatem, uel ut habet uetus

 codex

(*) Valentinum diſerte *Platonicùm* nominat Tertullianus, de carne Chriſti c. XX. Prodiit Londini, A. cIↄ Iↄ cc XI. liber, continens de Valentinianorum hæreſi coniecturas, in qua illius origo ex Theologia Ægyptiaca petitur. Vtrumque forſan admitti poteſt, cum ſuam Plato philoſophiam ab Ægyptiis fuerit edoctus. At enim ſi de eo inſtituitur quæſtio, utrum a Platonicis, an ab Ægyptiis Valentinus ſuam hauſerit Theologiam, facile ab eorum ſto ſententia, qui illam a Philoſophia Platonica deriuant. Quæ ſententia & alteri præferenda eſt, quæ originem ματαιολογίας Valentinianæ ex Iudæorum deducit Kabbala.

codex, multiloquium & ſubtilitatem, quibus chriſtianæ fidei ſimplicitatem & candorem corrumpebant. (*)

Quartus Tertullianus libro de præſcriptione hæreticorum cap. VII. *Ipſæ denique hæreſes a Philoſophia ſubornantur. Inde Æones, & formæ neſcio quæ & Trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: a Stoicis uenerat:* & poſt alia: *Vnde malum & quare? & unde homo, & quomodo? & quod proxime Valentinus propoſuit, unde Deus? ſcilicet de enthymeſi & ectromate. Miſerum Ariſtotelem! qui illis Dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi uerſipellem in ſententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionem, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem ne quid omnino tractauerit. Hinc illæ fabulæ & genealogiæ interminabiles & quæſtiones infructuoſæ, & ſermones ſerpentes uelut cancer, a quibus nos Apoſtolus refrænans nominatim philoſophiam conteſtatur, caueri oportere, ſcribens ad Coloſſenſes: Videte, ne quis uos circumueniat per Philoſophiam & inanem ſeductionem, ſecundum traditionem hominum præter prouidentiam Spiritus Sancti. Fuerat Athenis, & iſtam ſapientiam humanam affectatricem & interpolatricem*

(*) Mentio hic pariter facienda eſt Athenagoræ qui in Apolog. pro Chriſt. p. m. 232. ed. Rechenb. Ariſtotelem perſtringit, ἀπρονόητα dicentem τὰ κατωτέρω τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃.

cem ueritatis de congreſſibus nouerat, ipſam quoque in ſuas hæreſes multipartitam uarietate ſectarum inuicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? Quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat, Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum & dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. Quam pernicioſa Chriſtianæ fidei fuerit tunc Ariſtotelis Dialectica & Philoſophia, nemo melius Tertulliano nouerat, ſed nemo quoque accuratius expoſuit. Huic qui uellet nonnihil adiicere, otio abuteretur & literis. (*)

Idem in libro aduerſus Hermogenem cap. I. *Nec ipſe Apoſtolicus Hermogenes in regula perſeuerauit. Sed uiderit perſona, cum doctrina mihi quæſtio. Chriſtum Dominum non alium uidetur aliter cognoſcere, alium tamen facit, quem aliter cognoſcit. Immo totum quod eſt Deus aufert nolens illum ex nihilo uniuerſa feciſſe, a Chriſtianis enim conuerſus ad Philoſophos, de Eccleſia in Academiam & Porticum, inde ſumſit a Stoicis materiam cum domino ponere, quæ ipſa ſemper fuerit neque nata, neque facta: nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia poſtea fece-*

(*) Idem tamen Tertullianus Lib. de Anima p. 306. in mitiorem propendet ſententiam, dum *Zenoni uigorem, Platoni honorem, Ariſtoteli tenorem* tribuit.

fecerit. Sic in Academicorum & Stoicorum philoſophiam transfert lapſum Hermogenis. Deinde cap VIII. *Solus eam* (materiam) *Hermogenes cognouit, & hæreticorum Patriarchæ Philoſophi.* Quod de cæteris quidem, tum præſertim de Ariſtotele (*) intelligendum eſt.

Quintus Origenes Clementis Alexandrini diſcipulus Libro I. contra Celſum: *Quis autem,* inquit, *eorum qui ſe contulerunt ad Philoſophiam, aut forte fortuna ſectæ alicui deditus, aut a magiſtro inductus, aliter ſe ad eam applicat, quam ſi credat illam præſtantiorem cæteris? Non enim expectat donec auditis omnium Philoſophorum opinionibus, earumque uarietatibus, tum ſingulis adſtructionibus aut ſubuerſionibus, ita demum electionem faciat, Stoicusne malit fieri, an Platonicus, an Peripateticus, Epicureuſne, aut cuiuuis ſectæ Philoſophicæ? Sed ratione quapiam, aut potius ſi hoc inficientur, impetu ferantur ad exercendam diſciplinam, uerbi gratia, Stoicam relictis cæteris, contempta Platonica ut humiliore, Peripatetica ut humanis affectibus obnoxia, & plus quam aliæ ſectæ tribuente bonis, quæ magni fiunt apud homines.* At Peripateticæ ſectæ caput eſt Ariſtoteles.

Dein-

(*) Hoc admitti nequit. Tertullianus ſatis, quid ſibi uelit, declarat, ſiquidem in ſuperioribus Academicorum, & Stoicorum mentionem fecit, & utrosque pro fonte habet, ex quo Hermogenis promanauit ἅιρεσις.

Deinde libro II. contra eundem: *Quoniam autem pro Philoſopho uult haberi Celſus, interrogemus eum, num Platonis erat crimen, quod uigeſimo anno poſtquam eum audire cœperat Ariſtoteles, a præceptore deſciſcens, accuſauit eius doctrinam de immortalitate animæ, et ideas Platonis argutationes nominauit. Poſſemus & amplius argutando quærere: Ergo Plato nihil amplius ualebat in dialectica, nec idoneus erat tradendis ſuis cogitationibus, ex quo deſertus eſt ab Ariſtotele, & proinde falſa ſunt Platonis dogmata? an forte poſſibile eſt, quod facile Platonici conceſſerint, Ariſtotelem erga Magiſtrum ſuum fuiſſe ingratum & improbum?*

Huc ſpectare poteſt Helladius Beſantinous in libris Chreſtomathiæ, dum apud Photium in Myriobiblo Cod. CCLXXIX. de Ariſtotele ſic loquitur: *Ariſtoteles Peripateticæ Princeps ſcholæ a Platone pullus* (*) *nominatus eſt, quod Præceptori*

(*) πῶλος aut πωλάριον dictus eſt a Platone Ariſtoteles, propterea, quod a Platone adhuc uiuo defecerit, eumque ex Peripato, ubi huc dum docuerat, eiiecerit. Ita praeter Aelianum, Diogenes Laertius L. V. p. m. 114. Sed enim ab ingrati crimine animi Ariſtotelem excuſat Ammonius, ſiue, Ioannes Philoponus in Vita Ariſtotelis, a Petr. Ioanne Nunneſio edita, notisque illuſtrata. Dubito tamen, num ſalua id ueritate fieri poſſit. Ipſe namque Ariſtocles Meſ-

ri contradiceret. Equo enim uolupe eſt etiam patrem mordere. Quamobrem non facile admittentur, quæ in Excerptis e uita Pythagoræ hoc modo traduntur apud eundem Photium Cod. CCLIX. *Plato & Ariſtoteles uno conſenſu immortalem dicunt animum, quamuis alii altam mentem Ariſtotelis non intelligentes, mortalem eſſe animam, eum dicere exiſtiment.* (*) Neque

Meſſenius Peripateticus cum multus eſt in diluendis, quæ Ariſtoteli obiiciuntur, criminibus, duo tamen uere ipſi improperari fatetur, unum de nuptiis Pythiadis, alterum de ingrato in Platonem animo.

(*) Vere mihi iudicaſſe uidetur Patricius, in Diſcuſſ. Perip. L. XII. p. m. 152. Ariſtotelem *hac de re ita ſuam ſententiam reliquiſſe dubiam, ut nulla libris eius ſit incertior.* Quæ cauſa eſt, quamobrem uix aliquis *ex tot millibus eius ſectatoribus*, eodem Patricio iudice p. 257. *eius ſententiam ſine ſpinis potis fuit percipere.* Interpretatur quilibet fere Ariſtotelem, prout in Ariſtotelem eſt affectus. Vnde præſtat ipſum conſulere Ariſtotelem, inque ſententiam eius ex toto ſententiarum, quas de anima fouet, συςήματι inquirere. Dignum interea eſt admiratione, quod ex Platonicis ipſe Pletho affirmarit, creditam eſſe ab Ariſtotele animorum immortalitatem. Idem, ne de aliis nunc dicam, adſtruere conatus eſt Benedictus Pererius, de Communibus rerum natur. Princip. & Affect. L. VI. c. XIX. p. 388.

Neque uero credendum eſt, uel ſecum, uel cum Magiſtro, quem apud Hieronymum imitatur, pugnaſſe Originem, quando id fecit, quod eum feciſſe idem Hieronymus ad Magnum ſcribit his uerbis: *Hunc* (Clementem Alexandrinum) *imitatus Origenes decem ſcripſit Stromateas, Chriſtianorum & Philoſophorum inter ſe ſententias comparans, & omnia noſtræ religionis dogmata de Platone & Ariſtotele, Numenio Cornutoque confirmans.* Scilicet ueritatem numinum & uitiorum, quæ Philoſophi admittebant, deſtruens, atque inde Chriſtianæ legis dogmata confirmans. Nam ut *mendacium adſtrui, niſi deſtructa ueritate, non poteſt,* quemadmodum ait Phœbadius AginnenſisEpiſcopus, ſic & Origenes iis in libris putauerat deſtruendum ſibi eſſe mendacium, ut ueritas adſtrueretur. Vno uerbo comparationem illam tanta ſolertia & cautione inſtituit, ut omnia noſtræ religionis dogmata Chriſtianorum ſententiis defenderentur, & Philoſophorum neutiquam oppugnarentur. Quo ſpectat illud homiliæ XI. in cap. I. Geneſeos: *Sane præter hoc quod ex lege Dei edocemur, ſi etiam ex his eruditionibus, quæ extrinſecus uidentur eſſe in ſæculo, aliquas contingimus, uerbi cauſa, ut eſt eruditio literarum, uel artis grammaticæ, ut eſt Geometrica doctrina, uel ratio numerorum, uel etiam dialectica diſciplina, & hæc omnia extrinſecus quæſita ad noſtra inſtituta perducimus, atque in aſſertionem noſtræ legis adſciſcimus, tunc uidebimur uel alienigenas in matrimonium ſumſiſſe, uel etiam concubinas: & ſi de huius-*

huiusmodi coniugiis diſputando, contradicentes redarguendo conuertere aliquos poterimus ad fidem, & ſi ſuis eos rationibus & artibus ſuperantes ad ueram Philoſophiam Chriſti & ueram ſcientiam Chriſti, pietatem Dei ſuſcipere ſuaſerimus, tunc ex dialectica et Rhetorica uidebimur quaſi ex alienigena quadam uel concubina filios genuiſſe.

Sextus Lactantius Firmianus lib. I. contra Gentiles cap. VI. *Ariſtoteles quamuis ipſe ſecum diſſideat, ac repugnantia ſibi dicat, et ſentiat, in ſumma tamen, unam mentem præeſſe mundo teſtatur.* Deinde lib. II. cap. XI. *Et ii maxime fuerunt in ea ſententia, qui eſſe prouidentiam negant. Nam Stoici animantium fabricam diuinæ ſolertiæ tribuunt. Ariſtoteles autem labore ſe ac moleſtia liberauit dicens ſemper mundum fuiſſe. Itaque & humanum genus, & cætera, quæ in eo ſunt, initium non habere, ſed fuiſſe ſemper ac ſemper fore.* (*)

Septimus Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus libro XV.

(*) Potuiſſet ex eodem illo capite hæc ſubiungere Lactantii uerba. *Quæ ſi uera ſunt, non potuit defendere Ariſtoteles, quo minus habuerit & mundus ipſe principium. quod ſi Ariſtoteli Plato, & Epicurus extorquent, & Platoni & Ariſtoteli, qui ſemper fore mundum putauerunt, licet ſint eloquentes, ingratis tamen idem Epicurus eripiet, quia ſequitur, ut habeat & finem.* Eundem Ariſtotelis errorem perſtringit Lactantius L. VII. c. I.

XV. Præparatione Euangelica cap. I. *Atque ut ab Ariſtotele ordiar. Fuere quidem nonnulli, nec obſcuri alioqui Philoſophi, a quibus ipſa quoque hominis uita calumniis proſciſa eſt. At ego ne auditione quidem ſuorum in eum maledicta ſuſtinere poſſim. Quamobrem editas ab Ariſtotele Peripateticæ defenſionis eius rationes exponam.* Idem cap. III.

Moſes, Hebræique Prophetæ beate uiuendi finem in præpotentis Dei cognitione & amicitia, quam religio perficiat, conſtituunt. Veram porro religionem illam eſſe, docentque, quomodo Deo uirtutum omnium complexione placeamus. Hanc enim bonorum cauſam eſſe, cum et in unius Dei poteſtate uerſentur omnia, & a Deo ſuis amatoribus omnia ſuppeditentur. His gemina Plato ſtatuens beatitudinis finem in uirtute ponit. At Ariſtoteles aliam inſiſtit uiam, nec aliter beatum quemcunque futurum eſſe defendit, quomodo ſi & bona corporis utetur ualetudine et externis opibus abundauit, quibus ipſa ſi uirtus careat, timetur nihil. Eum uero quam acriter petant, quemadmodum hanc eius opinionem falſi coarguant Platonis diſcipuli, ex ſequentibus intelliges. Idem cap. IV.

Attici Platonici diſputatio aduerſus Ariſtotelem a Moſe & Platone in conſtituenda finis ratione diſſidentem. Idem cap. V.

Moſes præterea Hebræique Prophetæ, quibus etiam Plato ſuffragatur, prouidentiam uniuerſa complecti, diſtincte clareque poſuerunt. Ariſto-

teles

teles in lunari orbe metam Numini, terminumque conſtituens, partes mundi reliquas eius curæ gubernationique ſubduxit, quam ob cauſam his ab eodem Attico uerbis reprehenditur, Idem cap. VI.

Mundum inſuper Moſes cum aliquo generatim ortu poſuit, tum parentem eius molitoremque Deum huic rerum uniuerſitati præfecit. Quo in genere Moſi quoque affinia Plato philoſophatur. Contrariam utrique Ariſtoteles hac in quæſtione uiam inſiſtens ab eodem Attico ſic ad uerbum ſcribente reuincitur. Idem cap. VII.

Eiusdem (Attici) *aduerſus eundem* (Ariſtotelem) *quintam corporum eſſentiam inducentem quam neque Moſes, neque Plato nouit.* Idem cap. IX.

Eiusdem (Attici) *aduerſus eundem* (Ariſtotelem) *cum Platone ſimul, Hebræorumque doctrina in quæſtione de animorum immortalitate pugnantem.*

Sic Euſebius cum ex Moſe, tum ex Attico & Platone refellit Ariſtotelem, ut qui certe præ cæteris Philoſophis minus conſentiat chriſtianæ religioni, eiusque dogmatibus. Quicquid id eſt, perſuaſum habet uir prudentiſſimus, faciliores ad fidem noſtram patefieri non poſſe aditus, quam ſi gentilium & cum primis Ariſtotelis Philoſophia tolleretur.

Deinde in Lib. V. hiſt. Eccleſiaſticæ cap. XXVII. de Artemonis hæreſi, quam Paulus Samoſatenſis inſtaurauit : *Sacras audacter deprauarunt ſcripturas, ueteris fidei canonem abrogarunt,*

Chri-

Chriſtum ignorarunt. Neque quid ſacræ & diuinæ literæ de illo dicunt, inquiſiuerunt. Sed quænam ſyllogiſmi figura ad ſuam impietatem confirmandam reperiretur, ſtudioſe indagarunt. Quod ſi quisquam forte illis aliquod diuini eloquii teſtimonium proferat, quærunt, utrum coniunctam an disiunctam ſyllogiſmi figuram poſſit efficere? Relictis uero & depoſitis ſacrarum literarum ſtudiis omni cura & cogitatione in Geometriam incumbunt, & tanquam ex terra editi de terra loquuntur, & Chriſtum, qui ſit de cœlo uenturus, penitus ignorant: Euclides enim apud quosdam eorum propter Geometriæ artem enixe recolitur. Ariſtoteles & Theophraſtus in ſumma habentur ueneratione. Galenum etiam fortaſſe nonnulli ſumme uenerantur. Hi ergo tum infidelium artibus ad erroris ſui ſententiam roborandam abutuntur, tum ſollerti impiorum aſtutia & ſubtilitate ſimplicem ac ſinceram diuinarum ſcripturarum fidem adulterant. Si quando igitur hæretici Scripturarum ſenſum corrumpunt, id præſertim Ariſtotelis opera moliuntur.

Tum in Libri VII. cap. XXVI. (*) ſcribit Anatolium, qui Laodicenſis fuit Epiſcopus, Alexandriæ Philoſophiam Ariſtotelis tradidiſſe, ſed hoc ei laudi non ducit; Verba ſunt: *Anatolius* (**)

K *gene-*

(*) Eſt cap. XXXII.

(**) Valeſius ad h. l. exiſtimat, eundem eſſe hunc Anatolium, cuius meminit Eunapius in Vita Iam-

genere etiam Alexandrinus poſt illum (Euſebium) *creatur Epiſcopus* (Laodiceæ) *bonus, ut aiunt boni uiri ſucceſſor. Qui cum ob eloquentiam, tum ob doctrinam humaniorem, & cognitionem philoſophiæ inter homines noſtri temporis, qui erant ſpectatiſſimi, facile principem locum obtinuit. Quippe in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, & diſſerendi facultate, in contemplatione & perſpicientia naturæ, in oratorum quoque diſciplinis uenerat ad ſummum. Quarum rerum gratia, fama eſt, ciues Alexandriæ eum & ludo, in quo Ariſtotelis doctrina docebatur, magiſtrum præfeciſſe.* (*) Hæc

Iamblichi, ubi dicit, Iamblichum initio auditorem fuiſſe Anatolii, qui tum temporis in Philoſophia ſecundum a Porphyrio locum obtinebat.

(*) Verba apud Euſebium ita ſe habent. *ὧν ἕνεκα καὶ τῆς ἐπ' Ἀλεξανδρείας Ἀριστοτέλους διαδοχῆς τὴν διατριβὴν, λόγος ἔχει πρὸς τῶν τῇδε πολιτῶν συστήσασθαι αὐτὸν ἀξιωθῆναι.* Quæ Valeſius rectius transtulit. *Qua de cauſa rogatus fuiſſe dicitur ab Alexandrinis, ut Ariſtotelicæ ſucceſſionis Scholam ibidem inſtitueret.* Scilicet, quod in Notis ad h. l. obſeruat Valeſius, debuit Anatolius, Ariſtotelicæ ſucceſſionis ſcholam inſtituere inſtar Platonicæ ſucceſſionis, cuius celeberrima Schola iam pridem Athenis erat inſtituta. Qua ratione procul dubio Patricius, in Diſcuſſ. Perip.

T. I.

Hæc de Anatolio, quem aliis de capitibus plurimum laudat. Vtrum autem Alexandriæ ciues, qui Ariſtotelis ſcholæ præfecerant Anatolium, fuerint omnes Chriſtiani, nec ne, Euſebius diſerte non exprimit. Sed non omnes fuiſſe Chriſtianos, cum ex eodem cap. facile colligitur, tum ex ratione temporis, quo docuit. Nam docuit multo ante annum Chriſti CCLXXII. quo creatus eſt Laodicenſis Antiſtes. Tunc Alexandriæ & aliis in locis Chriſtiana uexabatur religio, & plures ab ea ſuſcipienda ſuppliciorum atrocitate deterrebantur.

Octauus (*) Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus in Dialogo II. aduerſus Macedonianum. *Dic ergo canes, ſerpentes & cetera animalia uniuerſa,*

T. I. L. X. p. m. 140. *Anatolius*, ſcribit, *ſub Diocletiano primus dicitur Alexandriæ Peripateticam Scholam aperuiſſe.* Vix enim negari poterit, fuiſſe iam ante Anatolii tempora Alexandriæ uiros, qui philoſophiam ibidem Peripateticam profeſſi ſunt. Beniamin Tudelenſis, in Itiner. p. 121. Scholam, in qua Ariſtotelis explicarunt philoſophiam, ita deſcribit. *Extra urbem Ariſtotelis præceptoris Alexandri Schola eſt: Vbi pulchra & magna ſtructura, marmoreis columnis inter Scholas collocatis. Nam uiginti ferme Scholæ uiſuntur, quia eo ex toto mundo confluebant, quo Ariſtotelis philoſophi ſapientiam addiſcerent.*

(*) Deeſt in utraque edit.

imo & non animalia duntaxat irrationalia, ſed & plantas, et ſi quid aliud e terra prodit, eiusdem eſſe cum hominibus eſſentiæ. Nam communi terreſtrium nomine gaudent illa quidem, ſed rationem eſſentiæ eandem non admittunt. Macedonianus. Ego non ſum ſectator Ariſtotelis. Orthodoxus. Neque ego. Macedonianus. Imo pronunciatum illud Ariſtotelicum eſt, ὁμονύμων *id eſt, quorum nomen commune eſt, eorum diuerſam eſſe eſſentiæ rationem. Orthodoxus. Tunc uero in hominibus, in aſinis, in bobus, in equis, in aliis denique animalibus eandem eſſentiæ rationem eſſe dicis. Macedonianus. Etiam. Orthodoxus. Eadem igitur tuæ, quæ et irrationalium, eſſentiæ eſt ratio. Macedonianus. Eſt, de terra enim omnes procreati ſumus. Orthodoxus. Ego non Ariſtotelis auctoritatem, ſed ueritatem ſecutus, quorum idem nomen eſt, illorum eandem eſſentiæ rationem eſſe nego; nec eodem irrationalia & rationalia eſſentiæ cenſu habeo.* Orthodoxus & hæreticus, Athanaſius & Macedonianus in eo conueniunt, ut Ariſtotelem e ſcholis Theologorum procul remoueant.

Nonus Hermias Philoſophus Chriſtianus (*) in

(*) Hermiæ Philoſophi Διασυρμὸν τῶν ἔξω φιλοσόφων primus ex Bibliotheca Fuggeriana edidit Raphael Seilerus. Quæ editio habetur in Theologorum aliquot Græcorum ueterum Orthodoxorum Libris Græcis, a Conrado Geſnero

in libello, qui Gentilium Philoſophorum irriſio inſcribitur: *Sed huic*, inquit, (Archæiao) *magniloquus Plato non aſſentitur, qui rerum exordia, Deum & materiam & exemplar eſſe dixit. Iam uero perſuaſum mihi eſt? Quidni uero? Cum Philoſopho, qui Iouis currum etiam fecerit, crediturus ſim? A tergo autem ſtat eius diſcipulus Ariſtoteles, qui magiſtrum ob currus fabricationem illam æmulatur: Ille alia principia deſcribit, facere nimirum & pati. ac id quidem quod faciat, nulla re affici, uidelicet ætherem: Id uero, quod patiatur, quatuor habere qualitates, ariditatem, humiditatem, caliditatem, frigiditatem? horum autem mutua inter ſe mutatione omnia & oriri & interire. Defatigatus iam ſum, ſurſum ac deorſum opinionibus iactatus. Verum Ariſtotelis ſententiæ ſtabo. Neque ulla amplius ſententia tumultum mihi concitabit. Sed quid agam? Nam ſenes his uetuſtiores animi mei neruos incidunt, etc.* Hoc loco Hermiam in omnem euentum poſui. Quo enim tempore floruerit, haſtenus non potui certo ſcire.

Decimus Baſilius Cappadocum Epiſcopus libro I. contra Eunomium: *Num Ariſtotelis aut*

nero Tiguri A. cIↄ Iↄ LIX. editis. Ipſe etiam Geſnerus nihil certi de Hermia habet. Ita namque in Præf. ad Lect. *Hermias philoſophus quis fuerit quando uixerit ignoro. Nam cum plures hoc nomine fuerint, nulli tamen hic liber conuenire uidetur ex iis, qui noti mihi ſunt.*

Chryſippi (*) *ſyllogiſmis opus eſt, ut eum perdiſcamus, qui ingenitus eſt, neque à ſe ipſo, neque ab alio genitum, nec priorem eſſe nec poſteriorem ſe ipſo? Quorſum igitur hac tendunt ab ipſo comparata? Primum mihi uidetur honori ſibi apud auditores futurum putaſſe, quaſi ſolido ac ſolerti ſit ingenio præditus, & acutus in proſpiciendis incongruis, & acutior in diſſoluendo, quod deprehenderit, & harum rerum gratia uolubili orationis curſu glorietur, & demonſtrationem ſubtiliter deducam, quod nec a ſeipſo, nec ab alio ingenitus eſt, ſit genitus.* Sic Eunomius Ariſtotelis & Chryſippi Syllogiſmos adhibet, quibus ſua dogmata ſtabiliat: Baſilius uero procul abiicit, iisque Chriſtianam fidem facile carere docet.

Hic locus in cauſa mihi eſt, cur ad Ariſtotelem minus, quam ad reliquos Philoſophos transferam, quæ de Baſilio Gregorius Nyſſenus ſcribit

(*) Chryſippus a peritia Dialectices, cui inprimis nauabat operam, uehementer commendatur, adeo, ut, Laertio teſte L. VII. p. 207. creditum ſit plerisque, *ὅτι εἰ παρὰ θεοῖς ἦν ἡ διαλεκτικὴ οὐκ ἂν ἦν ἄλλη ἢ ἡ χρυσίππειος.* Plura, quæ idem confirmant, loca congeſſit Voſſius, de Nat. & Conſt. Log. c. VIII. §. 16. Non tamen acuti laudem uiri, quam affectauit, in omnibus ſuſtinuit. Iupiter apud Lucianum in Icaro Menippo *τοιγαρ οὖν ψυχροτέρους ἂν μου τοὺς βώμους ἴδοις τῶν Πλάτωνος νόμων, ἢ τῶν χρυσίππου συλλογισμῶν.*

bit in uita Moſis, hunc Scripturæ uerſiculum: *Profunda tu ne ſcruteris* interpretatus: *Conuenientior eſt ſublimior ſenſus eo, qui ad literam exponenti occurrit, quaſi nimirum ſcriptura iubeat, ut ii, qui honeſte ac liberaliter ex uirtute uitam inſtituunt, eruditionis Gentilium diuitias ſibi comparent, quibus alieni a fide homines exornantur, moralem naturalemque Philoſophiam, Aſtronomiam, Geometriam, Muſicam, Dialecticam, ceteraſque ſcientias, quibus alieni ab Eccleſia florent, accipere ab illis, & illos abutentes priuare ſi poſſibile eſt, & in meliores uſus transferre iubemur. Vt quæ nobis uſui futuræ ſint, cum opus fuerit, diuini myſterii templum his ſpiritualibus opibus exornare. Qui enim tales opes ſibi colligerunt, Moyſi circa tabernaculum teſtimonii laboranti de rebus ſuis ad ſanctorum conſtructionem conferunt, quod etiamnum fieri uidemus. Multi Gentilium eruditionem, tanquam donum quoddam Eccleſiæ offerunt, cuiusmodi magnus ille fuit Baſilius, qui cum Ægyptiorum opes in iuuenili ætate ſibi egregie comparaſſet, Deoque conſecraſſet, uerum Eccleſiæ tabernaculum exornauit.*

Vndecimus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus in Oratione VI. contra Eunomium: *Quia Apoſtolus inquit, Dominus Spiritus eſt. Quid igitur hoc ad eſſentiam? Sed Spiritum pro eſſentia poni iubent demonſtratiuarum argumentationum artes: hæc ſunt Ariſtotelici artificii præclara documenta: Propterea nos qui huius ſapientiæ ſacris non ſumus initiati, miſerabiles ſecundum tuum ſermonem: beatus*

atus autem, non tamen omnino, qui per talem argumentationem uerum inueſtigat. Sic intelligere Apoſtolum, ut pro eſſentia unigeniti, ſpiritum ab ipſo poni exiſtimet.

Deinde in oratione XI. contra eundem: *Hic accurate promulgans Ariſtotelicam diuiſionem noſtro ſermoni affinxit genera & ſpecies & differentias & indiuidua, & omne quod eſt in Categoriis, artificium ad calumniam noſtrorum decretorum in medium protulit.*

Tum in præfatione Catecheticæ orationis: *Quoniam autem Seuerus ſolas iactat uoces, in ſolis uerbis ac ſonis collocat pietatem, licet dicat Apoſtolus: Non enim eſt in ſermone regnum DEI, ſed in uirtute & ueritate. Is autem apud Seuerum optimus agnoſcitur Theologus, qui in prædicamentis Ariſtotelis & in ceteris, quæ apud Philoſophos ſunt præclara, fuerit exercitatus, neceſſe eſt, nos ſignificata unius cuiusque dictionis eorum, quæ accipiuntur, tanquam ſententiæ in iis quæ dicuntur apud Seuerum, opportune declarare ex ſententia Doctorum Eccleſiaſticorum, in qua ea acceperunt, ut qui in libros ſubſcriptos inciderint, poſſint cum primum legerint, intelligere unum eorum, quæ dicuntur, neque propter ignorationem ſignificationis dictionum impediantur, ne comprehendant ea, quæ ſunt in ipſis theoremata.* Sic hæretici in Theologorum ſcholas inducunt Ariſtotelem, quem inde abigit Gregorius Nyſſenus.

Duodecimus Gregorius Nazianzenus oratione XXVI. *Alias contra exiguo ingenio eſt, & lingua pauper,*

pauper, nec uerborum flexus & captiones nouit, nec ſapientium dicta & ænigmata, nec Pyrrhonis inſtantias aut aſſenſus, retentiones, aut oppoſitiones, nec ſyllogiſmorum Chryſippi ſolutiones aut prauum artium Ariſtotelicarum artificium, aut Platonicæ eloquentiæ (*) *præſtigias, quæ uelut Ægyptiacæ quædam plagæ in Eccleſiam noſtram irrepſerunt.* (**) Eleganti cumprimis & appoſita ſimi-

(*) In fonte γοητεύματα. Quæ dictio de Sophiſtis, uituperio dignis, adhiberi ſolet. Comparetur Pollux IV. 47. ſeqq. Etiam alii ex Chriſtianis γοητεύματα Platoni tribuunt. In his eſt Zacharias Scholaſticus, qui, dum Theologos Chriſtianos cum Philoſophis contendit, ita modum, quo utrique utuntur, docendi perſequitur. Οὐ γὰρ δὴ, uerba exſtant in Dialogo de Opificio mundi p. 170. οἱ πὰρ ἡμῖν Θεολόγοι, κεκαλλιεπημένοις λόγοις, καὶ ῥημάτων κομψείαις, καὶ ἀττικῶν ὀνομάτον ἁρμονίᾳ τε καὶ συνθήκῃ, καὶ τῷ γλαφυρῷ τῆς φράσεως γοητεύουσι τῶν ἀκροωμένων τὰς ἀκοὰς ἀληθῶν ἀποθείξεων ἀπορίᾳ ὥσπερ ὁ ὑμέτερος Πλάτων κ. τ. λ.

(**) Subiungo, quæ idem Gregorius habet in Carmine εἰς ἑαυτὸν, καὶ περὶ Ἐπισκόπων, a Iacobo Tollio Inſign. Itiner. Ital. inſerto, p. 30. ſq.

Μή μοι τὰ Σέξτου, μηδὲ Πύῤῥωνος πλέκε,
Χρύσιππος ἔῤῥει, μακρὰν ὁ Σταγειρίτης.
Μηδὲ Πλάτωνος στέργε τὴν εὐγλωττίαν.

ſimilitudine ſignificat, magnum eſſe detrimentum, quod artes Ariſtotelis & Platonis eloquentia importarunt Eccleſiæ.

Deinde in oratione XXXIII. *Sunt enim quidam, quibus non aures duntaxat, ſed etiam lingua, atque adeo manus ipſa, ut uideo, ad ſermones noſtros pruriunt, quique profanis uocum nouitatibus, & contentionibus falſò nominatæ ſcientiæ, atque diſputationum pugnis, quæ nullam utilitatem afferunt, oblectantur. Nam his nominibus, quicquid in uerbis, uel ſuperuacaneum uel curioſum eſt, uocat Paulus ille breuiati uerbi præco, & aſſertor ille piſcatorum diſcipulus & præceptor. Hi uero, de quibus orationem habemus, utinam quemadmodum linguam uolubilem habent, atque in nobilioribus & probatioribus uerbis inſectandis acrem & uehementem, ſic etiam in agendo nonnihil ſaltem, aut etiam æque operam collocarent. Id quod ſi facerent, minus utique cauillatores eſſent, nec tam abſurde, atque inſolenter in uerbis perinde, atque in aleæ ludo uerſarentur. Liceat enim mihi ridicule de re ridicula loqui. Quoniam autem omni pietatis uia ſublata & deleta, hoc unum ſibi proponunt, ut quæſtiones uel ſtringant uel ſoluant (quemadmodum qui in theatris certamina peruulgant, & quidem huiusmodi certaminum genera, quæ non iuxta palæſtræ leges uictoriam comparant, ſed imperitorum duntaxat oculos perſtringunt, ac laudem a ſpectatoribus captant) & res huc redit, ut horum diſputationibus & forum omne circumſtrepat, & conuiuia omnia huius-*

huiuſmodi nugarum tædio obtundantur, atque & feſtum omne infeſtiuum ſit, mæſtitiæque plenum, ut luctus omnis maiori calamitate, hoc eſt, quæſtionum argutiis mitigetur, ac denique gynæcea omnia ſimplicitatis alumna turbentur, & pudoris flos præcipiti hac contendendi libidine compiletur, quoniam, inquam, hæc ita ſe habent, adeoque intoleranda eſt uis huius mali, ut periculum ſit, ne magnum fidei noſtræ myſterium exigua quadam articula eſſe uideatur. Et poſt alia: *Cur accuſatores ipſos iudices conſtituimus? cur hoſtibus in perniciem noſtram gladios porrigemus? quo pacto quoue modo eos huiuſmodi ſermonem accepturos cenſes, qui adulteria & puerorum ſtupra laudibus efferunt, qui uitia adorant, nec quicquam ſupra ſtupra corpus cogitare poſſunt, qui heri & nudius tertius Deos ſibi condiderunt, eosque & turpiſſimis facinoribus claros & nobiles? an non craſſe non fœde? non inepte? denique non ſuo more? nonne deorum ſuorum ac uitiorum patrocinium a theologia ſua haurient? nonne cum ipſi his uocibus calumniam ſtruamus, quo tandem animo illos adducere queamus, ut philoſophiam noſtram amplectantur?* & poſt alia. *Quid ergo uir optime, relictis aliis omnibus itineribus perinde ac doctrinam noſtram paupertatis damnantes, ad unum hoc iter ferimini omnes, quod per diſputationes ac ſpeculationes, ut ipſi putatis, ut autem ego, nugas & præſtigias teritur? Obiurget uos Paulus poſt gratiarum enumerationem acriter his uerbis inuehens: non omnes Apoſtoli? non omnes Prophetæ? & quæ ſequuntur:*

eſto

eſto autem; ſit ipſe altus & ſublimis, & ſublimioribus ſublimior, atque ipſis etiam nubibus, ſi ita lubet, altior, rerum quæ oculorum aſpectum ſuperent, ſpectator, & arcanorum uerborum auditor, poſt Heliam in ſublime raptus, poſt Moyſen Dei conſpectione donatus, poſt Paulum in cœlum euectus, quid tandem eſt, quod alios quoque unius diei momento ſanctos fingis, & Theologos creas, eruditionemque ipſis uelut inſpiras, & multa imperite doctorum conciliabula facis? cur aranearum telis infirmiores illaqueas? ex eo quo tibi ſcitum aliquid ac præclarum facere uideris? cur aduerſus fidem crabrones excitas? cur Dialecticorum agmen nobis ex tempore producis? non aliter & fabulæ olim gygantes? cur leuiſſimos quoque uiros & uirorum nomine indignos uelut colluuiem quandam in unam uoraginem cogens, ac uerborum illecebris magis ac magis effœminans, nouam ex ipſis impietatis officinam condidiſti, aſtute interim earum amentia ad utilitatem tuam abutens, ex eaque meſſem faciens? Quod ſi quaque obluctaris, nec aliæ uitæ ſtudia & inſtituta ullius apud te momenti ſunt, linguamque omnino imperitare ac dominari neceſſe eſt, nec parturientem ſermonem ui reprimere potes, multa quoque alia honorifica argumenta tibi ſuppetunt: adeo morbum iſtum non ſine opera pretio conuerte. Pythagoræ ſilentium, & fabas illas Orphicas inſectare, recentemque horum uerborum arrogantiam, ipſe dixit, Platonis ideas impete, animorumque noſtrorum in alia atque alia corpora migrationes, & circuitiones & reminiſcentias,

tias, ac denique non pulchros amores per pulchra corpora in animum ſubeuntes, Epicuri impium numinis contemtum, & atomos & alienam philoſophorum uoluptatem exagita. Ariſtotelis præparcam & anguſtis finibus circumſcriptam prouidentiam & artificium, ac mortales de anima ſermones, atque humana dogmata confuta. Stoicorum ſupercilium inceſſe: Cynicorum ingluuiem, & circumforaneam leuitatem. Denique in oratione ad Conſtantinopolitanum Concilium: *Aduerſus hæc Moabitis quidem & Ammonitis nec aditus ad Eccleſiam Dei pateat, hoc eſt Dialecticis & male curioſis ſermonibus, qui Dei generationem, ac proceſſionem, quæ nullis uerbis explicari poteſt, inquirentes, aduerſus ueritatem temere inſurgunt. Perinde ſcilicet, ac ſi ea quæ uim omnem & facultatem uerborum ſuperant, ab ipſis ſolis percipi poſſe oporteat, uel omnino percipi non poſſe, quia ipſi ea intellectu aſſequi nequeunt. Nos autem ſcripturæ diuinæ ueſtigiis hærentes, atque offendicula ea, quæ cæcutientibus moleſtiam exhibent, ſubmouentes, ſalutem retinebimus.* Dialecticorum nomine tum alios, tum Ariſtotelem præſertim intelligit.

Decimus tertius Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus libro II. hæreſi LXIX. *Huic argumento non diſſimile eſt aliud ab nouis illis Ariſtotelicis* (*) *inuentum. Nam huius Philoſophi uirus omne*

(*) Loquitur de Arianis, quos ita nominat, propterea, quod philoſophia Ariſtotelica in ſua con-

omne in ſe ipſis expreſſerunt, & innocentem Spiritus Sancti ſimplicitatem, benignitatemque reliquerunt: De quibus ita Dominus loquitur: Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris. At illi manſuetudine relicta calliditatem potius amplexi ſunt, ſeque ad Ariſtotelem & cæteros huius mundi dialecticos accommodare maluerunt, quorum fructus ita conſectantur, nullam ut iuſtitiæ frugem proferant, nec ullum Spiritus Sancti beneficium, utpote contentionis plus æquo cupidi impetrare meruerint.

Idem in indiculo libri III. de Aëtianis. *Anomæi ſiue Aëtiani Chriſtum & Spiritum Sanctum a Deo*

---

confirmationem αἱρέσεως ſiue uterentur, ſiue abuterentur. Forſan ob eandem rationem dicti pariter ſunt Porphyriani. Quo nomine eos appellandos duxit Conſtantinus Imp. in Epiſt. apud Socratem L. I. c. IX. p. 32. Petrus de Marca de Conc. Sacerd. et Imp. L. II. c. X. §. X. *Conſtantinus*, inquit, *Arium & eius conſortes Porphyrianos uocari, id eſt, Chriſtiani nominis oſores & hoſtes iuſſit.* Non nego, ipſummet Imperatorem impietatis feciſſe mentionem, puto tamen, præter hanc aliam pariter denominandi rationem in animo eundem habuiſſe. Scilicet Porphyrius conſcripſit quinque Vocum Inſtitutionem ad Chryſoarum, qua egregie librum Categoriarum illuſtrat. At hac, quod multis uetuſtiorum confirmari poteſt teſtimoniis, Ariani abutebantur.

Deo funditus alienum eſſe prædicant, quos creatos eſſe, neque quicquam habere ſimilitudinis aſſerunt. Quippe ſyllogiſmis quibusdam Ariſtotelicis, ac Geometricis Dei naturam explicare ſtudent, iiſdemque probant Chriſtum a Deo oriri non poſſe.

Idem eodem libro III. hæreſi LXXVI. *Aëtius cum Alexandriæ Ariſtotelico cuidam Philoſopho ac Sophiſtæ nauaſſet operam, ab eoque Dialecticam didiciſſet, totus in illud incubuit, ut diuinarum rerum rationem quibusdam futuris explicaret, id quod ſummo in otio a prima luce in ueſperam usque, ſed eas pertinaci opera contendebat, nimirum ut Geometricas figuras diuinas ad res tractandas, definiendas, docendasque transferret.* Et poſt alia: *Fieri non poteſt, ut ingenita increataque natura creata ſit aliquando, ab eaque creatæ rei conditione uelut pœnitendo ad priorem illum ingeniti ſtatum poſtliminio reuertatur, quantumuis Ariſtotelicis tuis iiſque infinitis quæſtionibus implicare nos ſtudeas, cœleſti ac ſimplici, caſtaque Spiritus Sancti doctrina derelicta.* Et poſt alia: *Define igitur Aeti Ariſtotelicas illas tuas uoces & inanes obtrudere. Nobis enim citra ullum erroris periculum certiſſima Chriſti doctrina ſufficit, cum ita loquitur, Ego exiui a Patre, & uado.* Et poſt alia: *Neque id hortatione ulla perficere potes, ut Ariſtotelis præceptoris tui diſcipuli eſſe uelimus, aut piſcatorum, qui Dei ſpiritu colluſtrati ſunt, doctrinam relinquere, illiteratorum quidem & rudium, ſed ueritatis nihilominus præconum, quo munere Dei uirtute ac beneficio perfuncti ſunt. Non enim in ſyllogiſmis argu-*

argumentisque regnum cœleſte poſitum eſt, neque in arroganti inflatoque ſermone, ſed in uirtute ac ueritate. Nos autem ſatis ſuperque hactenus tuam illam de priuatione affectionum ac poſitionum Diſputationem audiuimus. Sic Anomœi & Aëtiani patronum adhibent Ariſtotelem, quo ſuam hæreſin confirment. Et quem ideo ſanctiſſimus Pater refellit, & a Chriſtianorum ſcholis abigendum cenſet.

Decimus quartus Theodorus Presbyter Antiochenus libro de Incarnatione contra hæreſes. *Quando autem Seuerus nudis uocibus acquieſcit, utique pietatem ſupponit conſiſtere in ſolis uerbis ac ſonis reclamante Apoſtolo, qui dicit: Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in uirtute & ueritate. E regione is demum ab ipſo Seuero præſtantiſſimus agnoſcitur Theologus, qui ſcite ſe exercuit in Ariſtotelicis Categoriis & reliqua ſupellectile externorum a Chriſto Philoſophorum.* Ex hoc autem teſtimonio conſtat Ariſtotelem perinde ab Eccleſia, atque hæreticum a Catholico diſtare.

Decimus quintus Fauſtinus Presbyter libri contra Arianos cap. II. *Noli infelix aduerſus Chriſtum Dominum totius creaturæ Ariſtotelis artificioſa argumenta colligere, qui te Chriſtianum* (*) *qua-*

(*) Solebant ſeſe Ariani inprimis Chriſtianos, & Catholicos appellitare. Quod teſtimonia euincunt, a Sandio collecta, in Nucl. Hiſt. Eccl. L. I. p. 140. ſq. Sed rectius hoc illis denegarunt nomen

qualitercumque profiteris. Quem Philoſophum Epiphanius ut Anomœorum & Aëtianorum patronum, hunc Fauſtinus ut Arianorum hyperaſpiſtem execratur. Sed poſtea ſubiicit: *Inſpice potius diuinos libros, & de diuina fide diuinis utere ſermonibus.*

Decimus ſextus Gregorius Beticus Eliberitanus Epiſcopus in libro de fide contra Arianos eandem omnino orationem uſurpat. Quo fit, ut repetenda eſſe minime uideatur.

Decimus ſeptimus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus libro I. Officiorum cap. XIII. *Et primo eorum aſſertionem, qui Deum putant curam mundi nequaquam habere, ſicut Ariſtoteles aſſerit usque ad Lunam eius deſcendere prouidentiam.* Et poſt alia: *Nam de Ariſtotelis opinione quid loquar, qui putat Deum ſuis contentum eſſe finibus, & præſcripto regni modo degere, ut poetarum loquuntur fabulæ, qui mundum in tres ferunt eſſe diuiſum, ut alii cœlum, alii mare, alii inferna cöercenda imperii ſorte obuenerint, eosque cauere, ne uſurpata alienarum partium ſollicitudine inter ſe bellum excitent. Similiter ergo aſſerit, quod terrarum curam non habeat, ſicut maris uel inferni non habet.*

nomen ii, qui pro ὁμοȣσίᾳ Filii DEI propugnabant. Sic Liberius Eunuchum Conſtantii, religione Arianum abire iuſſit, ut Chriſtianus fieret, apud Theodoretum L. II. H. E. c. XVI. ad quem locum conſulendus eſt Valeſius in Not.

Idem in libri I. de fide cap. V. *Auſer hinc argumenta, ubi fides quæritur. In ipſis Gymnaſiis ſuis iam Dialectica taceat. Non quæro, quid loquantur Philoſophi? requiro, quid faciant: ſoli in ſuis Gymnaſiis remanſerunt. Vide, quæ fides argumentis præponderet. Illi cotidie a ſuis conſortibus deſeruntur, qui copioſe diſputant: Iſti cotidie creſcunt, qui ſimpliciter creditur Philoſophis, credunt. Non creditur piſcatoribus, non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi uoluptatibus & deliciis orbem ligarunt. Iſti ieiuniis & doloribus exuerunt. Plures itaque tam cœpit illicere iniuria, quam uoluptas. Nunc uideamus, quo diſtant a Gentilibus Ariani. Illi Deos appellant diſpares ſexu, diſſimiles poteſtate: Iſti Trinitatem aſſerunt differentis diuinitatis & diſſimilis poteſtatis. Illi Deorum ſuorum principium aſſerunt temporale, & iſti Chriſtum cœpiſſe ex tempore mentiuntur. Nonne ex Philoſophia omnem impietatis ſuæ traxerunt colorem.* Alludit ad Ariſtotelis Philoſophiam, qua utebantur Ariani, ut ex beato cumprimis Hieronymo poſtea conſtabit.

Decimus octauus Ioannes Chryſoſtomus homilia III. in cap. I. Epiſt. ad Rom. *Voluerunt enim amplius quiddam inuenire, finibus ſibi datis non contenti: quapropter & ab iis exciderunt, ut qui nouitatem appetiuerint. Etenim huiusmodi omnia Græcorum fuere. Ob quod aduerſum ſemet ipſi mutuo ſtetere. Et Ariſtoteles quidem aduerſus Platonem inſurrexit. Stoici autem in hunc*

infre-

infremuerunt, & alius aliis hoſtis extitit, ut non tam illos conueniat ob ſapientiam admirari, quam auerſari & odiſſe, quoniam quidem ob hoc ipſum & ſtulti fuere. Niſi enim ſe ipſi cogitationibus, ſyllogiſmis ac Sophismatis commiſiſſent, illis non accidiſſet, quod accidit. Deinde accuſationem in illos intendens, taxat omnem illorum idololatriam.

Hunc ſcopum rurſus ferit idem Auctor in Pſ. CXV. *Vide quantum ſit periculum res fidei permittere humanis rationibus, & non fidei.* Iterum homil. XXIV. in Ioannem: *Nihil peius eſt, quam humanis rationibus ſpiritualia ſubiicere. Hoc illum* (Nicodemum) *impedit, ne quid magnum, ne quid profundum contemplaretur. Ideo nos fideles appellamur, ut humanarum cogitationum ueritate contempta ad fidei altitudinem euadamus.*

Decimus nonus Hieronymus Presbyter Doctor Eccleſiæ in dialogo contra Luciferianos: *Reuera de Platonis & Ariſtotelis ſinu in Epiſcopatum alleguntur. quotus enim quisque eſt, qui non apprime in his eruditus ſit? Denique ex Literatis quicunque hodie ordinantur, id habent curæ, non quomodo ſcripturarum medullas ebibant, ſed quomodo aures populi declamationum floſculis mulceant. Accedit ad hoc, quod Ariana hæreſis magis cum ſapientia ſæculi facit, & argumentationum riuos de fontibus Ariſtotelis mutuatur.* Profecto cœnoſos admodum eſſe oportet fontes, e quibus Ariani ſuas rationes depromunt.

Deinde in libro I. contra Pelagianos: *Hæc argumen-*

gumentatio tortuoſa eſt, Eccleſiaſticam ſimplicitatem inter Philoſophorum ſpineta concludens. Quid Ariſtoteli & Paulo? Quid Platoni & Petro? Quam nihil ſit commune Eccleſiæ Chriſtianorum & Ariſtoteli, demonſtrari non potuit apertius. Idem libro III. contra eoſdem Pelagianos: *Diſputatio tua non ex fontibus ueritatis & chriſtianæ ſimplicitate, ſed ex Philoſophorum minutiis & arte deſcendit.*

Tum in Epiſtola LXII. contra Ioannem Hieroſolymitanum: *Fides pura & aperta confeſſio non quærit ſtrophas & argumenta uerborum, quod ſimpliciter creditur, ſimpliciter confitendum eſt.* His autem duobus poſtremis locis Hieronymus cum alios, tum Ariſtotelem maxime perſtringit.

Poſtremo in libro 10. contra Heluidium: *Non Rhetorici campum deſideramus eloquii, non Dialecticorum tendiculas, nec Ariſtotelis ſpineta conquirimus, ipſa Scripturarum uerba ponenda ſunt, &c.*

Viceſimus Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, Ambroſii ſucceſſor apud Auguſtinum libro VIII. Confeſſ. cap. II. Vbi ſic Auguſtinus ipſe loquitur: *Perrexi ergo ad Simplicianum patrem in accipienda gratia tua tunc Epiſcopi Ambroſii, quem uere ut patrem diligebas. Narraui ei circumitus erroris mei. Vbi autem commemoraui legiſſe me quoſdam libros Platonicorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romæ, quem defunctum Chriſtianum eſſe audiueram, in Latinam linguam*

guam transtuliſſet, gratulatus eſt mihi, quod non in aliorum Philoſophorum ſcripta incidiſſem, plena fallaciarum & deceptionum ſecundum elementa huius mundi, in iſtis autem omnibus inſinuari Deum & eius uerbum. Hoc autem ſermone *aliorum Philoſophorum ſcripta, plena ſunt fallaciarum & deceptionum, ſecundum elementa huius mundi,* Ariſtotelem perſtringit maxime, & deſignat ad fugam. Quin autem Auguſtinus in Simpliciani tranſierit ſententiam, id dubitationem habere nullam uidetur. Simplicianus ergo & Auguſtinus non inutile credunt eſſe, ſi Ariſtoteles de Chriſtianorum ſcholis manibusque ſubducatur.

Viceſimus primus Auguſtinus ipſe quo fuerit in Ariſtotelem animo, manifeſte declarat libro I. contra Iulianum cap. 4. ubi ſine ullo diſcrimine illi exprobrat Philoſophi categorias, quibus armatus eductos in aciem a ſancto Doctore Patres adorietur, & legitimas illorum impreſſiones hæreticum in modum declinabit. Auguſtini uerba ſunt: *Rogo, fili Iuliane, quid reſpondebis? Quibus eos oculis intueberis? quæ tibi argumenta ſuccurrent? Quæ Ariſtotelis Categoriæ, quibus ut in nos uelut artifex diſputator inſilias, uideri appetis elimatus? Quæ tuorum argumentorum uel acies uitrea, uel plumbei pugiones in illorum conſpectu exeri audebunt?* Inter uſum Categoriarum Ariſtotelis & abuſum non diſtinguit, nec forſan inter Chriſtianos diſtinguendi tunc conſuetudo fuit, timebant *Danaos & dona ferentes.*

Deinde in libri II. contra Iulianum cap. X. *Sanctos & in Sancta Eccleſia illuſtres Antiſtites Dei, non Platonicis, Ariſtotelicis & Zenonicis, aliisque huiusce modi Græcis uel Latinis, quanquam & iſtis aliquos eorum, uerum omnes ſacris literis eruditos, nominatim ſicut oportebat, expreſſi*, & poſt alia. *Quaſi tu, qui maxime quereris examen uobis & epiſcopale iudicium denegari, Peripateticorum poſſis inuenire concilium, ubi de ſubiecto & his, quæ ſunt in ſubiecto contra originale peccatum Dialectica ſententia proferatur. Illi Epiſcopi ſunt docti, graues, ſancti, ueritatis acerrimi defenſores aduerſus garrulas uanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona iudicii tribuiſti, non potes inuenire quod ſpernas.*

Idem in libri III. contra eundem cap. II. *Vbi eſt acumen tuum, quo tibi uideris & categorias Ariſtotelis aſſecutus, & aliam Dialecticæ artis aſtutiam.*

Idem lib. V. contra eundem cap. XIV. *Sed magnum aliquid te Dialectica docuit, rem quæ in ſubiecto eſt, ſine illa re eſſe non poſſe, in qua ſubiecta eſt: & ideo putas, malum, quod eſt in parente, utique in ſubiecto alii rei, id eſt, ad quam non peruenit, reatum non poſſe transmittere. Recte hoc diceres, ſi malum concupiſcentiæ, de parente non perueniret ad prolem. Cum uero ſicut ſine illo nemo naſcatur, quomodo dicis, eo non peruenire, quo tranſit? Non enim Ariſtoteles, cuius Categorias inſipienter ſapis, ſed Apoſtolus dicit: per unum hominem peccatum intrauit in mundum.*

Idem

Idem lib. VI. cap. XVIII. contra eundem. *Quid autem dicere uoluiſti, quaſi claudens, tu loqueris, Ariſtotelis palæſtram, ut inde ad ſacras literas reuertaris?* Deinde cap. XX. *Quod autem dixi, qui miratur, quia creatura Dei ſubditur diabolo, non miretur, ſubditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor maiori: Cur ita poſuiſti, ut ſequentia mea uerba non adderes, quibus oſtendi quemadmodum dixerim, minor maiori, humana ſcilicet Angelicæ, niſi ut minus intelligeretur ſenſus meus, ut faceres tibi locum, ubi ſicut ſoles de Ariſtotelicis Categoriis obtendere nebulas imperitis, in quibus latenter putarent te aliquid dicere, quid diceres neſcienter. Ad hoc enim redacta eſt hæreſis ueſtra, ut gemant ſectatores ueſtri non inueniri Dialecticos Iudices in Eccleſia, de ſcholis Peripateticorum ſiue Stoicorum, a quibus poſſitis abſolui: quo enim pertinet, quid ſibi uult, ut quid dictum eſt, quid dixiſti? Quia maior & minor ad finitam ſpeciem pertinet quantitatis. Sed quantitas, inquit, non ſolum contrariorum capax non eſt, quod ei cum qualitate, atque aliis prædicamentis, uerum etiam nec contrarium habet, quod ei cum ſubſtantiæ eſt definitione, commune bonum uero, & malum contraria ſunt. Hæc profecto nunquam diceres, ſi lectores uel auditores librorum tuorum putares intellecturos eſſe quod dicis.* Hæc ille, quibus Ariſtotelicam in Theologicis ſubtilitatem aduerſatur.

Idem de Philoſophorum libris ſic capiendum eſſe fructum monet lib. II. de doctrina Chriſtiana cap. XXXIX. *Philoſophi autem qui uocantur,*

ſi qua forte uera, & fidei noſtræ accommoda, dixerunt maxime Platonici, non ſolum formidanda non ſunt, ſed ab eis tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum uendicanda.

Porro quantum in Theologia Philoſophicis diffidendum ſit rationibus, etiam dum uidentur neceſſariæ: ita docet lib. III. de doctrina Chriſtiana cap. XXVII. *Vbi talis ſenſus eruitur, cuius incertum certis Sanctarum Scripturarum teſtimoniis non poſſit aperiri, reſtat, ut ratione reddita manifeſtus appareat, etiamſi ille, cuius uerba intelligere quærimus, eam forte non ſentit. Sed hæc conſuetudo periculoſa eſt. Per Scripturas enim diuinas multo tutius ambulatur: quas uerbis translatis opacatas cum ſcrutari uolumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controuerſiam: aut ſi habet, ex eadem Scriptura, ubicunque inuentis atque adhibitis eius teſtibus terminetur.* Qui ſic loquitur, ne uidetur quidem Ariſtotelis Philoſophiam ut Theologiæ ſeruam, quemadmodum aiunt, admittere.

Ex iis autem omnibus, quæ retulimus, manifeſte deprehenſum apparet calumniatorem eſſe Felicianum illum Arianum, contra quem Auguſtinus toto uno libro decertauit. Felicianus enim ipſe cum Ariſtotelicis artibus uteretur, iis Auguſtinum uti ſubdole querebatur. Res ſic ſe habet cap. IV. libri, quem Auguſtinus contra Felicianum compoſuit in forma dialogi: *Fel. hoc ſi ita eſt, duo fateris ingenita, & quomodo altera patris, altera filii putatur eſſe perſona, cum per ſignificationem communis ingeniti utraque uideatur eſſe*

eſſe perſona. Aug. In hoc quidem a maioribus ueſtris non mediocris calumniæ ſophiſma contexitur, tamen per auxilium ipſius Trinitatis Catholica neceſſe eſt ſimplicitate ſoluatur. En aperta fraus Ariani hominis & ſociorum, qui ex Ariſtotele rationes ad oppugnandam Trinitatem comparare ſolebant: Deinde ſoluto argumento,& ſimulata fraude illa Felicianus Auguſtino crimen infert Ariſtotelicæ ſubtilitatis: *Fel. Quantum ad me attinet, non uideo quid iſta nunc colligas: Nam quamuis Ariſtotelica mecum ſubtilitate contendas, fieri tamen non poteſt, ut eum, qui genitus eſt ab eo qui genuit, nulla æui intercidentis antiquitate diſcernas. Aug. &c.*

Viceſimus ſecundus Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus in Theſauro aſſertione XI. cont. Eunomium: *Ex Ariſtotelica diſciplina nobis inſultantes, & mundanæ ſapientiæ faſtu turgidi inanes uerborum crepitus excitant, parum ſibi perſuadentes, ſe Ariſtotelicæ diſciplinæ ignaros oſtendi poſſe. Mirandum enim eſt, quod cum rationem maioris & minoris excutiant, ad ſermonem de ſimili & diſſimili prolabantur, neſcientes iuxta Ariſtotelis placita, quo ipſi plurimum ſeſe iactitant, ſimile & diſſimile non in eodem genere collocari, in quo maius & minus.* Sic Eunomianos coarguit, qui Catholicis Ariſtotelicam doctrinam opponebant. Nihil olim in hæreticorum ore frequentius, quam Ariſtotelis doctrina. Nihil in Catholicorum frequentius, quam Ariſtotelicorum dogmatum contemptio. Idem in lib. IV. contra Iulianum Imp. de

Platonis auditoribus: *Quos inter unus erat elatiſſimi ſupercilii, & nimium quam arrogans, & in exquiſita ſtatuendorum dogmatum atque ratiocinandi diligentia ſummæ uir facultatis Ariſtoteles eius* (Platonis) *diſcipulus.* atque id generis Philoſophus ad tradendam Chriſtianorum Theologiam non eſt aptus.

Viceſimus tertius, Cœtus Epiſcoporum Ponti in Epiſtola ad Leonem Thracem Imp. part. III. Chalced. Conc. cap. LII. *Hæc breuiter piſcatorie, & non Ariſtotelice ſuggeſſimus.* quæ ſcilicet de antiquorum Conciliorum fide ſuggeſſerant. Iſtud loquendi genus acceptum referri poteſt Hieronymo, qui ſic ait aduerſus Luciferianos: *Oro te ut Philoſophorum argumentatione depoſita, Chriſtiana mecum ſimplicitate loquaris, ſi tamen Dialecticos non ſequeris, ſed piſcatores.* Verum curioſe animaduertenda eſt Epiſcoporum antitheſis, qua dum Eccleſiæ fidem exponunt, Ariſtotelem procul amandant.

Viceſimus quartus Socrates Scholaſticus. lib. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXVIII. *Antiochiæ, quæ eſt in Syria, Aetius* (*) *cognomento Atheus, alias hæreſis auctor, exoritur. Iſte quamuis cum Ario ſentiret, eandemque tueretur opinionem, tamen ab Arianis, quod Arimeni communionem receperant, ſe ſegregauit.* Et poſt pauca: *Ob quam cauſam*

(*) De Aetio uideatur Philoſtorgius, quem Sandius in Nucleo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſequitur. Vterque partium indulget Studio.

cauſam Aetius ſe ab Arianis penitus ſeiunxit? Etiam ante illud tempus Aetius fuerat Hæreticus, & Arii dogmati patrocinari ardenti ſtudio contenderat; nam cum Alexandriæ aliquantulum profeciſſet in literis, deceſſit. Antiochiam autem Syriæ profectus (in ea namque ciuitate natus fuit) a Leontio, qui tum Epiſcopus erat Antiochiæ, Diaconus conſtitutus eſt. Paulo poſt eos, qui forte in eius uenere colloquium, ſuis obſtupefecit argutiis. Iſtud autem effecit, fretus elenchis ſophiſticis Ariſtotelicis (ſic enim liber eſt ab auctore inſcriptus) quarum ſubſidio cum diſſereret, captioſas ratiocinationes, quas ipſe non poterat diſſoluere, imprudens contexuit. Quippe Ariſtotelis inſtitutum a peritis minime didicerat. Nam Ariſtoteles propter Sophiſtas, qui tum Philoſophum irriſere, hanc diſſerendi rationem pro Adoleſcentibus conſcripſit, & ita Sophiſticis & fallacibus quibusdam argutiis reſtitit. Itaque Academici, qui Platonis & Plotini ſcripta explanant, ea quæ ſunt tam argute & ſubtiliter ab Ariſtotele diſputata, admodum reprehendunt. At Aetius utpote Magiſtrum Academicum minime conſecutus, in captioſis reprehenſionum inhæſit fallaciis: quapropter mente non poterat comprehendere, quomodo ſit generatio ingenita, & qua ratione quod genitum eſt, coæternum ſi cum eo, quod illud genuerit: adeo autem doctrinæ inops, adeoque ſacrarum literarum rudis & ignarus fuit, ac fallax duntaxat ratiocinandi genus & certandi ſtudio comparatum (quod quidem ab indocto & agreſti facile fieri poſſit)

poſſit) ſibi acquiſiuerat, ſic ut ueteribus ſcriptoribus, qui ſacra elogia ad fidem Chriſtianam ſpectantia interpretati fuiſſent, non modo non eſſet exercitatus, ſed Clementem Africanum & Originem, uiros omni doctrinæ ſapientiaque genere literate peritos, prorſus reiiceret, atque adeo epiſtolas, quas nugis litigioſis fallacibusque concluſiunculis dedita opera refercerat ad Imperatorem Conſtantium, & alios nonnullos conſcriberet. Ob quam cauſam Atheus nuncupatus eſt. (*) *Et quanquam eadem cum Arianis aſſerebat, tamen a ſuis qui inuolutam & captioſam ratiocinandi uiam ab eo habitam minime intelligere poterant, pro hæretico, utpote cum Arianis conſentiente habitus eſt.* Hæc de Aetio Socrates, qui licet uideatur eius culpam in non intellectum potius quam intellectum Ariſtotelem reiicere, Ariſtotelem tamen effeciſſe ſcribit, ut hinc hæreticus, inde Atheus haberetur.

Deinde in libri V. cap. XXIII. *Quin etiam alii, qui ab eo* (Eunomio) *nomen habuerunt, in uarias ſectas diſpartiti ſunt. Nam primum Theophronius quidam Cappadox, qui captioſas argutias certandi ſtudio accommodatas ab Eunomio didicerat, & pingui minerua, ut aiunt, Ariſtotelis tum categorias, tum librum de interpretatione animo complexus erat, libros compoſuit, eosque de mentis exercitatione inſcripſit. Inde in odium apud*

(*) Socrati ſubiungere debebat Sozomenum, qui L. III. H. E. c. XV. eadem de Aetio tradit.

pud ſuæ religionis fautores incurrens, ab illis tanquam ſectæ ſuæ deſertor eiectus fuit. Theophronius memoratos Ariſtotelis libros, ut inſtrumentum condendæ, uel tuendæ hæreſeos aſſumit. Sed Catholici non utebantur libris Ariſtotelis, ut Chriſtianæ religionis dogmata uel ſancirent, uel ab impetitionibus hæreticorum defenderent.

Viceſimus quintus Theodoretus Epiſcopus Cyri Lib. IV. cap. XXVI. *Didymus autem a puero ſenſu oculorum orbatus, & poëticis ac rhetoricis diſciplinis excultus eſt, & Arithmeticam, Geometriam & Aſtronomiam, Ariſtotelis ſyllogiſmos & Platonis facundiam aurium adiumentis didicit, non quaſi ueritatem iſta doceant, ſed quod arma ſint ueritatis contra mendacium.* (*) Hic diligenter obſeruandum eſt, qua ratione Didymi

(*) De Didymo vid. Socrates L. IV. H. E. c. XXV. & Sozomenus L. III. c. XV. Huic doctiſſimus Heumannus φιλοσοφέμενα tribuit, quæ uulgo Origeni adſcribuntur. Quæ, ſi uera eſſet, ſententia, luculenter ſatis pateret, quo in loco Ariſtotelem habuiſſet Didymus. Vid. tamen, quæ docte, pro more, contra eandem attulit Vir pridem celeberrimus I. C. Wolffius in pec. Diſſertatione, quam ſubiunxit Notis, & Emendationibus in Philoſophumena. Ceterum ipſa, opinor, αὐτοψία ſatis ſuperque docet, Theodoritum laudandi, non excuſandi cauſa, quod uult Launoius, ea de Didymo commemoraſſe.

mi ſtudia bonam in partem interpretetur. Didicit ille Ariſtotelis ſyllogiſmos, non qui ueritatem doceant, ſed quibus ueritas defenſetur: eos tamen libro de religioſa hiſt. cap. XXVII. damnare uidetur. Sic autem de Barradato loquitur: *Iam uero mentis intelligentia præſtans, optime interrogat & reſpondet, rectiusque interdum ac potentius argumentatur, quam qui in Ariſtotelicis Labyrinthis uerſati ſunt.* O egregiam Ariſtotelicæ diſciplinæ cum Labyrintho comparationem, qua differendi modus impeditus & inextricabilis explicetur! Vnde Catullus:

Ne Labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſeruabilis error.

Quæ cum ita ſint, Theodoretus Didymum, quod Ariſtotelis Syllogiſmos didiciſſet, excuſare potius, quam laudare uidetur. Itaque cum ex propria mente de Philoſophorum ſyllogiſmis loquitur, longe aliter loquitur ſermone V. de natura hominis. *Democritus, Epicurus & Ariſtoteles, animam incorruptibilem eſſe libere aſſeruerunt.* Et poſt alia: *Ariſtoteles autem Platoni adhuc uiuenti manifeſte aduerſatus eſt, bellumque contra Academiam ſuſcepit, neque doctrinæ illi honorem habuit, quam cupidiſſime perceperat: neque celeberrimi uiri gloriam eſt reueritus, neque Platonicæ eloquentiæ uim pertimuit, ſed licenter illi aduerſarium ſe præbuit: cum haud ſane meliorum, ſed multo peiorum dogmatum auctor extiterit. Nam cum ille animam dixerit immortalem eſſe, hic*

hic mortalem dixit: & cum ille Deum res omnes prouidentia complecti docuerit, hic, quantum eius uerba ſonant, terram diuinæ prouidentiæ exſortem fecit. Ad lunam enim uſque Dei gubernationem pertinere ait, cætera fato eſſe ſubiecta. Plurima uero & alia innouauit, quæ nunc recenſere ſuperuacaneum duxi. Illi ergo mutuas inuicem merito demoliti ſunt opiniones. Falſitas enim non ſolum ueritati; ſed & ſibi ipſi contraria eſt: ueritas autem eſt ſibi concors, & unam modo falſitatem infeſtam habet. Itaque pronum eſt inuenire, de hominis natura, & Moſem legiſlatorem, & Prophetam Dauid, & fortiſſimum Iob, & Eſaiam ac Ieremiam, uniuerſumque Prophetarum chorum, Matthæum quoque, Ioannem, Lucam, & Marcum, & Petrum ac Paulum, uniuerſumque Apoſtolorum Cœtum, conſona ubique cunctos homines docuiſſe. Neque enim eſt horum audire, alium qui hos homines, alium qui illos indigenas ex ſeſe ortos affirmet: neque alios qui mortalem, alios qui immortalem animam dicant: neque alios qui perturbationum dominam rationem, alios qui mancipium ſeruamque aſſerant. Omnes enim concordi ratione docent, ex terra & aqua cæteriſque elementis humanum corpus effectum eſſe; animam uero nequaquam ita in corpus demiſſam, ut antea exiſteret, ſed corpore iam plaſmate creatam eſſe. Et poſt alia. *Omnes ſiquidem ueritatis præcones, Prophetæ, inquam, & Apoſtoli, Græcæ quidem eloquentiæ expertes fuerunt: quia tamen uera ſapientia abundarunt, cunctis & Græcis & Barbaris nationibus diuinam attulere doctrinam,*

ſtrinam, terramque uniuerſam, & maria ſcriptis de uirtute ac pietate libris impleuerunt: cunctique nunc mortales abdicatis Philoſophorum nugis, piſcatorum publicanorumque diſciplinis fruuntur, & ſutoris uolumina amplexantur. Et poſt alia: *Nos uero iſtorum lugemus inſaniam, qui cum uideant homines barbari ſermonis Græcæ locutionis facundiam ſuperaſſe, ſciteque ornatas fabulas penitus profligatas, Piſcatorumque ſoloeciſmis diſſolutos fuiſſe Atticos ſyllogiſmos.*

Viceſimus ſextus Petrus Chryſologus Rauennatenſis Epiſcopus Philoſophorum Platonis, Ariſtotelis, Epicuri ſcholas inter ſe committit & omnes uanitati & impietati deputat, in ſermone V. de duobus filiis prodigo & frugi. *Verum cum nihil diuinum, nihil ſalutare profuturum, nihil gentilis inueniret in talibus, deſperans de Deo, de prouidentia, de iudicio, de futuris, ab ſchola ad uentris ſe deponebat ingluuiem, cupiens ſaturari de ſiliquis, quas porci manducabant. Hoc norunt Epicurei, qui cum Platonicas & Ariſtotelicas percurrerent ſcholas, nullamque illic aut diuinitatis aut ſcientiæ inuenirent diſciplinam, Epicuro ſe tradunt ultimo deſperationis & uoluptatis auctori.*

Viceſimus, ſeptimus, Æneas Gazæus ex Philoſopho Platonico Chriſtianus in Theophraſto, ubi & de animarum immortalitate & de corporum reſurrectione diſputat: *Ariſtoteles autem,* inquit, *eius* (Platonis) *diſcipulus diuerſum ſentit, & animam excogitato nouo nomine* ἐνϛελεχέιαν, *id eſt, continuatam quandam ac perennem motionem appellat.*

pellat, quam exiſtimat materia quaſi extremam manum imponere, ac forma cum ſit, ſimul cum corpore diſſolui. Et poſt alia: *An Empedocli aſſentiar, qui putat animam, ut peccatorum antea commiſſorum pœnas luat, in hanc uitam ablegari: aut Platoni potius adſtipuler, qui modo ſtatuit animam ad exſoluenda ſupplicia, modo dicit eandem, ut illud, quod uniuerſum dicimus, perficiatur, idque modo ſua ſponte, modo coactam: iam aliunde excitatam, iam ſuo ipſius motu proprio emitti(Ariſtotelem enim,qui nimia quadam ſua,atque intemperata ſapientia falſus, animarum immortalitatem e medio omnem ſuſtulit, ſilentio prætereo,) Reliqui deinceps hoc omnes agunt, ut alii aliorum ſententias deſtruant atque conuellant; quo ſit ut & aliis & ſibi ipſis contrarias opiniones prodant.*

Viceſimus octauus Nemeſius Epiſcopus eandem incudem tundit libro de natura hominis: *Ariſtoteles,* inquit, *qui animam dicit ἐντελεχείαν, nihilominus idem ſentit, quod qui qualitatem eam eſſe uolunt. Sed explicemus prius, quam ἐντελεχείαν uocet.* & quibusdam interiectis. *Quare aut mortalem animam dicat* (Eunomius) *ut Ariſtoteles & Stoici, qui uoluerunt eam in corpore generari, etc.* Hic Auctor contra Eunomium diſputans etſi uidetur Origenianæ de animarum ortu ſententiæ nonnihil fauere, in eo tamen, quod pertinet ad rem, aliis Patribus mirifice conſentit. Quidquid id eſt, næuus in candidiſſimo pectore non multum deformitatis importat.

Viceſimus nonus Sidonius Aruernorum Epiſcopus libro IV. epiſt. III. *Sentit ut Pythagoras, diuidit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Ariſtoteles.* Idem carm. II.

Quæ uel Ariſtoteles partitus membra loquendi,
Argumentoſis dat retia Syllogiſmis.

Ariſtotelem perinde habet atque eum, qui ueritati laqueos parat. (*)

Trice-

(*) Egregius pariter eſt locus, qui legitur L. IX. Epiſt. IX. Verba hæc ſunt. *Quin potius experietur quisque conflixerit Stoicos, Cynicos, Peripateticos, Hereſiarchæ propriis armis, propriis quoque concuti machinamentis. Nam ſectatores eorum Chriſtiano dogmati ac ſenſui ſi repugnauerint, mox te magiſtro ligati, uernaculis implicaturis in retia ſua præcipites implagabantur, ſyllogiſmis tuæ propoſitionis uncatis uolubilem tergiuerſantum linguam inhamantibus, dum ſpiris categoricis, lubricas quæſtiones tu potius innodas, acrium more medicorum, qui remedium contra uenena cum ratio compellit, & de ſerpente conficiunt.* Quibus Peripateticos inprimis pungi, nemo erit, qui non uideat. Neque negari poteſt, eos iuxta ac Stoicos, qui κατ' ἐξοχὴν appellati ſunt Dialectici, & propter abuſum Dialectices, ἐριστικοὶ, ſubtilitatibus nimium quantum indulſiſſe, iisdem-

que

Triceſimus Manſuetus Mediolanenſis Epiſcopus in epiſtola ad Conſtantinum Imp. „ *Nam ſi,* „ *ſunt, qui audacia Dialecticæ artis inflati, cotturnata ceruice, buccis tumeſcentibus, ſinuoſis circumitionibus, & flexuoſis ambagibus, phaleris uerborum, pompiſque ſermonum ſua ferali calliditate ſimplicem fidei rationem conuellere, & delegatas a Patribus regulas conculcare uel temerare uoluerint.* „ Et poſt alia: *Si relegas inſigniſſime Imperator, non cum Dialecticis, non cum Rhetoricis,*

M 2

que ſpinoſis magis, quam utilibus. Maioribus tamen indulſerunt quondam Stoici, de quibus Cicero in Oratore. *Ariſtoteles tradidit præcepta plurima diſſerendi: poſtea, qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt.* Quæ cum alii pariter in Stoicis reprehenderint, mirari ſubit, Iuſtum Lipſium in Manud. ad Phil. Stoic. L. I. Diſſ. XV. Ciceronis fidem eleuare, propterea, quod *Academicus, & ex profeſſo igitur Stoicorum fuerit hoſtis.* At nec purus putus Academicus fuit Cicero, nec profeſſus Stoicorum hoſtis, qui multas, ingentesque laudes in Stoicos paſſim confert. Eccur uero Apollinarius his Cynicos adiungat, ego quidem ignoro. Cynici namque τὰ πρακτὰ tantum ſectantes, a Logicis & Dialecticis ſpeculationibus erant alieniores: Platonicos, qui a Stoicis didicere Logicen, omiſit, propterea, quod Platoni fuit addictior. Hunc

toricis, non cum Grammaticis, ſed cum Ruricolis & Piſcatoribus Dominus poſuit rationem, & his tradidit ſui ſecreta conſilii, quos & Principes ordinauit. Cum alios Philoſophos intelligit, tum præſertim Ariſtotelem, cuius Dialectica hæretici contra Chriſtianos utebantur.

Trice-

Hunc enim ſummis ubique laudibus afficit. Carm. II.

- - - - - quodcunque Platonis
Ingenium, quod in arce fuit, docet.

Carm. XV.

Hanc ſectam perhibent ſummum excoluiſſe Platona

Et paulo poſt in eodem Carm.

- - - - conſurge ſophorum
Egregium Polemi decus, ac nunc Stoica tandem
Pone ſupercilia, & Cynicos imitatus amantes
Incipies iterum paruum mihi ferre Platona.

Sed & fuere alii iſtis temporibus, quibus in deliciis erat Plato. Claudianum, Apollinaris amicum, *a collegio* complatonicorum *ſolo habitu, & fide diſſociatum fuiſſe* ipſe Sidonius ad Petreum, cuius Claudianus erat auunculus, perſcribit L. IV. Ep. XI. Idem L. IX. Ep. IX. de Fauſto, quem Papam, nondum enim iſto tempore ſoli Pontifici R. id datum eſt nominis, appellat, *Huic*, loquitur de Philoſophia, *copulatum te matrimonio qui laceſſiuerit, ſentiet eccleſiæ Chriſti Platonis Academiam militare, teque nobilius philoſophari.*

Triceſimus primus Beda Presbyter Anglorum Doctor libro IV. IX. Samuelis: *In Concilio Nicæno Gentilis quidam Philoſophus Ariſtotelicis permultum armatus argumentis Chriſtianos creberrime prouocans, a nullo Doctorum etiam dialectica arte illuſtrium quibat ſuperari, donec exurgens miræ ſanctitatis Epiſcopus, ſophiſticæ quidem locutionis funditus ignarus, ſed diuinæ fidei ſapientia præclarus, multifidas eius uerſutias ſimplici per omnia, ſed ueraci proſecutione caſſaret.* Hic Ariſtoteles arma ſuppeditat, quibus Chriſti religio impugnetur. Vnde factum, ut Beda ſic dialecticam reiiciat in cap. VII. Leuitici: *Humana doctrina, Grammattica, aut Rhetorica aut Dialectica, ex quibus in his, quæ de fide ſentienda ſunt, nihil accipiendum.*

Triceſimus ſecundus Rabanus Moguntinenſis Epiſcopus libro VIII. in Eccleſiaſticum cap. XI. *Magis in omnibus claret Catholici Viri modeſta doctrina, quæ in diuinis libris conſiſtit, quam omnis Philoſophorum multiplex in diſputando & in argumentando ſolertia. In hac enim paucis & puris ſermonibus irreprehenſibilis per omnia elucet ueritas, in illa uero inexquiſitarum rerum oberrans opinio garrula loquacitate, imo manifeſta apparet falſitas.* Perſtringit quidem Philoſophos omnes, ſed præſertim Ariſtotelem, quem ab antiquioribus Eccleſiarum magiſtris repudiatum nouerat, atque ut Chriſtianæ fidei hoſtem acriter laceſſitum.

Triceſimus tertius Remigius Lugdunenſis in

cap. II. epiſt. I. ad Corinthios: *Deſtructus eſt Plato & Ariſtoteles per mortem* (Chriſti) *& eorum ſapientia in Eccleſia pro nihilo ducitur.* Si Remigius uerum dicit, qui Ariſtotelem & eius ſapientiam in Eccleſiam inducit, Chriſti conſilio repugnat. Quippe ſuo facto adſtruit Ariſtotelem, quia Chriſto deſtructus eſt.

Triceſimus quartus Leo nonus in epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum Patriarcham & Leonem Acridanum Epiſcopum cap. II. *Illi uero incorruptibili caritati eius, qua uniuit Eccleſiam, ut exhiberet ſibi ueſtem glorioſam, non habentem maculam aut rugam, impias & ſacrilegas manus ad diſcindendum crudeliter iniiciunt, linguas magniloquas & doloſas ad confodiendum illam exacuunt, nihil pendentes ineffabili ac ſpeciali artificio coæternæ Dei Patris ſubſtantiæ compactam & contextam, nec humano ingenio, ſeu Philoſophorum ſyllogiſmis aut argumentationibus conſutam. Stulta enim mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes. Neque enim per Rhetores & Sophiſtas collegit piſcatores, ſed per piſcatores & ſimplices piſcatus eſt Sophiſtas & Oratores, quia ſicut egregius Paulus dicit, non eſt in ſermone regnum Dei, ſed in uirtute.* At Philoſophorum Syllogiſmi & argumentationes cum ad alios, tum præſertim ad Ariſtotelem ſpectant, cuius philoſophia tunc uigebat in Occidente.

Triceſimus quintus Ernulfus Monachus Anglus, reſpondens uariis quæſtionibus, quas illi Vir quidam grauis, nomine Rambertus, propoſuerat:

fuerat: *In quarta*, inquit, *quæſtione ſic quæritur: Si integer Chriſtus ſumitur, utrum ſolum corpus ſine anima, aut etiam anima cum corpore ſumitur? Cuius generis percunctationes ab his proponi ſolent, qui appetunt ſapientes uideri, quos magis delectat philoſophicis diſputationibus elate inſeruire, quam Eccleſiaſticis diſciplinis & ſacris auctoritatibus humiliter ac fideliter obedire. Hi timentibus Deum a fide potius, quam ratione probantibus, corpus Chriſti ſanguinemque eſſe, quod ſumitur de altari, decipulas huiusmodi obtendere ſolent. Corpus Chriſti, quod ſumitur de altari, aut eſt animatum, aut inanimatum: ſi eſt animatum, mirum eſt, cur non ex ſe mouetur. Si uero inanimatum, quomodo eſt illud, quod ſurrexit a mortuis, & uiuit in ſæcula ſæculorum? Item ſic aiunt; Corpus Chriſti aut eſt corruptibile, aut incorruptibile: Si eſt incorruptibile, quomodo frangitur, minuitur, inueteratur? Si autem eſt corruptibile, qualiter uerum eſt, ueram reſurrectionem illud accepiſſe, & ueræ incorruptibile particeps eſſe? Has ut dictum eſt, nodoſas diſputationes illi obiicere moliuntur, quos amor humanæ laudis, quos fauor fatigat popularis, qui gaudent imperitis ſcrupuloſarum parare laqueos quæſtionum, quibus ſacrarum non ſufficit robur & auctoritas Scripturarum, quibus cordi eſt potius ſequi rationem ſapientiæ ſecularis, quæ ſtulta facta eſt a ſapientia Dei, quam fidei ueritatem, quæ inſcrutabilia penetrat.* Et quibusdam interpoſitis: *Hoc idcirco dixerim, ut quæ ſola fide intuenda ſunt, in*

quæſtionem non adducatis, quia non eſt utile animæ chriſtianæ inſolitis diſputationibus diſcutere myſteria Redemptionis noſtræ. Hæc ex MS. codice, qui Rotomagi aſſeruatur in Bibliotheca V. V. ccl. Fratrum Bigotiorum. Porro diſputationes philoſophicæ, quas Auctor Eccleſiaſticis diſciplinis & auctoritatibus ſacris opponit, aliæ non ſunt præterquam Ariſtotelicæ; quas ſcilicet Ariſtotelis philoſophia ſuppeditabat, ut noſtræ Redemptionis myſteria ludibrio exponerentur.

Trigeſimus ſextus Beatus Bernardus ſermone II. in die Pentecoſtes: *Gaudeo uos eſſe de hac ſchola, de ſchola uidelicet ſpiritus, ubi bonitatem & diſciplinam et ſcientiam diſcatis & dicatis cum Sancto: ſuper omnes docentes me intellexi. Quare? inquam. Nunquid quia purpura & byſſo me indui & quia lautioribus epulis abundaui? Nunquid quia Platonis argutias, Ariſtotelis uerſutias intellexi, aut ut intelligerem, laboraui? abſit inquam, ſed quia teſtimonia tua exquiſiui.* Idem ſerm. I. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli: *Hi ſunt Magiſtri noſtri, qui a magiſtro omnium uias uitæ plenius didicerunt, & docent nos usque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt, uel docent nos Apoſtoli ſancti? Non piſcatoriam artem, non ſceno-factoriam, uel quicquid huiusmodi eſt, non Platonem legere, non Ariſtotelis uerſutias inuerſare.* Item ſermone II. de Natiuitate Domini: *Solus iſte de ſola uirgine naſcitur, & uirginis uterum nouo & ſingulari partu diuinitas humana ſigillat. Vbi nunc Ariſtotelicæ ſubtilitatis*

facunda

facunda quidem, ſed infœcunda loquacitas? Si peperit, cum uiro concubuit, uelit, nolit, uertitur in habitum priuatio, nec adſtringitur Dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius imperium perit natura, diſſueſcit conſuetudo. Sic Platonem & præſertim Ariſtotelem a Chriſtianorum ſcholis exigendum eſſe cenſet, qui a nonnullis Patrum ultimus eſt appellatus.

Hos autem habui diuerſarum Orientis & Occidentis Eccleſiarum Doctores, quos producerem & in unum ueluti conſeſſum congregarem. Et certe neſcio, an unquam ullo in Concilio tot numerati fuerint uiri ſanctitate & ſcriptis illuſtres, quot hic numerari poſſunt.

Vtut ſit, iis adiungimus ſextam Synodum, in cuius actione XI. hæc approbantur: *Conſtantinus piiſſimus Imperator, & ſancta Synodus dixerunt: Similiter & alter liber relegatur. Et accipiens idem religioſus lector & notarius Antiochus huius librum relegit habentem in ſuperſcriptione ita: ſermo miſſus a Macario Archiepiſcopo Theopoleos Lucæ Presbytero & Monacho in Africa, qui ſcripſerat de noua hæreſi Maximianorum: & dum lectio eiusdem ſermonis fieret, ſancta Synodus dixit: Relecto iam libello Macarii, qui oblatus eſt piiſſimo & tranquilliſſimo noſtro Domino atque magno uictori Imperatori. Similiter autem & relecto & illo quaſi proſphonetico ſermone, qui ſicut ſuperſcriptus eſt, ad a Deo conſeruandam eius fortitudinem factus eſt. Et hoc expleto: Inſuper autem ad relegendum incepto etiam præſente ſermone*

mone ad Lucam quendam Monachum Africæ habentem ordinem oppoſitionum & Ariſtotelis Syllogiſmos, & diſſonantem omnino a ſanctis quinque uniuerſalibus Conciliis & ſanctis probabilibus Patribus, qui nunquam tale aliquid admiſerunt, præuidimus interruptionem fieri lectionis de huiusmodi ſermone ad Lucam, eo quod extranea ſunt, atque aliena ab Eccleſiaſticis dogmatibus, quæ in eo continentur, & ſibi & ueritati omnino contraria. Veteres hæretici ex Ariſtotele depromſerunt arma, quibus in arcem religionis noſtræ inuaderent. Catholici uero tractatores nullam Ariſtoteli fecerunt audientiam, eumque e ſcholis Chriſtianorum abegerunt.

Hæc autem ſunt illuſtria præiudicia, quibus cum uti potuerint Senonenſis Concilii Patres, comburendos eſſe Ariſtotelis libros non immerito decreuerunt, atque eorum deſcriptione, & lectione commiſſis fidei ſuæ populis interdixerunt.

CAP.

CAPVT III.

Nonnihil adhuc expreſſius & magis ad rem ſubnotatur. Beatus Bernardus & Otto Friſingenſis Dialecticam Ariſtotelis in Petro Abælardo culpant. Galterus Prior Victorinus contra Abælardum, Lombardum, Pictauinum & Porretanum, tanquam homines Ariſtotelico ſpiritu afflatos, ſcribit. His accedunt Robertus Corçeon & Ioannes Trithemius.

PRoximo cap. ea retuli, quæ Pariſienſe Concilium ſatis diu præceſſerunt. Nunc refero, quod contigit non multo ante Concilii tempus, cum Beatus Bernardus Abælardo (*) ſeſe oppoſuit, & Dialecticam Ariſtotelis exprobrauit. Sic enim ea de re loquitur in epiſtola ad Innocentium II. *Habemus in Francia nouum de ueteri magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate in arte Dialectica luſit, & nunc in ſcripturis ſanctis inſanit. Olim damnata & ſopita dogmata; tam ſua uidelicet, quam aliena ſuſcitare conatur & inſuper noua addit.* Hoc loco de Ariſtotelis Dialectica ſermonem eſſe colligi facile poteſt, cum ex iis, quæ ſanctiſſimus Pater de Ariſtotele ſuperiori cap. tradit, tum ex iis, quæ modo dicturus ſum, Otto

(*) De Petro Abælardo uid. Launoyus in libro de Scholis celebribus paſſim, inprimis cap. LIX. Art. II. & III.

Otto Friſingenſis Epiſcopus eadem de Abælardo memoriæ prodidit libro I. de geſtis Friderici primi Imperatoris: *Habuit primo Præceptorem Roſelinum quendam, qui primus noſtris temporibus in Logica ſententiam uocum inſtituit.* Et poſt alia: *Inde magiſtrum induens Pariſius uenit, plurimum in inuentionum ſubtilitate non ſolum ad Philoſophiam neceſſariarum, ſed & pro commouendis ad iocos animis utilium ualens.* Et poſt alia: *Sententiam uocum ſeu nominum in naturali tenens facultate non caute Theologiæ admiſcuit. Quare de ſancta Trinitate docens & ſcribens, tres perſonas, quas ſancta Eccleſia non uacua nomina tantum, ſed res diſtinctas, ſuisqu. proprietatibus diſcretas hactenus & pie credidit & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis uſus exemplis inter cætera dixit, ſicut eadem oratio eſt propoſitio, aſſumtio & concluſio, ita eadem eſſentia eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Ob hoc Sueſſionis Prouinciali contra eum Synodo, ſub præſentia Romanæ ſedis Legati congregata ab egregiis uiris & nominatis magiſtris Alberico Remenſe, & Leutaldo Nouarienſe Sabellianus hæreticus iudicatus, libros, quos ediderat, propria manu ab Epiſcopis igni dare coactus eſt.*

(*) Sub illud tempus Luteciæ fuit e ſancti Victo-

(*) Sed nec deerant, qui cum Abælardo facerent. Ex horum numero Arnoldus erat de Brixia, qui, teſte Bernardo Ep. CXCV. *omnes errores*

Victoris cœnobio, qui Petrum Abælardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictauinum, & Gilbertum Porretanum hæreſeos inſimulauerit, quod Trinitatis & diuinæ Incarnationis myſteria ſpiritu cenſerent Ariſtotelico. Hic uocatur Magiſter Galterus Prior ſancti Victoris, compoſuitque libros IV. quibus eſt titulus, *contra manifeſtas & damnatas etiam in Conciliis hæreſes, quas Sophiſtæ Abælardus, Lombardus, Petrus Pictauinus & Gilbertus Porretanus libris ſententiarum ſuarum acuunt, limant, roborant.* Prologus ſic incipit. *Quisquis hoc legerit non dubitabit quatuor Labyrinthos Franciæ, id eſt, Abælardum & Lombardum, Petrum Pictauinum & Gilbertum Porretanum uno ſpiritu Ariſtotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis ſcholaſtica leuitate tractarent, multas hæreſes olim uomuiſſe, & adhuc errores pullulare.* Tum libro IV. *Dialectici, quorum Ariſtoteles princeps eſt, ſolent argumentationum retia tendere, & uagam Rhetoricæ libertatem & Syllogiſmorum ſpineta concludere. Hi ergo in eo totos dies & noctes terunt, ut interrogent*

errores Petri Abelardi ab Eccleſia iam deprehenſos et damnatos pro illo, & cum illo defendere, acriter, & pertinaciter conatus fuit. Scripſit etiam Apologiam pro Abælardo Fr. Amboeſius Eques, in Præf. quam præmiſit eius Operibus, Pariſiis cIↄ Iↄc XVI. ed. Multus etiam eſt, pro more, in excuſando Abælardo Godofredus Arnoldus.

rogent, uel reſpondeant, uel dent propoſitiones, uel accipiant, aſſumant, affirment, atque concludant. Et poſt pauca: *Ex his* (Dialecticorum regulis) *ſunt ſententiæ Abælardi, Porretæ, &c.* Hinc de Petro Pictauino: *Sicut enim rerum omnium, ita & propoſitionum infinita conuerſio eſt: Vnum idemque uerum & falſum, & neutrum adhibitis mille differentiis facillime negat & probat. Si eis credis, utrum Deus, an non Deus, utrum Chriſtus homo, an non homo, aliquid, an non aliquid, nihil, an non nihil, utrum Chriſtus, an non Chriſtus ſit, neſcis, & ſic de cæteris.* Huius operis, quod multa ſcitu digna continet, exemplaria duo MSS. uidi in Bibliotheca ſancti Victoris: alterum relatam ſupra inſcriptionem habet, alterum ea caret.

Thomas Campanella diſput. in prolog. inſtaurat. ſcient. art. I. & alii rerum geſtarum ignari, Hæreſiarcham cum iniuria uocant Abælardum, qui Synodis Eccleſiæ acquieuit, & apud Cluniacenſes Monachos in pace & uitæ ſanctimonia migrauit. (*)

Ad

(*) Abælardus, a Bernhardo, cum quo in colloquium deſcenderat, ad ſilentium adactus, uictum ſe fateri debuit, ſuoſque errores, hortatu Petri Cluniacenſis, abiecit. Factam hanc eſſe retractationem, nonnulli ex recentioribus dubitant partim, partim inficiantur. Hos inter Godofredus eſt Arnoldus in H. E. & H. P.

I. L.

Ad Petrum autem Lombardum quod attinet, illius ſententiæ uentilatæ ſunt in Concilio Romano, quod Alexander III. habuit; qui & de certis quibusdam Lombardi propoſitionibus ad Guilielmum Senonenſem Archiepiſcopum & Legatum reſcripſit.* Hæc altercatio ad plures annos dura-

I. L. XII. c. V. §. 7. Etiam I. A. Schmidio, uiro de antiquitate ſacra inſigniter promerito, *uiſa eſt palinodia æque ac hæreſis a maleuolis* Abælardo *imputata*, in Comp. H. E. p. m. 320. At certiora exſtant monimenta, quam ut negari ea res poſſit. Videndus eſt Ittigius, de Biblioth. & Cat. Patr. p. 678. & 369. Hinc alii retractationem ueris annumerant hiſtoriis. Quod poſt multos alios etiam facit Leon. Codzandus, de Magiſt. Ant. Phil. p. m. 174. Neque tamen cum Io. Georg. Neumanno in Primit. Diſſert. Acad. Diſſ. IV. quæ de Retractationibus Patrum exponit, §. XII. affirmauerim, eſſe hoc Abælardi exemplum *ſingulare ac pæne unum, quo erronei dogmatis defenſor, diſputando ad rectiora ſe paſſus eſt commoueri.* Sunt namque alia, ex quibus conſtat, quid Theologia πολεμικὴ, rite, & ut decet, adhibita efficere poſſit. Ita diſputando Origines ad meliorem perduxit mentem Berillum, & non multo poſt Arabas, animorum immortalitatem negantes. Quod Euſebius perſequitur L. VI. H. E. c. XXXIII. & XXXVII.

durauit. Tunc Ioachimus Abbas (*) Florenſis Cœnobii in Lombardum, eiusque ſententias paulo atrocius inuaſit, ſed Innocentius III. impetum tandem repreſſit in Lateranenſi Conſilio, cui an. MCCXV. præfuit. Vtut ſit, Galterus Prior, & Ioachimus Abbas, uel alii certe, id demum conſecuti ſunt, ut ex ſententiis Lombardi poſtea fieret indiculus nonnullarum, quæ minime docerentur. Hæ ad calcem ſententiarum deſignantur hoc modo: *Articuli, in quibus Magiſter ſententiarum communiter non tenetur.*

Hic non poſſum ſilentio præterire, quæ Otto Friſingenſis de Porretano tradidit lib. I. de geſtis Frederici cap. LII. *Ait ergo prædictus Epiſcopus* (Pictauienſis) *quid eſt, quod dicis eſſe Deum, nibil eſt, erat quippe quorundam in Logica ſententia, ut cum quis diceret Socratem eſſe, nibil diceret. Quos præfatus Epiſcopus ſectans talem dicti uſum haud præmeditate ad Theologiam uerterat.* Deinde cap. LXII, *Dum ita per aliquot dies iam ſæpe dictus Epiſcopus coram ſummo Pontifice de fide ſua in ciuitate Pariſius diſcuteretur, ſentiens Papa utpote uir cautus & religioſus cauſæ difficultatem protelandam, eam usque ad Concilium uniuerſale adiudicauit. Erat enim in proxima*

(*) Liber, quem contra Lombardum edidit Ioachimus, inſcribitur de unitate ſeu eſſentia Trinitatis. Damnatus autem eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato. Vid. Caranza in Sum. Concil. p. 600. ſeqq.

xima medianæ quadrageſimæ dominica apud Galliarum metropolim Remis generale indictum Concilium.

Robertus Corçeon Pariſienſis Theologus grauiter irridet & contemnit eos, qui philoſophicas, id eſt, Ariſtotelicas in Sacramentum Euchariſtiæ propoſitiones intrudunt. Ariſtotelicas dico, quia, quo tempore in Academia enituit, non alia, quam Ariſtotelis philoſophia tradebatur. Sic autem ſcribit in Summa, quæſt. de ſpecie panis: *De iis, qui multas philoſophicas quæſtiones proponunt iu myſterio Euchariſtiæ: Stultus quilibet poteſt in his ſecretis & myſteriis occultis plura inquirere quam totus mundus poſſet ſoluere.* Hæc autem ſumma MS. eſt in Bibliotheca Sancti Victoris. Robertus uero fuit ſuo tempore in Gallia ſedis Apoſtolicæ legatus, & ad eum extant Innocentii III. Epiſtolæ, quibus, quanta fuerit in eo & auctoritas & eruditio, cognoſci poteſt.

Ad extremum Ioannes Trithemius de Abælardi ſtudiis ſic pronunciat libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Ab hoc tempore* (*) (quo ille uixit) N *Philo-*

(*) Calixtus, mentem haud dubie præcurrente calamo, in Appar. p. 137. pro Abælardo nominat Lombardum, eius diſcipulum. Ceterum ex hiſce Trithemii uerbis Iac. Thomaſius euincit, primordia Theologiæ Scholaſticæ ab Abælardo eſſe petenda, quæ Reformati plerumque, & in his Danæus, Hornius, alii, a Lan-

Philoſophia ſæcularis ſacram Theologiam ſua curioſitate inutili fœdare cœpit. Scripſit uolumen dialectica obſcuritate ſubumbratum, multis ſententiis uarium, quod prænotare uoluit Theologiam ſuam. Sæcularis Philoſophiæ nomine Ariſtotelicam indicat, cui Abælardus non indiligentem operam nauauerat, & quam ſic laudat lib. III. Introductionis ad Theologiam: *Vnde Ariſtoteles in ſecundæ qualitatis genere ſanatiuum & durum ad potentiam reducit.*

CAP.

Lanfranco deducunt. Sed hos partium ferri ſtudio, ut Lanfranco, qui Berengario ſe quam uehementer oppoſuit, Theologia Scholaſtica, tantopere exoſa, adſpergant labem, idem acute coniicit Thomaſius, in Origin. Hiſt. Phil. & Eccl. p. 117. Neque ipſe Caueus firmiter id affirmare audet, qui potius ingenue fatetur, in H. L. p. m. 615. ex Lanfranci, quæ hodie ſuperſunt, operibus, uix colligi poſſe, nouam ab eo Theologiæ formam antiquiori eſſe ſubſtitutam. Io. Mabillonius de ſtudiis Monaſt. P. II. c. VII. pro Autore huius Theologiæ Anshelmum habet. Quæ ſententia cum altera illa, quæ pro Abælardo propugnat, facile conciliatur, ſiquidem Anshelmo Abælardus uſus eſt præceptore. Nihil enim impedit, quo minus dicamus, Abælardum ea maiori excoluiſſe ſtudio, quæ a præceptore quondam edoctus erat.

CAPVT IV.

Secunda Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua perſiſtit uetita combuſtorum operum lectio, ſed Dialectica in publicas ſcholas admittitur.

CIrca annum MCCXV. qui ſedis Apoſtolicæ Legatus Pariſienſem Academiam meliorem reduxit in ordinem, illique docendi modum præſtituit; ne quis Ariſtotelis libros de Metaphyſica & Philoſophia naturali legeret, interdixit. Sunt autem hæc illius uerba: *R. ſeruus crucis Chriſti diuina miſeratione tituli ſancti Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legatus uniuerſis magiſtris & ſcholaribus Pariſius ſalutem in Domino. Nouerint uniuerſi, quod cum Domini Papæ ſpeciale habuiſſemus mandatum, ut ſtatui Pariſienſium Scholarum in melius reformando impenderemus operam efficacem, nos de bonorum uirorum conſilio Scholarium tranquillitati uolentes impoſterum prouidere, ordinauimus & ſtatuimus in hunc modum. Nullus legat Pariſius de artibus citra uiceſimum primum ætatis ſuæ annum, & quod ſex annis audierit de artibus ad minus, niſi rationabilis cauſa interuenerit, quam publice uel coram examinatoribus debebit probare, quod non ſit reſperſus aliqua infamia, & quod cum legere diſpoſuerit, examinetur quilibet ſecundum formam, quæ continetur in ſcripto Domini Petri Pariſienſis Epiſcopi, ubi continetur pax confirma-*

ta inter Cancellarium & ſcholares a iudicibus delegatis a Domino Papa, ſcilicet ab Epiſcopo & Decano Trecenſibus, & a Petro Epiſcopo & a Cancellario Pariſienſi approbata & confirmata. Et quod legant libros Ariſtotelis de Dialectica tam de ueteri, quam de noua in ſcholis ordinarie, & ad curſum, Poſt alia: *Non legantur libri Ariſtotelis de Metaphyſica & de naturali Philoſophia, nec ſummæ de iisdem, aut de doctrina magiſtri Dauid de Dinant, aut Almarici hæretici, aut Mauricii Hiſpani.* Poſt alia: *Vt autem iſta inuiolabiliter obſeruentur, omnes qui contumaciter contra hæc ſtatuta noſtra uenire præſumpſerint, niſi infra quindecim dies a die transgreſſionis coram uniuerſitate magiſtrorum & ſcholarium, uel coram aliquibus ab Vniuerſitate conſtitutis præſumtionem ſuam curauerint emendare, legationis, qua fungimur, auctoritate uinculo excommunicationis innodamus. Actum anno Domini MCCXV. menſe Auguſto.* Hoc monimentum in codicibus & archiuis Academiæ Pariſienſis aſſeruatur, & nuper in lucem editum eſt. Hæc eſt igitur altera librorum Ariſtotelis fortuna, qua recipiuntur alii, alii uero repudiantur. Recipitur quidem Dialectica ſeu Organum, ſed Metaphyſica & naturalis Philoſophia repudiantur.

CAP.

CAPVT V.

In hac fortuna ab antiquorum Eccleſiæ Patrum præiudiciis, & Pariſienſis Concilii decreto nonnihil receditur. Non Ariſtotelis ſed Beati Auguſtini Dialectica legebatur antea in ſcholis Luteciæ.

SVperiori cap. alteram expoſuimus Ariſtotelis fortunam, quæ ſi comparetur cum prima, caſum habuit paulo tolerabiliorem. In prima hinc decernitur a Concilio, ut Ariſtotelis opera comburantur, inde prohibetur ſeueriſſime, ne a quoquam deſcribantur. Tum antiqui Patres Dialecticam Ariſtotelis perinde ac cæteros libros auerſantur & refugiunt, quippe qui putent, ab illa non exiguam Chriſtianæ religioni perniciem importari. In hac ſecunda Phyſicorum quidem & Metaphyſicorum commentarii uetantur, ſed Dialectica non uetatur, immo ſtatuitur, ut ad illius præcepta literarii adoleſcentes informentur. Quo factum eſt, ut is Philoſophus alienæ gloriæ hæreditatem creuerit Luteciæ Pariſiorum. Hac enim in urbe ſub illud tempus deſiit Auguſtini Dialectica doceri, quæ ante magno ſtudio, ſummoque conſenſu docebatur. Ea de re inſignis extat locus in libro I. de uita Odonis Cluniacenſis Abbatis: *Odo uir beatiſſimus ex Francorum proſapia extitit oriundus, ſed intra domum Wilhelmi robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt alitus; XIX. ætatis ſuæ anno apud Beatum Martinum Turonis*

eſt tonſus, ibique Grammatticæ laribus eſt educatus. Deinde apud Pariſium Dialectica, Muſicaque a Remigio doctiſſimo uiro eſt inſtructus. Et poſt alia: *Odo his diebus adiit Pariſium, ibique Dialecticam ſancti Auguſtini Deodato Filio ſuo miſſam perlegit, & Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitauit. Præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.* (*) Sic igitur uſus obtinuerat, ut Luteciæ Auguſtini Dialectica traderetur. Eam doctiſſimus ille uir Remigius tradidit, eam poſt Remigium Odo, & poſt Odonem alii tradiderunt. Verum tandem aliquando Auguſtinus Ariſtoteli, Chriſtianus uidelicet Gentili, ceſſit.

CAPVT VI.

Tertia Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua combuſtorum operum lectio probibetur, donec ab eis error omnis diſpunctus fuerit.

AD annum MCCXXXI. Gregorius IX. prouinciale Concilium, quo proſcribuntur Ariſtotelis opera, his uerbis temperauit. *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis uniuerſis magiſtris & ſcholaribus Pariſienſibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Parens ſcientia-*

(*) Vtrumque locum affert Io. Launoyus de Schol. Celebr. c. LIX. Art. I.

*entiarum Pariſius uelut altera Cariatſepher ciuitas literarum cara claret, magna quidem, ſed de ſe maiora facit optari docentibus & diſcentibus gratioſa. In qua utique tanquam in officina ſapientiæ ſpecialis habet argentum uenarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo rite conflatur. Ex quibus prudentes eloquii myſtici murenulas aureas uermiculatas argento cudentes, & fabricantes monilia ornata lapidibus pretioſis, imm**o** nulli pretio comparandis, ſponſam Chriſti decorant.* Et poſt alia: *Circa ſtatum itaque ſcholarium & ſcholarum hæc ſtatuimus obſeruanda.* Et poſt alia: *Ad hæc iubemus, ut magiſtri artium unam lectionem de Priſciano, & unam poſt aliam ordinarie ſemper legant, & libris illis naturalibus, qui in Concilio prouinciali ex certa ſcientia prohibiti fuere Pariſius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati. Magiſtri uero & ſcholares Theologiæ in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere: nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Aſotica confundentes, ſed de illis tantum in ſcholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros Theologicos & ſanctorum Patrum tractatus ualeant terminari.* Et poſt alia: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ prouiſionis, conſtitutionis, conceſſionis, prohibitionis & inhibitionis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,*

& Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani Pontificatus noſtri anno V. menſe Aprili. Hoc autem reſcriptum ſeu diploma in codicibus & tablino Pariſienſis Academiæ aſſeruatur. Hæc eſt igitur tertia Ariſtotelis fortuna, in qua, qui libri de naturali Philoſophia tractant, a ſcholis usque prohibentur, dum ab omni erroris ſuſpicione purgati fuerint. Atque ita dum Pontifex Pariſienſe Decretum emollire uidetur, grauiſſime confirmat.

CAPVT VII.

Ad hanc fortunam obſeruantur magni ponderis tria.

IN huius fortunæ uolubilitate obſeruanda nobis occurrunt tria, quæ non exiguæ digna conſiderationis uidentur.

Secunda fortuna componitur cum tertia.

Et primo quidem in ſecunda fortuna Ariſtotelis de naturali Philoſophia commentariorum lectio interdicitur. In hac uero tertia permittitur, dummodo iidem commentarii corrigantur, hoc eſt, reſecentur ea, quæ Chriſtianæ religionis dogmatibus incommodare poſſunt. De Dialectica & Metaphyſica cum Gregorius in diplomate uerbum nullum faciat, an admittantur uel repudientur, incertum. Quidquid id eſt, Pontifex Pariſienſis Concilii decretum emolliendo con-

confirmat. Atqui ea ratione dici poteſt, & Pontificem & Concilium, cui cum Epiſcopis Pariſienſes magiſtri interfuerant, in eandem tranſiiſſe ſententiam.

Simon Tornacenſis propter nimium Ariſtotelis uſum hæreſeos accuſatus, & alii aliter reprehenſi.

Deinde ſub illud tempus, quo illa peracta ſunt, floruit Luteciæ Simon Tornacenſis, qui quod Ariſtoteli nimium addictus eſſet, in hæreſeos crimen incurrit. Teſtatur id Henricus Gandauenſis in libri de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. XXIV. *Simon Tornaci oriundus ex Dialectico Subtiliſſimo, immo omnium liberalium artium fere ſui temporis peritiſſimo, Theologicæ etiam ſcholæ Pariſius Cathedram meruit aſcendere magiſtralem, in qua plurimos habuit auditores. Scripſit librum, quem uocauit ſententiarum ſuarum. Scripſit etiam quæſtiones ſuas, quas in ſcholis ſuis diſputatas determinauit Pariſius. Expoſuit etiam Symbolum, quod dicitur Athanaſii, ſubtiliter. Sed dum nimis & in hoc & in aliis ſcriptis ſuis Ariſtotelem ſequitur, a nonnullis modernis hæreſeos arguitur.* Hoc autem mihi uiſum eſt dignum, quod hoc loco notaretur. Ad hiſtoriam enim huius temporis, in quo uerſamur, pertinet, ut ſciatur, fuiſſe, qui Luteciæ Gregorii & prouincialis Concilii decreto paruerint, & qui non paruerint. Paruerunt, qui Simonem hæreſeos accuſarunt, cum in reprehenſum

a ſe crimen, opinor, non inciderint. Non paruit Simon, qui ab illis hæreſeos accuſatus eſt. Aut certe ſi paruit, non eo paruit modo, quo ſuſpicionem erroris declinaret.

Præter iſtum Simonem fuerunt alii, quos Odo Theologus & Cancellarius Pariſienſis, mox Cardinalis & Tuſculanus Epiſcopus ſeuere redarguit. Locus eſt in Sermone Dominicæ II. poſt feſtum Trinitatis: *Et nota quod cibo, quem tulerunt filii Iſrael de Ægypto, triginta diebus uſi ſunt, manna quadraginta annis, ad notandum, quod in ſcientiis Philoſophorum modicum debemus morari, in Theologia omnibus diebus. Sed moderni totum tempus in ſæculari ſcientia expendunt, parum uel nihil de ſcientia Dei curantes: ſicut ruſticus, qui uentrem ſuum ſic implet pane hordeaceo; quod ſuperaddere non poteſt de pano albo. Similiter quidam ſemper ſtant in oſtio, & in domum Theologiæ nunquam intrant. Sed turpe eſt, ut Mach. II. in proëmio effluere, in hiſtoria ſuccingi. Proëmium dico artes, hiſtoriam ſacram ſcripturam: Artes ſunt quaſi ancilla: Theologia domina: Sic plerique adulterantur cum ſuis ancillis, de domina parum curantes, ſed contra præſumentes ſupra uires.* Quo forſan effectum eſt, ut B. Ludouicus Odonis æqualis, magiſtrorum commentariis parum oblectaretur. Id teſtatum reliquit Gaufridus Bellilocus cap. XXIII. de uita illius: *Non libenter*, inquit, *legebat in ſcripturis magiſtralibus ſed in ſanctorum libris authenticis & probatis*, quos inter numerat Ambroſium, Auguſtinum, Hie-

Hieronymum, Gregorium. Atque ita magiſtrorum, qui tunc uiuerent aut uixerant, opera uidetur ueterum Eccleſiæ tractatorum libris opponere.

Albertus & Thomas in uetitos Ariſtotelis libros ſcribunt commentaria: Cur id ita factum. (*)

Poſtremo Albertum magnum & Thomam Aquinatem (**) eius diſcipulum in Ariſtotelis libros

(*) Ex his patet, quantopere Leonardus Cozzandus hallucinetur, qui de Magiſt. Ant. Philos. p. 154. Auguſtinum Niphum mendacii poſtulat, propterea, quod in libro primo de Cœlo ſcripſit, *Bacconis tempeſtate prohibitam fuiſſe Ariſtotelis, iuxta ac Auerrois, & Auicennæ philoſophiam, eandemque duraſſe prohibitionem, donec emerſerint Albertus, Thomas, Henricus, alii.* De Baccone non diſputo. Res tamen ipſa, quam Niphus commemorat, negari nequit. Quid? quod illud pariter opus habeat temperamento, quando prohibitionem ad ea duraſſe tempora ſcribit, quibus Albertus, Thomas, alii emerſerunt. Vid. infra, c. X.

(**) Thomas non modo ipſe in Ariſtotelem eſt commentatus, ſed & aliis autor fuit, ut ſcripta Ariſtotelis in latinam conuerterent linguam. Incertus Autor Chronic. Slauicorum apud Lindenbrogium p. 206. *Anno Domini 1279. Wilhelmus de Brabantia, ordinis Prædicatorum: tranſtulit omnes libros Ariſtotelis de Græco*

bros commentaria edidiſſe conſtat; ſed edidiſſe, cum libri recens damnati eſſent Pariſiis, & a Gregorio IX. uetitum, ne quis eos ante legeret, quam eſſent emendati, permirum uideri poſſet. Hic celandum nihil fuit. Veritas occultari non poſtulat, quin etiam occultata erubeſcit. Illud Alberti & Thomæ factum accipiant alii, quomodo uoluerint, omnino meus erit, qui benignius accipiet. Ego interim hanc in partem interpretor, uel quod Albertus & Thomas alibi, quam Luteciæ commentaria hæc ſcripſerint, ſeque ab Pariſienſis Concilii decreto, & ab impoſita per Gregorium IX. Pariſienſi Academiæ lege immunes (*) crediderint; uel quod, cum Luteciæ commentarentur, Concilii decretum, Gregoriique legem penitus (**) ignorauerint. Non ſum quidem

Græco in Latinum, uerbum e uerbo, qua translatione Scholares adhuc hodierna die utuntur in ſcholis, ad inſtantiam S. Thomæ de Aquino Doctoris.

(*) At enim ideo Pontifex interdicebat lectione ſcriptorum Ariſtotelicorum, ne occaſionem præberent erroribus. Quæ ratio ubiuis locorum abſtrahere homines ab illorum lectione debebat.

(**) Hoc ne ſpeciem quidem probabilitatis habet. Rectius forſan dicimus, Thomam Aquinatem haud credidiſſe, ſtandum ſibi eſſe decreto Papæ, qui non raro rerum Theologicarum,

quidem neſcius, Doctores illos potuiſſe ab Apoſtolica ſede legendi Ariſtotelem commentandique ueniam quærere, ſed quod quæſiuerint, inuenire me nusquam memini. Obtentum id ueniæ genus, etiamſi petitum eſſet, ut facile credatur, non ſinunt hæc Gregorii uerba, ſi, ut oportet, conſiderentur: *Magiſtri uero & ſcholares Theologiæ in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Aſotica confundentes, ſed de illis tantum in ſcholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros Theologicos, & ſanctorum Patrum tractatus ualeant terminari.* De reliquo rationes meas, quibus purgandi mihi ſunt uiſi Albertus & Thomas, eatenus præſto, quatenus ab aliis plauſabiliores exponantur.

Quæ cap. I. ex Rigordo & cap. III. ex Gregorio Papa IX. retuli, alias edideram in calce cuiusdam libelli, qui inſcribitur (*) *Syllabus rationum, quibus cauſa Durandi de concurſu cauſæ primæ cum ſecundis defenditur, aduerſus inoffici-oſam*

carum, nedum Philoſophicarum expers ſit, ac, ut cœcus, de colore iudicet. Quod ſi hoc non placeat, forſan aliquid conceſſit Pontifex Alberto & Thomæ propterea, quod Ordinis Prædicatorum, qui defendere religionem ab hæreticorum debebant inſultibus, erant ſocii.

(*) Prodiit iſte Syllabus Pariſiis cIɔ Iɔc XXXV. 8.

oſam quorundam recentiorum cenſuram. Thomas Campanella diſput. in prolog. inſtauratarum ſcient. art. II. deſcripſit id totum, & poſtea, cum ſanctum Thomam non fuiſſe Peripateticum (*) doceret, hanc meam obſeruationem ſubodoratus ita dixit: *Nullo pacto putandus eſt Ariſtotelizaſſe, ſed tantum Ariſtotelem expoſuiſſe, ut occurreret malis per Ariſtotelem illatis, & crederem cum licentia Pontificis.* Ego quoque non repugnanter crederem, ſi talis licentia compareret. Verum ſi beatus ille Doctor uiueret, culpandusque foret, ſine dubio mallet cum ueritate redargui, quam excuſari cum falſitate.

CAP.

(*) Qui negat, Thomam de Aquino Peripateticum fuiſſe, ille uel nunquam legit Thomam, uel Ariſtotelis ignorat ſententias. Neque hoc, ut ego arbitror, ipſimet negabunt Pontificii. Quæ haud dubie etiam eſt ratio, quamobrem Ieſuitæ, Thomiſtæ recentiores, eandem, Peripateticam puta, complecti debent Philoſophiam. Qua de re Iulius Clemens Placentinus in libro de Poteſtate Pontificia in Societatem Ieſu, a Io. Adamo Scherzero Bibliothecæ Pontificiæ inſerto, quantum ſatis eſt, expoſuit. Vnde nec uideri uolunt ab Ariſtotelis receſſiſſe philoſophia, ſed ægre ferunt, ſi quando diſſenſus ab Ariſtotele poſtulantur. Quod ſuo ſatis exemplo in Epiſtolis ad Pardeſium Honoratus Faber confirmat.

CAPVT VIII.

Secunda Ariſtotelis fortuna repetitur, & decreto Gregorii Papæ IX. aliqua ex parte derogatur.

AD annum MCCLXV. quarta Ariſtotelis fortuna numerari potuit, niſi quæ quarta eſſe potuit, eadem fuiſſet ac ſecunda. Sed hoc tempore Gregorii IX. præſcripto cum derogatum ſit nonnihil, id obſeruare operæ pretium uidetur. Res autem ſic ſe habet in diplomate, quo Simon ſedis Apoſtolicæ Legatus ſecundam Ariſtotelis fortunam confirmauit. *Simon miſeratione diuina tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus uniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Nouerit uniuerſitas ueſtra, quod nos perſonaliter accedentes ad Eccleſiam ſancti Maturini Pariſienſis, præſentibus Rectoribus & Procuratoribus Vniuerſitatis ſcholarium Pariſienſium, & pluribus aliis, ipſisque Rectoribus, & Procuratoribus uolentibus, ac claues præbentibus, quas habebant, arcam, in qua ſeruantur literæ, & priuilegia Vniuerſitatis ipſius, fecimus aperiri, in qua inter cætera inuenimus ac uidimus, & diligenter inſpeximus quaſdam literas patentes, ſigillatas ſigillo pendenti reuerendi Patris quondam R. miſeratione diuina tituli S. Stephani, in Cælio monte Presbyteri Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis legati, ut prima facie apparebat, ſanas & integras, non cancella-*

cellatas, nec abolitas, quarum tenor talis eſt. R. ſeruus crucis Chriſti diuina miſeratione tituli S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, uniuerſis Magiſtris & ſcholaribus Pariſienſibus ſalutem in Domino. Nouerint uniuerſi, quod cum Domini Papæ ſpeciale habuiſſemus mandatum, ut ſtatum Pariſienſium ſcholarum in melius reformando impenderemus operam efficacem, Nos de bonorum uirorum conſilio ſcholarum tranquillitati uolentes impoſterum prouidere, ordinauimus & ſtatuimus in hunc modum: Nullus legat Pariſius de artibus citra uiceſimum primum ætatis ſuæ annum. Et poſt alia quæ cap. 4. retulimus. *Quod legant libros Ariſtotelis de Dialectica tam de ueteri, quam de noua in ſcholis ordinarie & non ad curſum. Legant etiam in ſcholis ordinarie duos Priſcianos, uel alterum ad minus. Non legant in feſtiuis diebus, niſi Philoſophos & Rhetoricas, & Quadriuialia, & Barbariſmum & Ethicam, ſi placet & quartum Topicorum. Non legantur libri Ariſtotelis de Metaphyſica & de naturali philoſophia, nec ſummæ de eisdem, aut de doctrina Magiſtri Dauid de Dinant, aut Almarici hæretici, aut Mauricii Hiſpani.* Et poſt alia: *Vt autem iſta inviolabiliter obſeruentur, omnes, qui contumaciter contra hæc ſtatuta noſtra uenire præſumpſerint, niſi infra quindecim dies a die transgreſſionis coram Vniuerſitate Magiſtrorum & ſcholarium, uel coram aliquibus ab Vniuerſitate conſtitutis præſumptionem ſuam curauerint emendare, Legationis, qua fungi-*

fungimur, auctoritate uinculo excommunicationis innodamus. Actum anno gratiæ MCCXV. menſe Auguſto. In quorum teſtimonium & fidem in perpetuum faciendam, præſentes literas per infra ſcriptum Notarium noſtrum, qui omnibus prædictis interfuit, fieri fecimus, & in publicam formam redigi, ac noſtri ſigilli munimine roborari. Datum Pariſiis X. Calend. Aprilis Pontificatus Domini Clementis Papæ IV. anno primo. Sic altera repetita eſt Ariſtotelis fortuna, quæ cap. IV. explicatur. Sed illa cum uidetur rurſus in auctoritatem admitti, uidetur quoque Gregorii IX. ſtatuto derogari. Vetat Gregorius, ne ad Ariſtotelis Phyſicam, quæ naturalis Philoſophia dicitur, ante extinctionem errorum, quibus ſcatet, lectio adhibeatur. In hoc uero decreto Simon Legatus naturalis philoſophiæ lectionem ſimpliciter & ſine ulla exceptione prohibet. Niſi forſan id, quod egit Legatus, publicæ teſtificationis potius; quam inſtaurationis uel aſſertionis rationem habere dicatur. Quam in partem quis uoluerit, accipiet. Quæ geſta ſunt mihi ſufficit narraſſe. Phyſicæ adiungitur Metaphyſica, cuius apud Gregorium nulla mentio, niſi naturalis philoſophiæ titulo Metaphyſicam quoque comprehendat.

O CAP.

CAPVT IX.

Quarta Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua nominatim exprimuntur plures Ariſtotelis libri, qui legantur præter Phyſicam.

ANno MCCCLXVI. Cardinales duo, cum ex auctoritate Vrbani V. Pariſienſem Academiam reformarunt, Ariſtotelis libros paulo humanius adhuc tractauere. Res autem ſic ſe habet in inſtrumento, quod in eiusdem academiæ armariis extat: *Miſeratione diuina Ioannes tit. ſancti Marci, & Ægidius tit. ſancti Martini in montibus, Presbyteri Cardinales, Commiſſarii ad infra ſcripta a ſanctiſſimo in Chriſto Patre, & domino noſtro domino Vrbano diuina prouidentia Papa V. ſpecialiter deputati, dilectis nobis in Chriſto Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis, ac Magiſtris Doctoribus, & ſcholaribus uniuerſis, & ſingulis ſtudii Pariſienſis ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem.* Et poſt relatam Vrbani Papæ bullam, aliaque nonnulla: *Item ſtatuimus eadem auctoritate, quod ſcholares antequam ad determinandum in artibus admittantur, congrue ſint in grammatica edocti, & doctrinale, & Græciſmum audiuerint, dummodo in ſtudiis, aut aliis locis, ubi grammatticam didicerunt, dicti libri legantur.*

Item quod audiuerint ueterem artem totam, librum Topicorum potiſſime quoad quatuor libros & libros Elenchorum, Priorum & Poſteriorum complete,

plete, etiam librum de anima in toto uel in parte.

Item quod nullus admittatur ad determinandum in artibus, niſi ad minus fuerit ſtudens Pariſius per duos annos, omni diſpenſatione interdicta. Item quod nullus admittatur ad licentiam in dicta facultate, nec in examine Beatæ Mariæ, nec in examine Beatæ Genoueſæ, niſi ultra prædictos libros audiuerit Pariſius, uel in alio ſtudio generali librum Phyſicorum de generatione & corruptione, de cœlo & mundo, parua naturalia, uidelicet libros de ſenſu & ſenſato, de ſomno & uigilia, de memoria & reminiſcentia, de longitudine & breuitate uitæ, librum Metaphyſicæ, uel quod actu audiuerit eundem, & quod aliquos libros Mathematicos audiuerit. Et poſt alia: *Prædicta autem omnia, & ſingula auctoritate prædicta mandamus per Cancellarios, Rectores & magiſtros, Doctores & ſcholares prædictorum Studii & Vniuerſitatis præſentes & futuros, cuiuscunque fuerint dignitatis, nobilitatis, præeminentiæ, ordinis, gradus & ſtatus, uel conditionis, inuiolabiliter obſeruari, non obſtantibus &c. ut in præſcriptis literis Apoſtolicis continetur, & cuicunque haberi uolenti per uos Cancellarium ante dictum, penes quem hoc præſens publicum inſtrumentum, hasque ueſtras literas uolumus remanere, & per uos publicari, eorum cum petierint copiam dare, ſuis tamen ſumtibus & expenſis. In quorum omnium teſtimonium præſentes literas, ſeu præſens publicum inſtrumentum per Arnoldum Notarium publicum infra*

ſcriptum fieri, ſignari, & publicari mandamus, & appenſionibus noſtrorum ſigillorum muniri. Datum & actum Auenioni in hoſpitio habitationis præfati Domini Ioannis Cardinalis anno MCCCLXVI. Indict. IV. die V. menſis Iunii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri Vrbani diuina prouidentia Papæ V. prædicto anno IV. In hac fortuna iam tum primum nominantur Ariſtotelis opera, quæ legi permittuntur, immo ut legantur, de iisque interrogati ſcholares in examine publico reſpondeant, ſtatuitur. Quæ uero non recenſentur opera, ab Academiæ ſcholis adhuc excludi non immerito creduntur. Sunt autem in eorum numero, quæ de phyſico auditu inſcribuntur. Cæterum quin Cardinales huius reformationis auctores ſuperioribus ſtatutis derogauerint, negari non poteſt. Nam in prouinciali Concilio cauetur, ne quis *eos libellos, qui docebant Metaphyſicam, de cætero legere & ſcribere præſumeret, uel quocunque modo habere.* Inter decreta Legati, qui ſub Innocentio III. Pariſienſem academiam redegit meliorem in ſtatum, præcipitur, *ut legantur Ariſtotelis libri de Dialectica tam ueteri, quam noua, ſed ut non legantur libri de Metaphyſica, & de naturali Philoſophia.* Hi uero Cardinales iubent, ut liber Methaphyſicæ, & alia quædam opera, quæ ad naturalem philoſophiam pertinent, legantur. Sed in hoc facto ex antiquis Patribus, quos ſequerentur, nullos, aut paucos habuerunt.

CAP.

CAPVT X.

Quæ in huius fortunæ decurſu contigerunt, eoque pertinent, enarrantur.

AB hac fortuna ad proximam occurunt nonnulla, quæ ſilentio prætermitti non poſſunt, niſi hiſtoriæ uis & nocumentum adferatur.

B. Thomas a Facultate Theologiæ notatus, quod Ariſtotelis uerba paulo frequentius uſurparit.

Imprimis uiceſimus-primus ab hac reformatione agebatur annus, cum Facultas Theologiæ Pariſienſis tractatum aduerſus Ioannem Monteſonum edidit, eumque Auenioni per oratores ſuos Romanæ Curiæ obtulit. In quo conqueritur, ſanctum Thomam in eas leges, quæ ſuperioribus capitibus expoſitæ ſunt, & maxime in reſcriptum Gregorii IX. peccaſſe. Tractatus uerba ſunt hæc ad calcem Magiſtri ſententiarum.

Sed ibi deſunt nonnulla, quæ ex codice MS. Nauarrici Collegii in Academia Pariſienſi refero.

In Corollario I. Probationis I. Concluſionis III. capitis III. hæc traduntur: *Primo ſequitur, quod cum auctoritas uel doctrina ſancti Thomæ in multis fundetur in ratione humana, ſaltem in illis non oportet, quod ſit ita firma, quin poſſit eſſe in fide erronea: Aliter enim locus ſumptus ab auctoritate, quæ fundatur in ratione humana non eſſet infirmiſſimus, ut ipſe dicit, ſed iam attingeret illam firmitatem, quæ fundatur in reuelatione diui-*

O 3 *na,*

na, quod eſt contra ipſum, & maxime apparet propoſitum, quia eius doctrina in multis innititur auctoritatibus & rationibus philoſophorum, & praecipue Peripateticorum. Nam in omnibus etiam arduiſſimis fidei articulis & humanam rationem tranſcendentibus ipſe utitur dictis Ariſtotelis, & immiſcet eius philoſophiam doctrinæ fidei ſicut patet cuilibet intuenti. Hoc autem præbet occaſionem errandi, cum ipſemet dicat, quod auctoritates philoſophorum ſint argumenta extranea doctrinæ ſacræ. Et poſt alia: *Philoſophicas & naturales rationes applicare & adaptare rebus diuinis, & maxime in arduis fidei articulis ſæpe dat cauſam & occaſionem errandi, & hoc expreſſe docet Dominus Altiſſiodorenſis in principio Summæ ſuæ Theologicæ ubi dicit, quod ideo decepti fuerint hæretici, quia rationes rerum naturalium proprias uolebant applicare rebus diuinis.*

Deinde circa finem: *Nec apparet iſtud mirabile, ſi ſanctus Thomas in hac doctrina errauit, quia, ut dicunt, non loquitur ibi Theologice, cum nullam ſcripturæ, aut ſanctorum auctoritatem inducat, ſed ſolum philoſophice, & ſecundum rationes naturales. Hoc autem in doctrina Theologica præſtat occaſionem errandi, ſicut ſupra dictum eſt in primo Corollario probationis primæ Concluſionis tertiæ huius cap. (III.) unde dicunt etiam, quod in terminis philoſophiæ & naturalibus principiis in eodem libro cap. XV. errauit manifeſte, ubi declarando qualiter Deus omnipotens dicatur, quædam non poſſe; inter alia dixit,*

dixit, quod (*) Deus non poteſt facere unum & idem eſſe, & non eſſe: quod eſt contradictoria ſimul: & poſtea ſubdit: quod contradictio in contrariis & priuatiue oppoſitis includitur. Sequitur enim, quod ſi eſt album & nigrum, quod ſit album & non album. Et poſt alia: *Dicunt etiam quod in pluribus locis doctrinæ ſuæ ipſe errauit per hoc quod principia philoſophiæ, ſeu potius quædam philoſophorum uerba ad concluſiones Theologiæ nimis applicauit. Non enim loqui taliter debent Theologi, qualiter loquuntur Philoſophi, ſicut docet Auguſtinus X. lib. de Ciuit. Dei cap. XXIII. dicens: Liberis uerbis loquuntur philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt; ne uer-*

(*) Mirum hoc inter errores numerari, quo nihil eſt uerius. Ex noſtratibus quidem aliquando Hulſemannus affirmauit, *Deum poſſe contradictoria & materialiter, & formaliter:* Sed non intellexit illud ἁπλῶς, uerum κατ' αὐτὸ, quatenus intellectus humanus, idemque ſibi relictus, uim & magnitudinem diuinæ potentiæ non ſatis aſſequitur, ſed multa, quæ DEVS facit, in claſſem contradictoriorum, quæ nominant, refert. Ita præceptorem pridem explicauit Scherzerus. Qua in explicatione non aberraſſe illum a mente Hulſemanni, iudicio eſſe poſſunt Vindiciæ Scripturæ Art. V. p. 20.

borum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem. Hoc loco Philoſophorum nomine Facultas præcipue intelligit Ariſtotelem, quo frequenter utitur beatus Thomas.

Clemens Aueníonenſis Papa quorundam ætatis ſuæ Theologorum flagitia confixit.

Clemens VII. qui Auenione ſedit, & a Gallis adeoque ab Academia Pariſienſi, legitimus habitus eſt Pontifex, male excipit nonnullos ætatis ſuæ Theologos, qui peccatum idem peccabant. Hoc ita refertur ad annum MCCCXC. in hiſtoria MS. Caroli VI. quæ in bibliotheca Thuana aſſeruatur: *Sacram Theologiam parui pendebat. Cum uir præpotens ei nepotem commendaret, quod Theologiæ Pariſius ſtuderet. Quid, inquit, fatuitatis fuit ad hoc amicum dilectum applicare; cum illi Theologi ſint phantaſtici homines reputandi.* Non omnes ſine dubio perſtringit, ſed eos tantum, qui non, ut oportet, uacabant ſacræ doctrinæ, nec ad Gregorii IX. præſcriptum Theologicas quæſtiones dirimebant.

Cardinalis Alliacus in eoſdem Theologos inuehitur.

Petrus (*) Alliacus Pariſienſis Theologus Cardinalis

(*) De hoc Nicol. de Clemangis Epiſt. II. ad Benedictum XIII. P. R. p. 10. *En habes inter uiros*

dinalis & Epiſcopus Cameracenſis eosdem Theologos ſic accipit in opuſculo nondum edito, quod *Inuectiua contra pſeudo-paſtores* inſcribitur: *Nullum eis* (Pſeudo-paſtoribus) *ſacræ ſcripturæ ſtudium, nullum diuinæ ſapientiæ colloquium, ſed tota erat eorum occupatio circa ſapientiam huius mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum: quia ſi forte de ſacris Theologicis Scripturis Pariſius aliquid murmurabant, hoc inter epulas, hoc inter pocula, hoc inter cœnas & prandia, hoc non ieiuna mente, ſed uentre ſaturo ructabant, unde eis poterat illud ironicum conuenire. Ecce inter pocula quærunt Romulidæ Saturi quia dia Poemata narrent? O uilis quæſtionum diſputationes! O inutilis argumentorum collatio! Ibi erat frequentius quæſtio uinolenta, nec deerat ſolutio uirulenta. Ibi audiebantur blaſphemiæ, damnabantur probatæ ſen-*

O 5 *ten-*

uiros egregios uirum literis eruditiſſimum, fide, prudentia, probitate, uigilantia commendatiſſimum & zelo unitatis Eccleſiaſticæ ardentiſſimum, Petrum Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, & Regis Francorum Elemoſynæ miniſtrum, uirum utique ut breuiter dicam, te tuiſque moribus digniſſimum. Cuius ipſa quoque inſignis uirtus, multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita, & quem plane alterum lumen noſtri æui dicere non dubitauerim, quicquid de ſuo nomine de corpore (forſan *decerpere*, Lydius mauult *detorquere*) *maledicta peruerſorum lingua ſtuduerit.*

tentiæ. Ibi Theologiæ quaſi ſentilogia & doctores Catholici uelut phantaſtici ſpernebantur. Ibi lex Conſtantini ultra legem Chriſti: & decreta Gratiani ſupra præcepta Domini colebantur. Sic licuit ſemper piis & doctis hominibus redarguere, quæ cum in cæteris, tum in ſua potiſſimum facultate redarguenda cognoſcerent. A quibus enim aliis id miſericordiæ & pietatis opus exſpectaretur.

Pariſienſis Cancellarius in eosdem Theologos inuehitur.

Magiſtrum ſecutus Ioannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius eosdem ſeuera reprehenſione caſtigauit, & qua ratione phantaſtici dicerentur, expoſuit ſua in Marcum lectione. Illius uerba ſunt: *Deinde cur ob aliud appellantur Theologi noſtri temporis Sophiſtæ uerboſi & phantaſtici, niſi quia relictis utilibus & intelligibilibus pro auditorum qualitate transferunt ſe ad nudam Logicam, uel Metaphyſicam, aut etiam Mathematicam, ubi & quando non oportet, nunc de intenſione formarum, nunc de diuiſione continui, nunc detegentes ſophiſmata Theologicis terminis obumbrata, nunc prioritates quaſdam in diuinis, menſuras, durationes, inſtantia, ſigna naturæ & ſimilia in medium adducentes, quæ etſi uera eſſent & ſolida, ſicut non ſunt, ad ſubuerſionem tamen magis audientium uel irriſionem, quam ad rectam fidei ædificationem ſæpe proficiunt.* Non aliam præter Ariſtotelis Logicam ſignificat uel Metaphyſicam, quæ

quæ tunc in ſcholis terebatur omnium manibus. Idem in tractatu de examinatione doctrinarum Conſideratione VI. *Porro ſi quæratur a me quis inter cæteros doctores plus uideatur idoneus? Reſpondeo ſine præiudicio, quod Dominus Bonauentura, quoniam in docendo ſolidus eſt & ſecurus, pius & iuſtus & deuotus: præterea recedit a curioſitate quantum poteſt, non immiſcens poſitiones extraneas uel doctrinas ſæculares dialecticas aut phyſicas terminis theologicis obumbratas more multorum.*

Pariſienſis Cancellarii uiam inſiſtit auditor Clamengius.

Ad Ioannem Gerſonem magiſtrum diſcipulus appropinquat Nicolaus Clamengius (*) in opere MS.

(*) Integrum Nicolai de Clamengiis librum de ſtudio Theologico, ex quo particulam hic affert Launoius, Dacherius T. VII. Spicilegii, A. 1666. editi primus publici iuris fecit. Quod etiam obſeruauit Paulus Colomeſius, cuius in Paralip. de Scriptor. Eccleſiaſt. Opp. p. 705. hæc ſunt uerba. *Clemengii Epiſtolam de inſtituendo Theologiæ ſtudio Spicilegio ſuo inſeruit Dominus Lucas Dachery, cuius fragmentum tantum adduxerat Ioh. Launoius Libro de Varia Ariſtotelis Fortuna.* Scriptus autem eſt libellus iſte ad Iohannem de Pedemontio, Theologiæ Buccalaureum, & a Dacherio

MS. quod de inſtituendo Theologiæ ſtudio compoſuit. *Quocirca miror*, inquit, *Theologos noſtri temporis paginas diuinorum teſtamentorum ita negligenter legere, & in neſcio quarum ſatis ſterilium ſubtilitatum indagine ſua ingenia conterere, utque uerbis utar Apoſtolicis, languere circa quæſtiones & pugnas uerborum, quod Sophiſtarum eſt non Theologorum. Quid autem languere circa quæſtiones & pugnas uerborum & quid ſibi illa uerba uolunt Apoſtolica? Illos certe reprehendere uolunt, qui omiſſa fertili, & fructuoſa arbore Sacrarum literarum, in ſyluaticis & ſterilibus pabulum doctrinæ requirunt, inter quos languere dicantur, id eſt, fame ac ieiunio, nullo ibi reperto fructu tabeſcere, & ſi quem forte in illis fructum inuenire contingat, ſimilis eſt pomis* (*) *Sodomorum,*

cherio *aureum* nominatur *Opuſculum.* Summam eius habes in Thom. Ittigii de Biblioth. & Cat. Patr. Tr. p. 209. ſeq.

(*) Ita quidem uulgatior fert παράδοσις, quam non recentiores modo, ſed & uetuſtiores probant, ex quibus poſt alios nominari poſſunt Iulius Africanus, & C. Iulius Solinus, quorum ille de acu Aſphaltite agens, ἔνθα, inquit, δ᾽ ἂν καρπὸς εὑρεθῇ κάπνȣ πλεὸν εὑρίσκεται θολερωτάτȣ, hic in Polyhiſtore c. XXXV. *Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum, apud quæ pomum, quod gignitur, habeat licet ſpecimen maturitatis mandi*

rum, quæ exteriori quidam ſpecie pulchra & decora uidentur, ubi uero ea manu carpis, in puluerem ac fumum ſoluuntur. Pulchra namque primo conſpectu uidentur ſophiſmata, ingenioſa, acuta, ſubtilia, ſed ſi uerborum ſoluta intricatione fructum ibi requiras, uelut fumus, euaneſcunt, quia intus inania fuerunt. Propterea ſcriptum eſt,

mandi tamen non poteſt: nam fuligine intrinſecus fauillacium ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ uel leui preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in uagum puluerem. Salmaſius, qui alioquin non raro iuſto eſt prolixior, nihil habet, quod ad rei ſiue illuſtrationem, ſiue ueritatem facere poſſet, de qua forſan ne dubitationem quidem concepit, cum tanta confidentia ubique exponatur. Sed enim eſſe hanc παράδοσιν falſam omnino, & incertam, nuper admodum nos edocuit Maundrell, teſtis αὐτόπτης, quem ſubinde laudat Hadr. Relandus. Neque negari poteſt, multa fabuloſa de iſta regione, & lacu Asphalitide tradi, quæ peculiari libro perſecutus eſt Matthæus Ferchius, Veglenſis, Liber inſcribitur de Fabulis Palæſtini ſtagni, & A. cIↃIↃcXLI. Patauii, ubi Theologum agebat, eſt editus. Forſan autem σύγχυσις nominum iſtas peperit fabulas. Obſeruat namque Relandus in Palæſt. L. I. c. XXXVIII. dari etiam eiusdem nominis lacum circa Babylonem. Quo factum, ut uni tribuerint, quod alteri tribuendum erat.

eſt, Qui ſopbiſtice loquitur, odibilis eſt. Et poſt alia: *Nunc autem pleroſque uidemus ſcholaſticos ſacrarum inconcuſſa teſtimonia ſcripturarum tam tenuis æſtimare momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam uelut inertem & minime acutam ſibilo ac ſubſannatione irrideant, quaſi ſint maioris ponderis, quæ phantaſia humanæ imaginationis adinuenit.* Eas intelligit argutias & ſubtilitates, quas pepererat recepta Ariſtotelis philoſophia, & quibus ductam e Scriptura ratiocinationem Sophiſtæ Theologi poſtponebant. (*) Sic

(*) Paſſim in ſuis Epiſtolis inuehitur in Theologos, qui, poſthabito ſacrarum literarum ſtudio, philoſophiam ſectantur. Epiſtol. LXXV. p. 225. *Vna*, inquit, *quod diuinis literis legendis, etiam illi, qui Theologi ſunt, negligentius indulgent, & curioſa quædam magis ſectantur ſtudia, quæ cupiditate oſtentationis uentoſæque inflationis animos implent.* Et Epiſt. CXIV. ad quendam, a quo nullas acceperat literas. *Profundæ mecum aiebam ille ſpeculationi inſiſtit, & aut priorum philoſophorum abdita ſcrutatur, aut altioris Metaphyſicæ ſummas intelligentias, ab humanis ſemotas ſenſibus inueſtigat, aut Mathematicæ fortaſſis acerbologiæ Theoreumata indagat paucis peruia, aut propter imminentem Petri Lombardi lectionem, Theologicorum forte ſcriptorum perplexas ſubtilitates euoluit.* Ex quibus luculenter, credo, patet, quæ-

Sic ſuerunt omni tempore, qui quam profitebantur artem, male profiterentur.

Beatus Vincentius Ferrerius idem cum Amico ſuo Clamengio docet.

Vincentius Ferrerius ab excellentiſſimis illis Theologiæ magiſtris, qui ætate ſua floruerunt, diſſentire non potuit: id teſtatur in ſermone, quem in commemoratione Sancti Pauli habuit: uerba ſunt; *Secundo dicit, prædicate Euangelium, non dicit Ouidium, uel Virgilium, uel Horatium, ſed prædicate Euangelium*, & poſt pauca: *Ideo prædicate Euangelium, quia prædicare uerba damnatorum, damnatio eſt: dicit enim Hieronymus, quod Ariſtoteles & Plato in inferno ſunt.* Hæc ille, quem Clamengius & magiſtrum uocat, & cuius laudes & miracula epiſt. CXIII. perſequitur. (*)

Nicolaus V. maiorum ſtatutis in Ariſtotele tacitus derogauit.

Nicolaus V. qui anno M CD XLVII. Romanam ſedem iniuit, Gregorii IX. & aliorum Pontificum ſtatutis hac in re nonnihil derogauit. Tantum enim abeſt, ut qui Ariſtotelis libri ex decreto

quænam *curioſa* fuerint *ſtudia*, quæ maxima Theologorum pars ea ætate ſectata eſt.

(*) Hæc Epiſtola legitur in edit. Lydiana per Nic. de Clem. p. 315. Erat autem ille Magiſter Vincentius, ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor.

decreto Gregorii prius corrigendi erant, quam legerentur, eos corrigendos ediceret, ut omnium illius philoſophi operum lectionem probauerit, & quo facilius intelligerentur, curauerit noua latinitate donari. Cardinalis Beſſarion rem ita narrat in ſua ad Alfonſum Aragoniæ Regem epiſtola, quam factæ a ſe Metaphyſicorum translationi præfixit. *Magnum*, inquit, *illum Alexandrum Macedonem, inclyte atque inuictiſſime Princeps, editionem Metaphyſicorum Ariſtotelis, quibus apprime eruditus fuerat, iniquo animo tuliſſe, memoriæ prodiderunt. Cuius rei rationem in literis, quas ad Præceptorem ſuum Ariſtotelem dedit, facile expreſſit, quod ſcilicet doctrina ac ſapientia potius, quam armis, uiribusque anteire cæteros cupiebat. Et quidem merito, cum illud hominis, hoc animalis, illud ingenii, hoc corporis ſit uirtus. Hunc tu, rex ſapientiſſime, imitatus, neque armis ſolum, ſed tot tantisque uictoriis, quibus immortalem tibi gloriam comparaſti, contentus; literis quoque modo diuinis, modo gentilibus, & his cum ad ſapientiam, tum ad eloquentiam conducentibus, non in pace ſolum, uerum etiam in medium bellorum feruore incumbis. Et ita incumbis, ut cum ſummus in armis ſis, ſummumque in re militari locum teneas, dubium ſit huiusmodi rebus ſtudentibus, quonam magis excellas, armiſne, ſcientia, potentia, an ſapientia. Cuius rei argumentum eſt, quod me, ut librum Metaphyſicorum Ariſtotelis tibi Latinum facerem, efflagitaſti, & ita efflagitaſti, ut ego tanti principis tam honeſto de-*

ſiderio

ſiderio uictus, oblitus fuerim mei ipſius, & tantam rem aggreſſus ſim, quam ueteres agreſſi Latini, quid fecerint, quoue modo in Latinum uerterint, aliorum ſit iudicium. Ita certe uerterunt, ut opus fuerit, & ſanctiſſimum ac clementiſſimum Dominum Nicolaum V. Pontificem maximum, qui omnis ſcientiæ, omnis diuinæ, humanæque ſapientiæ doctiſſimus in Apoſtolicam ſedem conſcendit, quique ut loco & dignitate, ita Philoſophia, Theologia & omni optimarum ſcientiarum genere principatum obtinet, uiros eligere utriusque linguæ peritos, qui omnes fere Ariſtotelis libros in latinam uerterent orationem, & maieſtatem tuam ante illius in Apoſtolicum tribunal aſſumtionem a nobis petere, ut hunc, de quo loquimur, librum Latinum faceremus, quem iamdiu a me perfectum, tuæ ſacræ Maieſtati, rex inclyte, dedicaui. Hunc qualiscunque erit, cum tua ſerenitas hilari uultu acceperit, non dubito, ceteris quoque ob auctoritatem & dignitatem tuam gratum acceptumque futurum. Ecce tibi Beſſarion, qui ex eo laudat Nicolaum V. Pontificem, quod omnes fere Ariſtotelis libros in Latinam traduci orationem curarit.

Grauis de Platone & Ariſtotele contentio inter Card. Beſſarionem, & Marcum Epheſinum. (*)

P Huc

(*) Intercedebat Beſſarioni hæc controuerſia cum Georgio Trapezuntio, a cuius partibus ſtabat

Huc ſpectat grauis illa de Ariſtotele & Platone contentio quæ Beſſarionem, & Marcum Epheſinum acerrime inter ſe commiſſos tenuit. Cuius rei hiſtoriam damus ex Beſſarione in libri. I. contra Calumniatorem Platonis cap. I. *Secundo libro*, inquit, *opiniones Ariſtotelis noſtræ religionis ueriſſimis, optimisque ſententiis conſentaneas eſſe conatur oſtendere, ac proinde ueriores: Platonis autem diſſentire noſtris, ideoque falſas eſſe & a ueritate prorſus alienas.* Deinde lib. II. contra eundem Calumniatorem cap. I. *Nunc quoniam aduerſarius ſecundo uolumine eum* (Ariſtotelem) *aſſerit, qui ad ueritatem Chriſtianæ religionis & ſanctæ Eccleſiæ doctrinam propius acceſſerit, longe ceteris ſapientiorem eſſe iudicandum, tum Platonem multo Ariſtotele inferiorem facit, quod ille a Doctorum noſtrorum ſententia alieniſſimus eſſet, hic uero maxime cum his conſentire uideatur. Nos huius quoque rei contrarium plane, niſi nos animus fallit, oſtendemus, & doctrinam Platonis magis, quam Ariſtotelis noſtræ religioni conſentaneam eſſe demonſtrabimus. Quod non ideo faciemus, quia Platonem aut exiſtimemus, aut uelimus oſtendere Chriſtianum eſſe: Alienus enim uterque a noſtra fide tam Plato, quam Ariſtoteles*

bat Marcus Epheſius. Georgius Ariſtotelem præferebat Platoni. Sed huic primas deberi contendebat Beſſario, Gemiſtii diſcipulus Plethonis, qui eodem de argumento cum Georgio Scholario diſceptauerat.

les fuit, & ut nomine ſic & religione gentilis uterque: propter quod fruſtra Ariſtotelem hoc loco laudat aduerſarius & inops conſilii, quo uera dicere uideatur, ad religionem refugit, ut ſolent rei capitis, quærendæ ſalutis gratia ad aſylum ſe, aramque recipere. Itaque non eſt conſilium laborare, ut Platonem Chriſtianum fuiſſe oſtendamus, quemadmodum de Ariſtotele facit aduerſarius: ſed ita hunc locum conabimur tractare, ut ſi quis ex auctoritate quoque gentilium Philoſophorum ueritatem noſtræ religionis corroborare uoluerit, Platonis plus libris, quam Ariſtotelis id effici poſſe demonſtremus. Cum autem cerneret aduerſarius, Doctores Eccleſiæ, uiros, ut uitæ ſanctimonia, ita tam noſtra, quam gentilium doctrina inſignes, Platonis magis, quam Ariſtotelis opiniones cum ſuis conciliare, & illius quidem teſtimonio omnibus fere in rebus uti, Ariſtotelis uix unquam facere mentionem. Primum eos refellere conatus eſt, & exiſtimationem, quam omnes de diuina illorum ſapientia conceperunt, animis abolere. Itaque ſuo potius, quam illorum iudicio ſtandum ſuadet. Nam quæ Doctores noſtri, inquit, afflati diuino ſpiritu ſcripſeruut, ſi ad fidem duntaxat, & mortalium ſalutem pertinent, teneri credique ab omnibus fas eſt. Reliqua uero non ita recipienda ſunt, ut a ſanctiſſimis uiris tradita fuere. Atqui ſi in iis quæ ad fidem & ueram religionem pertinent, credendum eſſe exiſtimas, o bone uir! Platonis autem uerbis ſanctiſſimi uiri utuntur ad fidei & ueræ religionis confirmationem, cur æquum non cenſes,

ſes, præberi eis fidem, dum in his Platonem longe Ariſtoteli præferendum exiſtimant? Quod ſi Doctores noſtri ſancti quidem tantummodo & Deo deditiſſent, optimarum uero artium ſtudia, uix ſummis, ut aiunt, labris deguſtaſſent, concederem tibi profecto Geometræ potius in rebus ad Geometriam pertinentibus, quam ſanctæ ſimplicitati eſſe credendum, & fidem adhibendam, quam iis, qui rudes fuiſſent atque ignari, tametſi uitæ ſanctitate inſignes haberentur. At ſi qui cum ſanctitate ad ſummum etiam doctrinæ & ſapientiæ peruenerunt, legeruntque Platonis atque Ariſtotelis libros, & utriusque Philoſophi opiniones ſunt diligentiſſime perſcrutati, quales fuerunt apud Græcos Baſilius, Gregorius, Cyrillus, Gregorius alter; apud Latinos uero Auguſtinus, Boëtius, & alii complures ſapientiſſimi uiri, & Philoſophiæ ſtudiis illuſtres, & tamen cum de uera religione diſſeruerunt, gentilium Philoſophorum auctoritatibus libenter innixi ſunt, quo pacto exiſtimas te unum, ſpretis auctoribus illis ſequi oportere? Sed nos & quicunque mentis compotes ſunt, te dimiſſo Doctores noſtros ſanctiſſimos & ſapientiſſimos uiros ſequemur, eorumque ſententia rem a nobis propoſitam oſtendemus. In hac autem contentione Beſſarion adſtipulatores habet antiquos Eccleſiæ Patres, quorum teſtimonia retulimus cap. II. Marcus uero Epheſinus recentiores Academias, quæ ſuis in ſcholis Platoni Ariſtotelem prætulerunt. Sed Beſſarion, cum Ariſtotelis Metaphyſicam in Latinum ſermonem uertit, id ſine dubio fecit, quod primas ſecun-

dæ

dæ & tertiæ librorum Ariſtotelis fortunæ uix conueniret.

CAPVT XI.

Quinta Ariſtotelis fortuna recenſetur atque explicatur. In qua Cardinalis Totauillæus memoratis in ſuperiori fortuna libris moralem philoſophiam adiecit, ſed commentarios de phyſico auditu prætermiſit.

ANnus agebatur milleſimus quadringenteſimus quinquageſimus ſecundus, cum Caroli VII. Regis auctoritate factum, ut Guillelmus Cardinalis Totauillæus Academiam Pariſienſem inſtauraret. Quo in opere præcedentium inſtauratorum ſtatuta modo confirmauit, modo noua quædam adiunxit. Sed quæ noſtrum ſpectant negotium, ſic ſe habent in Reformatione Facultatis Artium: *Item ſequens approbamus ſtatutum, quod ſcholares priuſquam admittantur ad determinandum, audiant ueterem artem totam, librum Topicorum potiſſime, quoad quatuor libros; & libros Elenchorum, Priorum & Poſteriorum complete, etiam librum de anima in toto uel in parte.* Et poſt alia: *Item illud ſtatutum innouamus, quod nullus admittatur ad licentiam in dicta Facultate, nec in examine Beatæ Mariæ, nec in Examine Beatæ Genouefæ, niſi ultra prædictos libros audierit Pariſius, uel in alio ſtudio generali librum phyſi-*

phyſicorum de generatione, & corruptione, de Cælo & mundo, parua naturalia, uidelicet libros de ſenſu & ſenſato, de ſomno & uigilia, de memoria & reminiſcentia, de longitudine & breuitate uitæ, librum Metaphyſicæ, uel quod actu audiat eundem, & quod aliquos libros Mathematicales audiuerit, quodque audiuerit libros morales, ſpecialiter librum Ethicorum, quantum ad maiorem partem. Ad hoc autem ſtatutum, quod perneceſſarium eſt, adiicimus præcipientes, ut prædicti libri audiantur, non curſim & tranſcurrendo, ſed ſtudioſe & grauiter. Specialius autem monemus magiſtros, ut non permittant ſuos ſcholares & Baccalarios ad Tentamen exhiberi, niſi ſciuerint ipſos ſufficienter in prædictis eſſe inſtructos. Specialius autem mandamus, quatenus ipſi ſcholares diligentius inſiſtant Metaphyſicalibus libris & Moralibus addiſcendis, alioquin in Tentamine uolumus & mandamus illos, ut merentur, repelli. Hæc ille literarum in Academia iam ſeneſcentium ac diſſipatarum reductor & reformator. Aliud eſt igitur, in quo hæc fortuna cum ſuperiori conuenit, aliud, in quo differt. Conuenit quidem quia eadem Ariſtotelis opera legenda uel audienda præſcribuntur, & inter ea, octo phyſicorum libri non comparent: differt uero, quia præcipitur maxime, ut Ariſtotelis Ethica legantur uel audiantur. Quod præcepti genus in Metaphyſicales etiam libros cadit.

CAP.

CAPVT XII.

Nonnulla in hanc quintam Ariſtotelis fortunam & eius decurſum animaduertuntur.

Totauillæus a Gregorii IX. decreto non recedit, ſed a Prouinciali Concilio nonnihil uidetur recedere.

HIc Vniuerſitatis inſtaurator Ioannis & Ægidii Cardinalium uiam inſtitit, & a Gregorio Pontifice non receſſit. Is enim uetuerat, ne quis ante naturalis Philoſophiæ libros in Academia legeret, quam ab erroribus expurgarentur. Eos itaque Totauillæus legendos uel audiendos minime propoſuit, quod Pontificis decreto nondum eſſet, opinor, factum ſatis. Ad Prouinciale Concilium quod attinet, ſi Metaphyſicæ nomine apud Rigordum Phyſicam & Metaphyſicam comprehendit, legi, qua Metaphyſicæ prohibita eſt lectio, Totaulllæus derogauit: nam ſtatuit, ut Facultatis artium candidati Metaphyſicorum libris operam ac ſtudium diligentiſſime nauarent. Si uero Concilium Metaphyſicæ nomine Phyſicam tantum intelligit, non derogauit.

Totauillæus ex omnibus Academiæ inſtauratoribus primus eſt, qui ut Ariſtotelis Ethica legerentur, conſtituit. Publica unius Ethicorum Lectoris profeſſio ſuppreſſa.

Quos de morali diſciplina libros Ariſtoteles

 edidit,

edidit, prius in Academia legebantur, & a Ioanne Buridano, aliiſque illuſtrati fuerant commentariis, quam Totauillæus illam reformaret. Ille tamen primus exſtitit, qui ut legerentur, publica auctoritate edixit. Procul dubio ſunt quædam iis in commentariis, quæ Chriſtiano dogmati non conſentiunt. Sed cum ſanis ſana ſunt omnia, id mali genus neque Academia, neque Cardinalis reformidauit. Tunc temporis Ethica non docebant ſinguli Philoſophiæ profeſſores, ſed unus tantum, quem unoquoque biennio ſua quælibet Natio uice & ordine legebat. Hæc autem docendi forma optimis de cauſis abrogata eſt. Rem ita narrat Robertus Gouletus ParifienſisTheologus in libello, quem de Academiæ magnificentia iuris publici fecit anno MDXVII. *Fuit retroactis temporibus generalis & publicus Ethicorum lector ſuper examinandos in utroque examine licentiandos, ſtipendia non modica recipiens, qui circa feſtum Purificationis per Artium Facultatem de aliqua prædictarum Nationum per uices eligebatur, & ſuas lectiones per duos annos continuabat. Sed propter inſolentias, perpetrataque in huiuſmodi electione homicidia, ceſſauit talis lectio, & nouo condito ſtatuto, quilibet artium Regens ſpecialem ſuis ſcholaſticis facit Ethicorum lectionem, a quibus in fine curſus moderata pro labore ſuo recipit ſtipendia.*

Raphael Volaterranus conqueritur Ariſtotelis obſcuritatem in Theologorum commentarios deriuatam eſſe.

Vola-

Volaterranus libro XXXVII. Vrbanorum commentariorum de Dialectica diſputans, cum alia multa in Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſoribus reprehendit, tum illud maxime, quod Ariſtotelis obſcuritatem in Theologiam induxerant. *Zeno*, inquit, *Eleates primus hanc Philoſophiæ partem ad uerborum contentionem deduxit, ne dicam, inquinauit. Cum plane ex Epicuri ſententia res naturæ Dialectica non habeant, multoque minus Theologia, ut ait Hieronymus, ambitionis commenta ſunt omnia, ut ſcientia difficilior cognitu putaretur: Satisque conſtat, ipſum quandoque Ariſtotelem gloriatum apud Alexandrum fuiſſe, Phyſicam abs ſe editam neminem eſſe ſatis intellecturum. Neoterici uero multo ambitioſius hanc inuolucris & ænigmatis poſtea diſtorſerunt, ut iam Sphinge opus ſit ad artem Raymundi. Is enim uir Gallicus ſublimi doctrina ſub Ioanne XXII. alia quoque obſcuriora reliquit, quæ in ſanctuariis Pariſiorum adſeruari ferunt. Sed & hæc contagio noſtros iam dudum affecit religioſos, & in eorum conciliabulis & diſputationibus is maxime prouehitur, qui ceteris clamoſior & arrogantior uidetur tum maxime ſapere, ſi portentoſis nominibus e cœno commentariorum depromtis, quam minime ab aliis intelligatur. Neque ars uituperanda, quæ ſicuti ſobrie percepta ingenium acuere, ſic peruertere poterit ſi multum hæc temporis, ac de uerbis magis, quam de rebus, deque uictoria magis, quam de ueritate ſollicitum teneat. In hac igitur temporis breuitate utilia tantum, &*

quæ ad uitæ faciant frugem, ediſcenda. Quibus uerbis quid poteſt eſſe prudentius?

De Ariſtotele Theologicis nimium immixto grauium atque eruditorum hominum Ioannis Trithemii, Hieronymi Hangeſti, Ioannis Maioris, Iodoci Clicthouei, Facultatis Theologiæ, Facultatis artium, & Alberti Pighii querela.

Vt in ſuperioris, ita & in huius fortunæ decurſu graues & eruditi uiri non diſſimularunt fuiſſe, qui Theologiæ quæſtiones ad relatam Gregorii Papæ IX. legem non expenderint, & Ariſtotelicis ſophiſmatibus infuſcarint.

Ioannes Trithemius refertur & in bonam partem explicatur.

Hic auctor, quem conuenienter retuli cap. III. huc quoque percommode referri poteſt; ſed etiam, quia illius teſtimonium temperamento quodam mihi uidetur indigere. Quod igitur temperamentum non habuit tunc; modo ſic accipiet. Cum Trithemius dicit, a temporibus Abælardi *Sacularem*, id eſt, Ariſtotelicam *Philoſophiam cœpiſſe ſacram Theologiam inutili ſua curioſitate fædare*, non omnes omnino Theologiæ Profeſſores attingit. Certe non attingit illos, qui theologicas quæſtiones eo definiunt modo, quem Gregorius IX. digna Chriſtiano Pontifice ſapientia præſtituit; ſed attingit alios, qui Gregorio in tractandis ſacræ doctrinæ theorematibus non obtemperant.

Hiero-

Hieronymus Hangeſtus refertur & explicatur.

Hic Pariſienſis Theologus in libro, quem de Academiis aduerſus Lutherum edidit, hinc Theologos, qui id fecerant, redarguit, inde redarguendam non eſſe Theologiam contendit. Verba ſunt e cap. II. *Ob nonnullos Profeſſores nequaquam declamanda eſt Scholaſtica Theologia in ſophiſinata paulatim delapſa: ſiccine apud huiusmodi uanos reſidet uniuerſa Scholæ auctoritas? Reuera minime. Ac potius exploduntur illi, ac riſu habentur.* Quo factum eſt, ut tunc ſcholaſtica Theologia aliter atque aliter definiretur. Lutherus apud eundem Hangeſtum laudato cap. eam Theologiam ita definit: *Scholaſtica Theologia eſt ea, quæ a Pariſienſium Sorbona mixtione quadam, ex diuinis eloquiis & Philoſophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis diſciplina conflata eſt.* Hanc definitionem Hangeſtus uti falſam refellit, & ea, quæ ante citauimus, ſubnectit. Tum cap. III. Scholaſticam Theologiam hoc modo definit: *Scholaſtica Theologia eſt Scripturarum diuinarum peritia, recepto, quem Eccleſia approbat, ſenſu, non ſpretis orthodoxorum doctorum interpretationibus, & cenſuris, ac interdum aliarum diſciplinarum non contempto ſuffragio.*

Ioannes Maior refertur & explicatur.

Hic Pariſienſis Theologus Hangeſto æqualis lib. I. Sent. quæſt. IV. prologi, eum nominat Theologum,

ologum, *qui multos paſſus Scripturæ intelligit, & unum paſſum ſcit exponere per alium & facere omnia quadrare, & ſic patet*, inquit, *quod unus Theologus eſt melior, quam alter, qui plura Theologalia nouit, & ſolidior arbiter eſt, ad lites in ea dirimendas.* Hæc eſt egregia Theologi definitio.

Deinde in II. Sent. diſtinct. XXX. quæſt. IV. editionis tam anni MDX. quam anni MDXIX. *De Doctoribus*, inquit, *pudet loqui. Multi enim eorum magis ſunt doctrinæ, uel dictis potius ſuorum doctorum addicti, quam famatiſſimis ſanctis patribus pariter ac eruditisſimis; dummodo manu teneant ſuos, non eſt eis curæ quid ſenſerit Ariſtoteles in naturalibus, uel Auguſtinus in ſacris eloquiis.*

Tum in Epiſtola ad Natalem Bedam, & Petrum Tempeſtam Pariſienſes Theologos, quæ commentario in lib. II. Sent. editionis anni MDXXVIII. præfigitur. *Duobus ferme ſeculis iam tranſactis Theologiam tractantes quæſtiones mere phyſicas & metaphyſicas, & nonnunquam Mathematicas ſuis ſcriptis ingerere haud ſunt ueriti, quorum ueſtigiis tametſi inuitus, illorum tamen exemplo innixus, ſimilia in diſputationibus noſtris pertractare non erubui. Verum abhinc decem plus minusue annis magna peſtilentium hæreticorum cohors cortice ſacrorum uulgata, quanquam abominabilia deliria inuexit, hoc tamen boni ſuos inter errores intulit, ut ſacris literis, & illarum illuſtrationi Theologiæ Profeſſores ſinceri-*

us

us inſudarent, & aliena ſtudia reiicerent. Pauci ſunt, qui hoc faterentur.

Iacobus Almainus refertur.

Æqualis utrique Hangeſto & Maiori Iacobus Almainus Pariſienſis quoque Theologus, quod olim Gerſon damnauerat, non obſcure damnat in quart. Sent. diſt. XVI. quæſt. II. *Vtrum remiſſio culpæ præcedat infuſionem gratiæ, ſiue ſit una mutatio. In illa quæſtione magna eſt inter doctores altercatio. Sed parua difficultas & utilitas.* Enimuero utilitas non eſſet parua, ſi hæc quæſtio quoad diſputandi formam e ſchola Chriſti, non Ariſtotelis prodiret.

Iodocus Clicthoueus refertur.

His quoque æqualis Iodocus Clicthoueus flagitium iſtud exagitat in ſermone de Beato Thoma Aquinate: *Non parum dolemus miſeram noſtræ tempeſtatis ſortem, qua tam fertilis & fæcunda doctrinæ ſeges paſſim negligitur & pro nihilo ducitur. Anfractuoſa uero dogmata, captiunculas, fallacias, paralogiſmos ubertim eructantia habentur in pretio, diurna pariter & nocturna uerſantur manu. Siccine, præſtantiſſimi patres, abſtruſa diuinarum literarum ſenſa reclusum iri putandum eſt, cum ſophiſmatis, tendiculis, & argutiolis nil niſi futile quiddam & inane molientibus, alios ut pedicis irretire, implicare, illaqueare contenditur? Huiuſmodi plane multiplices hydras, & implexos inſtar Gordiani nodi laqueos in rebus potiſſimum diuinis pertractandis ſacra*

quoque

quoque Scriptura deteſtatur, inquiens, qui ſophiſtice loquitur odibilis eſt. Atqui cum cauillationibus, captionibus & importunis id genus calumniis S. Thomæ cæterorumque probatorum auctorum doctrina poſthabetur, aliud ſane meo iudicio nihil efficitur, quam quod limpidiſſimus defæcatur fons aquam uiuam ſcaturiens, ut ex turbulento riuo lutoſa hauriretur aqua. Hæc ille qui primus e Pariſienſibus Theologis aduerſus Lutheranos calamum ſtrinxit, quique poſtea reliquum uitæ ſuæ tempus confutandis illorum erroribus transmittendum putauit.

Facultas Theologiæ damnauit Lutheri propoſitiones duas, quæ ad Ariſtotelem nonnihil pertinent.

Cum annus Chriſti agebatur milleſimus quingenteſimus uiceſimus primus, Facultas Theologiæ plures Martini Lutheri propoſitiones damnauit. In iis ſunt duæ, quæ ad Ariſtotelem nonnihil pertinent.

Prior eſt hæc: *Philoſophia Ariſtotelis de uirtute morali, de obiecto, de actu elicito talis eſt, quæ nec in populo doceri poſſit, nec ad Scripturæ intelligentiam utilis, quia continet duntaxat portenta uerborum, non niſi ad contentiones uerborum conficta. Hæc propoſitio quantum ad omnes ſuas partes loquendo de Philoſophia Ariſtotelis, in his maxime in quibus a fide non diſcedit, eſt falſa, & tanquam ab inimico ſcientiæ arroganter & inſipienter aſſerta.*

Poſte-

Poſterior: *Theologi Scholaſtici Ariſtotelis moralia prorſus conuenire mentiti ſunt, cum Chriſti Paulique doctrina. Has propoſitiones impudenter & falſo Scholaſticis imponit ſcriptor, quod non eſt uerum: Quanquam ſatis exploratum ſit, in multis moralia Ariſtotelis cum Chriſti Paulique doctrina conſentire.*

Facultas aſſerit quidem doctrinam Ariſtotelis: ſed ſi quis qua ratione aſſerat, & quid aſſerendo excipiat, conſideret, Facultatem ab antiquis Patribus, qui Atiſtotelem tantopere oderunt, non plane diſſentire iudicabit.

Pariſiis a Senatu, & Facultate Artium accuſantur quidam Theologi, quod Profesſioni ſuæ non uacent, uti par eſt.

Hic uiſum eſt pretium curiæ grauiſſimam ea de re querelam referre, quæ ſic exſtat, in Academiæ commentariis nuper in lucem editis. *Anno Domini M D XXX. menſe Auguſto. Prætermitto a digniſſimo Domino primo præſide Senatus Pariſienſis ex unaquaque Facultate deputatos conuocatos fuiſſe, ut prudentibus fidisque conſiliis toti Academiæ proſpiceret, in qua tranquilliſſime bonarum literarum ſtudia, nonnullis tamen tumultibus agitata floreſcerent. Nam dum neſcio, quo fatali tumultu ſurſum deorſumque omnia illius iudicio miſcerentur, ſiue Chriſtianæ religionis ſtatum inſpiceret, ſiue rerum publicarum conditionem reputaret, ſiue ſtudiorum ac ſacrarum literarum rationem intueretur, nonnullas obuerſantes nugas*

nugas ſumma fide, mira diligentia, parique dexteritate ex Regis decreto reformare ſtatuit. Qua ex re dum a nonnullis Theologis peterentur reformationes Facultatis Artium, ita & certe ſcripto obtulerunt deputati Facultatis Artium eidem Domino primo Præſidi, noſtram banc Academiam Pariſienſem ſummo ludibrio hactenus exteris nationibus fuiſſe non aliam ob cauſam, quam quod omiſſis Euangeliis, & ſanctis Eccleſiæ Doctoribus, Cypriano, Chryſoſtomo, Hieronymo, Auguſtino & ſimilibus, ſophiſticen neſcio quam ac Dialecticen, in qua non placuit Deo ſaluare ſuum populum, noſtrates tamen Theologi profiterentur, contra id, quod habetur in cap. c. Nonne & pene per totam XXXVII. diſtinct. Itaque petierunt Deputati Facultatis Artium, ut præteritis emendatis dum nimia ſocordia uniuerſum linguarum iudicium neglexiſſent, nullus in futurum ad hunc gradum Facultatis Theologiæ admitteretur niſi omnibus his doctrinæ generibus affatim inſtructus eſſet, iuxta Clem. I. de mag. & in cap. ut ueterum.

Albertus Pighius refertur, & nonnihil emollitur.

Hic auctor, qui tunc in Germania cum ſectariis pugnabat fortiter, eandem ueræ Theologiæ calamitatem conqueritur. In libri V. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ capite. I. Marſilium Patauinum hominem Ariſtotelicum magis, quam Chriſtianum appellat, quod Ariſtotelis auctoritatem & rationes adhibet. Verba ſunt: *Scripſit is ante*

te annos ducentos ad Ludouicum Bauarum temporibus Ioannis XXII. a quo ille excommunicatus fuerat. Et paullo poſt: *Fuit homo Ariſtotelicus magis, quam Chriſtianus, atque ex illius nugis, quam ex Chriſti inſtitutis nouam Eccleſiæ Hierarchiæ formam conatus effingere.* Et poſt alia: *Deinde, quia nec ab initio ingenue & ſimpliciter proponit id, quod conatur demonſtrare, ſed plane diſſimulat, ſenſim ad hoc ueniens, & alias quasdam ſententiolas ſubdole adſtruens ratiunculis quibusdam Dialecticis & Ariſtotelicis. Quæ prima fronte nihil in ſe continere uidentur, quod magnopere animaduertendum ſit, quapropter nec lectorem alio properantem detinent, aut ad ſui diſcuſſionem exactiorem inuitant. At cum ad cauſam uentum eſt, eisdem ſententiolis, uelut ante certo demonſtratis, tanquam primis & indubitatis principiis utitur. Sic fallit lectorem incautum, & fouet impium.* Quo fit, ut Pighius Marſilium Pſeudo Theologum ſemel atque iterum uocet.

Sanctus Thomas, Facultas Theologiæ Pariſienſis, Hieronymus Hangeſtus, & Ioannes Maior, certum præſcribunt modum, quo habita de ſcholaſticis querela ſatisfieri poſſit.

Rem hanc, quæ momenti uidetur grauiſſimi ac difficillimi, ſic breuiter expeditum imus.

Beatus Thomas in prima part. quæſt. I. art. VII. ad ſecundum de Theologia ſcribit: *Sacra doctrina utitur auctoritatibus canonicæ ſcripturæ*

proprie ex neceſſitate argumentando, auctoritatibus uero aliorum doctorum Eccleſiæ, quaſi argumentando ex propriis, ſed probabiliter. Innititur enim fides noſtra reuelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt, non autem reuelationi, ſi quæ fuit aliis Doctoribus facta. Sic Theologiam definit.

Facultas ſupra in cap. X. cum B. Thomæ libros expendit, perſcrutatur & de iis uniuerſim cenſet, pauca quidem tradit, ſed inſtituto noſtro opportuniſſima, nec a relata Theologiæ definitione aliena. Sunt autem eiusmodi: *Eius* (S. Thomæ) *doctrina in multis innititur auctoritatibus & rationibus Philoſophorum & præcipue Peripateticorum.* Et poſt alia: *Nec apparet iſtud mirabile, ſi ſanctus Thomas in hac doctrina errauit, quia ut dicunt, non loquitur ibi Theologice, & nullam Sacræ ſcripturæ, aut Sanctorum auctoritatem inducit, ſed ſolum Philoſophice, & ſecundum rationes naturales.*

Hieronymus Hangeſtus ante laudatus, poſtquam abiecit Theologiæ Scholaſticæ definitionem, quam Lutherus in illius odium fabricauerat, legitimam definitionem propoſuit: *Scholaſtica, inquit, Theologia eſt diuinarum Scripturarum peritia, recepto, quem Eccleſia approbat, ſenſu, non ſpretis orthodoxorum Doctorum interpretationibus & cenſuris, & interdum aliarum diſciplinarum non contempto ſuffragio.*

Ioannes Maior etiam ante laudatus Theologum definit: *Qui multos paſſus Scripturæ ſacræ intelligit,*

ligit, & unum paſſum ſcit exponere per alium, & facit omnia quadrare. Qui Theologum definit, Theologiam definire cenſetur. Theologiæ ſcholaſticæ definitiones hæ omnes ad eundem ſpectant ſcopum, & ſerram pene eandem reciprocant. Ex iis autem modus præſtituitur, quo multorum expoſtulationi iuſte ſatisfiat. Igitur ſumat quis in manus ſcholaſticos doctores quoſcunque, legat & perlegat, & cum inciderit in quæſtiones, articulos, membra, capita, partes, ſectiones uel alios ſimiles titulos, quibus allatæ definitiones Theologiæ conuenient, tunc ſtudioſe amplectatur, & auctorem ea in re uerum eſſe de Schola Theologum ingenue pronunciet. Sed cum incurrerit (quod non raro fiet) in quæſtiones, articulos, membra, capita, partes, ſectiones, uel alios ſimiles titulos, quibus allatæ definitiones Theologiæ non conuenient, procul amandet, & auctorem ea in re falſi atque ementiti nominis eſſe Theologum intrepide dicat, & nunc negari immerito non poterit, quin auctor ille ſcholæ quiſquis fuerit, dogmata theologica tractauerit ad normam definitionis, quam Lutherus compoſuit: dicenda profecto ſunt cum ueritate, quæ ueritas ipſa geſſit. Quidquid id eſt, breuibus enunciabitur, ſi quis cum Facultate Theologiæ ſic dicat: Hic uel ille auctor ſeu Theologus in hoc uel illo argumenti genere, quod tractat non loquitur Theologice ſed Philoſophice, repellendus ergo eſt, quia Theologum non agit, ſed Philoſophum. Et ſane qui dogma ue-

re Theologicum Philoſophicis, non Theologicis rationibus probat, id prodere citius, quam probare mihi uidetur.

Sed audio, qui reponant, non omnes quæſtiones, in quibus ſoluendis deſudant Scholaſtici, tractari poſſe, quemadmodum tractandas eſſe allatæ definitiones Theologiæ præſcribunt. Quid aliud inde quæſo ſequitur, niſi quod quæſtiones huiusmodi a Theologo tractandæ non ſint; ſed Philoſopho relinquendæ, ſi tamen relinqui debeant, & non potius abiici & obliterari. Reſponſio hæc non eſt mea, ſed Gregorii IX. cuius in cap. VI. uerba retulimus. *Magiſtri*, inquit, *& ſcholares Theologiæ in Facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum aſotica confundentes, ſed de illis TANTVM in ſcholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros Theologicos & ſanctorum Patrum tractatus ualeant terminari.* Per libros Theologicos Scripturas ſacras maxime intelligit, ſiue quia illos ſanctorum Patrum tractatibus præponit, ſiue quia Scripturæ Sacræ uere dici poſſunt libri Theologici, ſiue quia Pontifex iubet, ut Theodidacti fiant ii, qui Theologiæ incumbunt, ſiue demum, quia Pontifex in recenſione librorum quibus uti debent Theologi Scripturæ ſacræ non eſſet oblitus: & nemo dicet hoc, niſi qui uoluerit illum iniuria graui afficere.

CAP.

CAPVT XIII.

Sexta Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua Ramus & Ariſtoteles in arenam deſcendunt, hic cum laude uincit, ille ſine difficultate uincitur: dimicantibus cum Ariſtotele Franciſco I. & nonnullis Profeſſoribus.

VT nihil eſt in rebus humanis firmum ac ſtabile, ab omnibus, quæ ante recenſui, ſtatutis paulatim receſſum eſt, doctrinaque Ariſtotelis uniuerſa Pariſienſes ſcholas occupauit. Idque impune. Nam ſine ullo diſcrimine & anathematis metu lecti ſunt libri omnes, ſiue qui Dialecticam, ſiue qui Phyſicam & Metaphyſicam docerent. Quamobrem Franciſco I. Rege grauiſſimos in Academia Patronos, adeo non oppugnatores, habuerunt. Ex quo enim Petrus Ramus Dialecticas inſtitutiones & Ariſtotelicas animaduerſiones edidit, tunc in eadem Academia de retinendis Ariſtotelis operibus & doctrina, quæ ab Ramo explodebatur, actum eſt. Quæ res in quodam Rectorum Pariſienſis Academiæ Librario ſic narratur. *Eo Rectore* (Guillelmo Montuello) *neſcitur, quo genio malo irrumpente in Academiam ingens facta eſt omnium ſtudiorum, derepente perturbatio, edito recens libello, cui titulus erat, animaduerſiones Ariſtotelicæ, compoſito ad extinguendam in totum doctrinam unius Ariſtotelis omnium Philoſophorum facile principis.*

Cui ſane morbo non leuiter graſſanti, & mentibus ad quiduis, quod ſit nouum & inauditum facile ſequacium paulatim ſeſe inſinuanti, mature & conſulto eſt occurſum partim decreto iudicum, qui prudenter librum illum ſtatim ſuppreſſerunt, & ne diuideretur publice, inhibuerunt, partim editis breui aliquot libris pro Ariſtotele, quibus auctoris libelli iſtius calumniarum & mendaciorum pleni interclusæ ſunt furiæ. Poſtremo tandem Chriſtianiſſimi Regis conſilio cum ſuperiora omnia uiderentur eſſe ſatis ad tantum ignem, qui quotidie magis ac magis flagrabat, reſtinguendum, delecti ſunt tres in omni linguarum & literarum genere exercitatiſſimi, qui cum libellum illum & alterum eiuſdem auctoris propius penitiusque inſpexiſſent, & libellorum auctorem iuxta Regis decretum, præſentem pro ſe dicentem præſentes ipſi audiuiſſent, ex æquo & bono iudicantes, magnam incluſam eſſe libellis prudentiam & ignorantiam Regi declararunt, qui pro ſua in ſuam Academiam ſolita beneuolentia confectis Regio ſigillo notatis literis, omnibus regni partibus fugiendam hanc peſtem ſignificandum cenſuit. Harum autem literarum, quæ actis publicis incluſæ ſunt, data eſt, donné à Paris le X. Mars. MDXLIII. & de noſtre regne le XXX. Quarum tenor ſequitur ad uerbum. François par la grace de Dieu Roy de France: A tous ceux qui ces preſentes lettres uerront, Salut. Comme entre les autres grandes ſolicitudes, que nous auons touiours euës, de bien ordonner & eſtablir la choſe

ſe publique de noſtre Royaume, nous auons mis toute la peine, que poſſible nous a eſté, de l' accroiſtre & enrichir de toutes bonnes lettres & ſciences, à l' honneur & gloire de noſtre Seigneur, & au ſalut des Fideles, puis n' agueres aduertis du trouble aduenu à noſtre chere & aimée l' Vniuerſité de Paris; à cauſe de deux Liures faits par Maiſtre Pierre Ramus, intitulez l' un Dialecticæ Inſtitutiones, & l' autre Ariſtotelicæ animaduerſiones, & des procez & differents, qui eſtoient pendans en noſtre Cour de Parlement audit lieu, entre elle & ledit Ramus, pour raiſon deſdits Liures, nous les euſſions éuoquez à nous, pour ſommairement & promptement y pouruoir, & à cette fin euſſions ordonné, que Maiſtre Antoine de Gouea qui s' eſtoit preſenté à impugner & debattre leſdits Liures, & ledit Ramus qui les ſuſtenoit & defendoit, éliroient & nommeroient de chacun coſté, deux bons & notables perſonnages, connoiſſans les Langues Grecques & Latines, & experimentez en Philoſophie, & que nous élirions & nommerions un cinquiéme, pour uiſiter leſdits Liures, ouïr leſdits de Gouea, & Ramus en leurs aduis: ſuiuant laquelle noſtre Ordonnance euſt ledit Gouea éleu & nommé Maiſtres Pierre Danés, & François à Vicomercato, & ledit Ramus Maiſtre Iean Quentin Docteur en Decret, & Iean de Beaumont Docteur en Medicine; & nous pour le cinquiéme, euſſions nommé & ordonné noſtre cher & bien aimé Maiſtre Iean de Salignac Docteur en Theologie: pardeuant les-quels leſdits de Gouea, & Ramus

mus euſſent eſté ouys en leurs diſputes & debats, iuſques à ce que pour interrompre l'affaire, iceluy Ramus ſe ſeroit porté pour appellant deſdits Cenſeurs, dont nous aduertis euſſions decerne nos Lettres a noſtre Preuoſt de Paris, ou à ſon Lieutenant, pour contraindre leſdits de Gouea & Ramus à parfaire leurs diſputes, a fin que par leſdits Cenſeurs nous fuſt donné ledit aduis, non obſtant ledit appel, & autres appellations quelconques, ſuiuant lesquelles nos Lettres, euſſent leſdits de Gouea & Ramus derechef comparu pardeuant leſdits Cenſeurs, & uoyant que par iceluy Ramus leſdits Liures ne ſe pourroient ſouſtenir, euſt declaré n'en uouloir plus diſputer, & qu'il les ſoûmettoit à la cenſure des deſſuſdits; & comme on y uouloit proceder, leſdits de Quentin & Beaumont, l'un aprés l'autre, euſſent declaré ne s'en uouloir plus entremettre. Au moyen dequoy euſt iceluy Ramus eſté ſommé & requis d'en élire & nommer deux autres. Ce qu'il n'euſt uoulu faire, & ſe fuſt du tout ſoûmis aux trois autres deſſus nommez, leſquels aprés auoir le tout ueu & conſideré, euſſent eſté d'aduis, que ledit Ramus auoit eſté temeraire, arrogant & impudent, d'auoir reprouué & condamné le train & art de Logique, receu de toutes les Nations, que luy meſme ignoroit, & que parce qu'en ſon Liure des Animaduerſions il reprenoit Ariſtote, eſtoit éuidemment connue & manifeſte ſon ignorance: Voire qu'il auoit mauuaiſe uolonté, de tant qu'il blaſmoit pluſieurs choſes qui ſont bonnes & ueritables, & mettoit

toit ſus à Ariſtote pluſieurs choſes, à quoy il ne penſa oncques. Et en ſomme ne contenoit ſondit Liure des Animaduerſions que tous menſonges, & une maniere de medire, tellement qu'il ſembloit eſtre le grand bien & profit des Lettres & ſciences, que ledit Liure fuſt du tout ſupprimé: Semblablement l'autre deſſuſdit intitulé: Dialecticæ inſtitutiones, comme contenant auſſi pluſieurs choſes fauſſes & eſtranges: Sçauoir faiſons, que ueu par nous ledit aduis, & eu ſur ce autres aduis & deliberations, auec pluſieurs ſçauans & notables perſonnages eſtans lés nous, auons condamné, ſupprimé & aboly, condamnons, ſupprimons & aboliſſons leſdits deux Liures, l'un Inſtitutiones Dialecticæ, l'autre Ariſtotelicæ Animaduerſiones, & auons fait & faiſons inhibitions & defenſes à tous Imprimeurs & Libraires de noſtre Royaume, Pays, Terres & Seigneuries, & à tous autres nos Suiets, de quelque eſtat ou condition qu'ils ſoient, qu'ils n'ayent plus à imprimer, ou faire imprimer leſdits Liures, ne publier, uendre, ne debiter en noſdits Royaume, Pays, Terres & Seigneuries, ſous peine de confiſcation deſdits Liures, & de punition corporelle, ſoit qu'ils ſoient imprimez en iceux nos Royaume, Pays, Terres & Seigneuries, ou autres lieux non eſtans de noſtre obeïſſance: Et Semblablement audit Ramus, de ne plus lire leſdits Liures, ne les faire écrire ou copier, publier, ne ſemer en aucune maniere, ne lire en Dialectique ne Philoſophie, en quelque maniere que ce ſoit, ſans noſtre expreſſe

permiſſion: Auſſi de ne plus uſer de telles médiſances & inuectiues contre Ariſtote, ne autres anciens Autheurs, receus & approuuez, ne contre noſtredite fille l' Vniuerſité & ſuppoſts d' icelle, ſous les peines que deſſus. Si donnons en mandement, & commettons par ces preſentes, à noſtre Preuoſt de Paris, ou à ſon Lieutenant, Conſeruateur des Priuileges, par nous & nos Predeceſſeurs Rois donnez & octroyez à noſtredite fille l' Vniuerſité, que noſtre preſent iugement & Ordonnance il mette, ou faſſe mettre à deuë & entiere execution, ſelon ſa forme & teneur, & à ce faire ſouffrir & obëir, contraigne & faſſe contraindre tous ceüx qu'il appartiendra, & pour ce feront contraindre par toutes uoyes & manieres deuës & raiſonables, non obſtant oppoſitions & appellations quelconques, pour leſquelles ne uoulons eſtre differé. Et pour ce qu'il eſt beſoin de faire notifier noſdites defenſes en pluſieurs lieux de noſtre Royaume, Terres & Seigneuries, a fin de les faire obſeruer; nous uoulons qu'au uidimus d' icelles, fait ſous ſeel Royal, ou ſigné par collation par l' un de nos amez & feaux Notaires & Secretaires, ſoit adiouſtée foy comme au preſent Original. Mandons en outre à tous nos autres Iuſticiers & Officiers, & à chacun d' eux, ſi comme il luy appartiendra, que noſdites defenſes & inionctions ils faſſent obſeruer, en procedant par eux contre les infracteurs d' icelles, ſi aucuns en y a, par les peines cy-deſſus indites, & autres qu'ils uerront eſtre à faire par raiſon. En temoin de ce nous

auons

auons fait mettre noſtre ſeel à ceſdites preſentes. Donné à Paris le X. iour de May l' an de grace M D XLIII. & de noſtre regne le trentiéme. In hac autem regia conſtitutione ſingillatim deducuntur, quæ Rector Montuellus in compendium miſit. Quare cum huius conſtitutionis ſumma ſit Montuelli narratio, minus uidetur neceſſe, ut illa latino ſermone donetur. Adnotaſſe tamen momenta ſeptem operæ pretium eſt. Inprimis ea contentio, quæ decreto Regio ſedatur, primum exorta eſt inter Petrum Ramum, & Antonium Goueanum, qui plures ſtatim Academiæ Magiſtros in ſuas partes traxit, & in aduerſarium concitauit. Deinde poſt multas altercationes priuatis ſtudiis potius, quam publico bono incenſas, res ſelectorum ab utroque uirorum arbitrio commiſſa eſt. Ramus optauit Ioannem Quintinum in Decretis Doctorem, & Ioannem Bellomontanum in Medicina Magiſtrum; Goueanus uero Petrum Daneſium & Franciſcum Vicomercatenſem, quibus Rex proprio motu adiecit Ioannem Salignacum in Theologia Profeſſorem. Tum ubi Ramus & Goueanus coram his arbitris diſputationes inſtituiſſent, Ramus ut negotii curſum abrumperet, ab iudicio arbitrorum prouocauit. Quarto, Rex edixit, ut remota omni prouocatione diſputationes coram arbitris & cenſoribus abſoluerentur. Quinto, Ramus ubi cauſa caſurum ſe peruideret, dicto obediens Regi libros ſuos arbitrio Cenſorum ſubiecit. Sexto, cum ad librorum cenſuram uentum eſt, Ioan-

nes

nes Quintinus & Ioannes Bellomontanus ſubtraxerunt ſeſe, & omnem a ſe iudicandi poteſtatem abalienarunt. Poſtremo, Ramus ſic a ſuis deſertus trium aliorum iudicio eosdem libros adhuc ſubmiſit. Hi autem cum Rami libros damnaſſent, Regiæ conſtitutioni cauſam dederunt. Ceterum in huius fortunæ mutatione licet de Ariſtotelis Dialectica moueretur quæſtio, Rex tamen reliquos cum illa libros aſſerere uidetur. Sed ſi res ex ſe ipſa penſetur, ſatis erat rationi conſentaneum, ut cum Ramus alios Ariſtotelis libros non reprehendiſſet, eos quoque Franciſcus non attingeret.

CAPVT XIV.

Res multæ ad ſuperiorem fortunam, & illius decurſum animaduertuntur. Non immerito Gallica Latinis admiſcentur.

ET primum quidem cur iſto & ſequente capite XVII. Gallica Latinis admiſceam Maieſtas Regia facit, & Pariſienſis Senatus amplitudo. Quæ enim Rex edixit, & Senatus decreuit, cum certis ac ſolemnibus exprimantur uerbis, tenore proprio referri debuerunt. Apud Hiſpanos Italoſque ſcriptores pridem in more poſitum eſſe uideo, ut conceptas uernacule ſuorum Principum ſanctiones Latinis non dubitent operibus illigare. Accedit eo, quod eorum, quæ Gallico ſermone referentur, ſummam Romano com-

pleƈtor.

plector. Præterea non minus rationi congruit Gallica, quam Græca Latinis interſerere: quod magni atque eruditi uiri facere conſueuerunt.

Neque de cauſa Rami, neque de facto Franciſci Regis quicquam pronuntiandum.

Hoc deinde loco Petrum Ramum defendere non eſt animus nec ingenium. De Franciſci quoque primi facto nec pronuntio, nec is ſum, qui pronuntiare uelim aut poſſim. Scribo tantum hiſtoriam, cui quæ geſta ſunt, ſimpliciter narrare incumbit. Verum adiiciam nonnulla, quæ non modo ſextæ huic fortunæ allatura ſunt lucem, ſed & cum illa connecti uidentur.

Franciſcus Rex in facto ſuo dedit exemplum, non accepit.

Tum quando Franciſcus Ariſtotelis Dialecticam & doctrinam in ſcholis Chriſtianorum aſſeruit, ſuum eſt exemplum. Id enim neque Conſtantinus, neque Theodoſius, neque Iuſtinianus, neque Carolus Magnus, neque ullus alius Princeps antea fecerat. Quinimmo Philippus Auguſtus igni tradita Ariſtotelis opera uidit, & tacuit. Præterea id Franciſcus præſtitit illorum conſilio, quorum maiores Ariſtotelis libros igni tradendos eſſe iudicarant: fuit hæc prima Ariſtotelis in Academia Pariſienſi fortuna, quæ flammis ultricibus eluxit.

Audomarus Talæus Rami controuerſiam illuſtrat.

Quar-

Quarto egregius eſt hanc in rem Audomarus Talæus, qui quæ fuerint partium ſtudia, ſic exponit in ſua ad Carolum Lotharingiuni Card. Academia: *Quibus omnibus, Epicureis, Peripateticis, Stoicis, cum ſententia ſemel aliqua in animo inſedit, nefas putant eam deponere, ut Cicero ſcribit. Sed neſcio quomodo plerique errare malunt, eamque ſententiam, quam ſemel adamarunt, pugnaciſſime defendere, quam quid conſtantiſſime dicatur exquirere. Cur tam pauci igitur Academici? quia pauci firmo conſtantique iudicio ſunt, & plerique diſcendi cognoſcendique laborem fugiunt. Itaque Cicero Academicorum paucitatem, ſolitudinemque Academiæ ſic excuſat. Quam, ait, nunc propemodum orbam eſſe in ipſa Græcia intelligo, quod non Academiæ uitio, ſed tarditate hominum arbitror contigiſſe: Nam ſi ſingulas diſciplinas percipere magnum eſt, quanto maius omnes? quod facere iis eſt neceſſe, quibus propoſitum eſt, ueri reperiendi cauſa, & contra omnes Philoſophos & pro omnibus dicere. Plerumque autem cæcus ille amor ex aliqua auctoritatis opinione efficitur, quod uehementer eſt in hac libera philoſophandi ueritate reprehendendum. Cicero. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipſi ſentiamus, curioſius id faciunt, quam neceſſe eſt. Non enim tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt. Quin etiam obeſt iis plerumque, qui diſcere uolunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur: deſinunt enim ſuum iudicium adhibere. Id habent ratum, quod ab*

ab eo, quem probant, iudicatum uident. Nec uero probare ſoleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cum ex his quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam ſine ratione ualeret auctoritas. Eiusdem erroris uanitas in quibusdam Ariſtoteleis eſt, qui tantum tribuunt ſuo magiſtro, ut eum Deum quendam exiſtiment, Ariſtoteli repugnare, idem propemodum eſſe credant, quod naturæ, ueritati, Deo repugnare. Itaque cum frater meus Petrus Ramus in Ariſtoteleorum ſententiam uſitatiſſimo illo, & omnibus temporibus approbatiſſimo more dixiſſet, duo homines tam uehementer irati commotique ſunt, ut qui Ariſtotelem reprehenderet, exiſtimarent eum omnes artes conturbare, iura humana & diuina peruertere, omnem humani iudicii libertatem eripere, denique e mundo quaſi mundi ſolem tollere; atque Ariſtotelico ſpiritu afflati, exclamarent, tantum ſcelus igne expiandum eſſe, & ne teſtimonio tantæ ſtultitiæ careremus, (uix enim credibile id eſſet, niſi ſcripto teſtatum proditumque teneretur) libellis contra Ariſtotelicas animaduerſiones deſcriptis, & per orbem terrarum miſſis id prædicandum & diuulgandum cenſuerunt: quos homines, quoniam a ſe ipſis ſatis uexati ſunt, & a fratre meo perpetuo contempti, tandemque Ariſtoteleo iudicio reſciſſo ſatis refutati, non puto mihi ſeuerius notandos eſſe. Sed quid Ariſtoteleos duos hic commemoro,

cum

cum tota iſtorum hominum natio eadem ſit? Enimuero quid ſingularem, & poſt homines natos inauditam hiſtoriam referam? Summa ſemper libertas fuit, Grammaticis, Rhetoribus, Mathematicis, Philoſophis contra Grammaticos, Rhetores, Mathematicos, Philoſophos dicendi & ſcribendi: eaque libertas, quia ad omnium artium perfectionem pertinere magnopere uidebatur, maxime probata eſt, & omnium Philoſophorum, Ariſtotelis præſertim præceptis unice commendata. At quoniam Petrus Ramus Ariſtotelicis animaduerſionibus Ariſtoteleos dormientes uellicare auſus erat, Deus bone! meminiſſe horret, quæ contigerint: res atrociores prætermittam, ex Ariſtoteleis neminem nominabo, ſummam rerum ſimpliciter attingam. Vix Ariſtotelicæ animaduerſiones lectæ erant, cum Petrus Ramus repente non ad humanam aliquam, & literis uſitatam diſputationem ab Academia uocatur, ſed ad Prætorii tribunalis capitalem contentionem per certos homines falſo Academiæ nomine rapitur, nouique & ante hunc diem inauditi criminis accuſatur, quod Ariſtoteli repugnando Theologiam & artes eneruaret. Hac enim oratione Ariſtotelea actio inſtituta eſt. Hinc Ariſtoteleorum clamoribus agitatus ad ſummum Pariſienſis Curiæ conſilium traducitur: deinde cum legitimo iudicii more res agi, atque apertius iniquiſſimæ fraudis inuidia percipi uideretur, nouis artibus a Senatu Pariſienſi ad regiam cognitionem diſiicitur: qua conſtitutis quinque iudicibus, binis ex utraque parte, quinto regia denominatione deſigna-

ſigna-

ſignato, cauſam de ſingulis animaduerſionum capitibus dicere iubetur. Hic tametſi de quinque iudicibus tres infenſiſſimos Ramus habebat, tamen ut mandato regio obtemperaret, ad diem conſtitutam adfuit. Scriba unus aderat, qui rationes Rami, & iudicum ſententias exciperet: defenſionis ſuæ teſtem Ramus impetrare neminem potuit. Biduo magna contentione de Dialecticæ artis definitione & partitione, quæ in Logici Organi libris nullæ eſſent, concertatum eſt. Tres Ariſtotelei iudices primo die contra omnes bene deſcriptæ artis leges iudicarunt, ad Dialecticæ artis perfectionem definitione nihil opus eſſe. Ioannes Quintinus Heduus, Ioannes Bomontius Pariſienſis, qui duo iudices erant a Ramo delecti, pro ſingulari ſua eruditione & doctrina cenſuerunt, omnem diſputationem, qua uia & ratione procederet, definitione proficiſci debere, idque per ſcriptum obſignarunt. Poſtridie tres iudices Ariſtotelei uehementer conturbati de partitione aſſentiuntur, Dialecticæ legitimas eſſe partes, inuentionem & iudicium, atque hac de re ſententias ſuas perſcribunt. Verum cum Ramus urgeret Ariſtoteleos, igitur a ſe merito reprehendi, quod propria partitione prætermiſſa totam Dialecticam mille tenebris obruerent, tribus iudicibus, ampliari cauſam placuit, & in alium diem reiici, quia iſta uia Ariſtotelei ſuperiores eſſe non poſſent. Hic audiendi Rami finis fuit: deinceps enim Ariſtotelei iudices æſtuare, rixari inter ſe & iurgare quod ſe per imprudentiam demerſiſſent, unde incolumes e-

 mer-

mergere non poſſent. Itaque ne non damnaretur Ramus, nouum conſilium initur, ut ab initio tota diſputatio retexatur, & adhuc iudicata induceretur, proque nihilo haberetur. Id uero Ramus ſe facturum pernegauit, cœpitque liberius conqueri, bis ſe iudicibus eſſe traditum, quibus ſatis non eſſet eius ſententiam tam cæca cupiditate oppugnare, niſi ipſi quoque ſuam dictam præſertim & obſignatam nullo inconſtantiæ pudore reſcinderent. Quare tum Ramus a tribus illis accuſatoriis iudicibus, cum eos neque ſua conqueſtione, neque reliquorum iudicum admonitione de tanta uiolentia deduceret, appellauit. Poſtremum igitur illud fuit, tanta auctoritas contra Ramum impetratur, ut tribus Ariſtoteleis iudicibus infinita poteſtate, ſine auxilio, ſine prouocatione iudicium de Ariſtoteleis animaduerſionibus permitteretur: tam uariis ſcilicet machinis, tam multis copiis, tot poteſtatibus ad confutandum Dialecticæ diſputationis argumentum opus fuit. Vix, ita me Deus amet,

Vix Priamus tanti, totaque Troia fuit.

Sed cetera attendamus: huic tantæ poteſtati, maiori etiam cupiditati Quintinus & Bomontius conceſſere, perſcripta tamen ante de uniuerſa diſputatione ſententia, teſtati ſibi placere, ut in Philoſophia, ſicut antea ſemper fuiſſet, liberum eſſet in omnem partem diſputare: ex eo autem conſeſſu

ſe

ſe diſcedere, quia ſe non ſocios conſiliis, ſed iniuriæ, quæ Ramo fieret, adhibitos teſtes intelligerent. Idemque Ramus ipſe non ſine ſtomacho, cum a tribus illis contumelioſe illuderetur, fecit, & ſe tempora ſperare dixit, quibus tales iudices de ſuo facto nequaquam parem eſſent uoluptatem percepturi. Ita ui uicta, uel certe hominum quorumcunque opinione ad tempus oppreſſa cauſa eſt. Condemnantur igitur triumuirali ſententia, non modo indicta, ſed incognita plane cauſa, Animaduerſiones Ariſtotelicæ. Hoc exſpectari a talibus iudicibus potuit. Eiusdem incendii ruina Inſtitutiones Dialecticæ affliguntur; non alia quippe ratione, quam quod eiusdem artificis opus erant: Neque enim uerbo Ariſtoteleos læſerant, immo ne ab his quidem accuſatæ unquam fuerant, ſed ante illum diem ab Ariſtoteleis ipſis laudatæ. Quis iudex præter hos, damnauit unquam, quod accuſatum non eſſet, de quo reus nihil interrogatus eſſet? Auctori Animaduerſionum & Inſtitutionum toto Philoſophiæ regno uelut aqua & igni, graui etiam poena addita, interdicitur, ne unquam uel ſcribendo, uel docendo in ullam Philoſophiæ partem ingrederetur. Hoc uero non eſt Dialecticum refellere, ſed Dialecticum de ſuggeſtu deturbare: Atque hæc omnia Regis, licet omnium Regum & humaniſſimi & literarum amantiſſimi, tamen per falſas & improbiſſime confictas calumnias inducti, auctoritate confirmantur. Conſtricta itaque lingua uinctis manibus, cum ſic afflictus Ramus tenere-

neretur, ut Ariſtoteleia uel impune diſcerpere liceret, Ramo contra ne mutire quidem liceret, triumphus de tam nobili uictoria mirificus agitur, triſtis illa & horrenda Triumuirûm ſententia impreſſis & Latina & Gallica oratione libellis, non modo per huius urbis compita, ſed per orbis terrarum loca omnia, quo expectari potuit, promulgatur. Ludi magno apparatu celebrantur, ubi ſpectantibus & plaudentibus Ariſtoteleis, omni ludibrii & conuitii genere Ramus afficitur. Quid reliqua his indigniora commemorem? Quæ tametſi uerißima ſunt, & memoria recenti tenentur, tamen ita ſunt ab honeſtis ſtudiis aliena, ut uerear, ne iis etiam, qui interfuerint & uiderint, res tam incredibilis non facta, ſed ficta eſſe uideatur. Hæc Ariſtotelici iudicii breuis & ſummaria hiſtoria eſt. Plurima enim prætereo, quæ ſine certorum hominum infamia commemorari non poſſunt. Atque hæc pauca idcirco commemoro, non ut maleuolo cuiquam ſtomachum moueam, (quid enim minus eſt, quam ut tam inhumaniter uexatis ſaltem præteriti doloris meminiſſe liceat?) ſed ut omnes intelligant, Cardinalis illuſtriſſime, non ſolum quantum tibi tali abrogato iudicio Ramus Talæusque debeant, ſed etiam quam formidabilis & iracunda Ariſtoteleorum Logica ſit, quæ talibus argumentis aduerſarium perſequatur. Ac ne me Ariſtotelei pari iracundia appetant, ad Academiam refugio minime ſuperbam atque uiolentam, ſed contra facilem & benignam, quæ tantum abeſt, ut

ut ſibi contradicentibus tam ferociter iraſcatur, ut etiam amatores ſuos exiſtimet, a quibus ſibi ueritatis inquirendæ gratia diligenter & accurate contradicatur. Hæc Talæus, quæ ſine detrimento hiſtoriæ, quam ſcribo, prætermitti non potuerunt.

Bernardinus Donatus Veronenſis Ariſtotelem de animorum immortalitate contra Chriſtianos ſentire docet.

Hic auctor de Platonicæ atque Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia libellum compoſuit, qui Lutetiæ Pariſiorum anno MDXLI. in lucem prodiit. In Præfatione hæc de Ariſtotele tradit: *Ego ſic ſtatuo, aut melius eſſe, eum nunquam fuiſſe, qui ne nunc quidem ſit, quam nunc non eſſe eum, qui olim fuerit, aut inter hunc atque illum nihil prorſus intereſſe: ex quibus omnibus nihil aliud ſupereſſe intelligis, quod dicatur, niſi deorum iſtorum, quos Philoſophi inducunt, ſi noſter mortalis eſt animus, felicitatem noſtris augeri miſeriis, qui uidelicet nos uelint eſſe, quos miſeros fore non ignorent. Præterea omnem ſapientiam cognitionemque ueritatis tanto miſeriores unumquemque facere, quanto quisque & ſinceriorem eam & perfectiorem fuerit conſecutus, & contra quanto quisque longius a ueritate & cognitione naturæ rerumque omnium diuinarum aberrauerit, tanto futurum feliciorem, ac multo denique amplius generi humano prodeſſe mendacium, quam ueritatem: Quod quidem ad omnis religio-*

nis euerſionem pertinet neceſſario: quorum ſane in Philoſophia Platonis nihil unquam dici poterit; quippe apud quem planiſſime conſtet, animos hominum eſſe immortales atque diuinos, hominesque poſſe ſi uelint, cum diis aliqua familiaritate coniungi; at iſtud alii fortaſſe quidam de plebe philoſophi dixerunt: Ariſtoteles uero nunquam dixit. Fateor. quin etiam dico illos eſſe omni odio dignos, qui illius ſententias ad hoc torquent: Sic illi quidem profeſſi, quo uitæ genere potiſſimum delectentur: attamen non minimam ille aliis ſententiæ huiusce materiam dedit, qui tam obſcure ſententiam ſuam enunciauit, ut etiam in contrarium torqueri poſſit. Siquidem nulli adhuc inuenti ſunt, qui uere ſe Ariſtotelicos appellari uoluerint, qui non ad hanc animi mortalitatem facile declinarint. At Platonicus ne dici quidem unquam poterit quiſpiam, qui non immortalitatem omni ratione tueatur. Taceo mundi illam æternitatem, quam alterius iſtius generis Philoſophi ita eſſe contendunt, ut nullum illius auctorem ſiue opificem omnino conſtituant. Quo uno quid Deo tribuere maius potuiſſent, ſi illum laudare uoluiſſent. Maximo enim Deo, maximum omnium operum fuerat tribuendum. Taceo in moribus uoluptatem, ad quam libenter feruntur, qui ita philoſophantur, ut ſe totos morituros & opinentur & contendant. Quorum nihil apud eos qui Platonem loquuntur inuenias. Sed hæc omnia religioni noſtræ, hoc eſt, ueritati & iuſtitiæ amica & conſentanea.

Ioan-

Ioannis Ludouici Viuis de Ariſtotele & eius Philoſophia iudicium.

In Libro I. de cauſis corruptarum artium: *Quantam*, ait, *hic potuiſſet adferre utilitatem omnibus diſciplinis? Quantam lucem? Si quæ uel ab aliis accepiſſet, uel inueniſſet ipſe, aut reconcinnaſſet, aperte ac dilucide uoluiſſet prodere? Sed tum ipſe obſcurauit conſulto ſua, tum fortuitæ aliæ obſcuritates acceſſerunt, quæ aquam fontis huius in fiſtulas perturbatam mitterent. Primum ut ſcriptores omnes, qui ante ipſum fuiſſent, carpſerat, callido & uafro uir ingenio talionem ueritus, ſententiis, & uſus ambiguis, & in utrumque latus flexibilibus, ne quis etiam exiſteret, qui ipſius dicta laceraret: Ita cauit ſibi ſemper uia, qua elabi deprehenſus poſſet, ne teneretur, ut quidquid dixiſſe uideretur, integrum eſſet ei, qui illum tuendum ſuſcepiſſet, negare eam fuiſſe illius mentem, ut etiam in reddendis cauſis naturæ, ubi paulo erat apertius loquendum, operis titulo ademerit reprehenſionis anſam, inſcripto opere, Problemata, ut iudicium uideretur relinquere lectori liberum, admonitum modo ab Scriptore. Themiſtius quodam loco furori ſimile eſſe dicit, ſi quis ſperet, ſe ex Ariſtotelis ſcriptis ſententiam eius penitus aſſecuturum. Idem ipſe Ariſtoteles ad Alexandrum ſcripſit neminem commentarios illos, quos Rex doleret in uulgum miſſos, intellecturum, niſi qui abs ſe domi audiuiſſet. Nec ſolum obſcuritas fuit in rebus ſenſorum, ſed etiam in uerbis. Affectauit enim quoddam dicendi genus preſſum*

& adſtrictum. Attico enim breuius & contractius, ut interdum non tam eloqui uideatur, quam res indicare: tum id uiſum eſt aptiſſimum ad occultandas ſententias animis, tum quod in tradendis artibus non exiſtimauit multis uerbis onerandum eſſe diſcipulum; ita ut plerumque non tam ſint eius uerba intelligenda quam nutus interpretandi. Et hic tam in ſua illa naturali lingua obſcurus & reconditus, quam in alienas linguas eſt ad Philoſophiæ atque Artium omnium cognitionem transfuſus, in Latinam, Arabicam, Chaldæam, non ab aliquo, & linguæ ex qua uerteret, & in quam uerteret, peritiſſimo, qui ſententias commode annumeraret. Non uerba, ſed uel a pueris, uel a ſuperſtitioſis, uel ab imperitis, qui uerbum uerbo reddiderunt: tum phraſes & ſchemata & figuras omnes, quæ erant in græco ſermone elegantiſſimæ, atque aptiſſimæ, ad Latinum aut Arabicum inuitas ac repugnantes pertraxerunt: ut nemo eſſet, qui linguam ſuam patriam ſic inuolutam ac peruerſam agnoſceret, aut intelligeret: tum multa non aſſecuti pro captu ſuo tranſtulere, ut non iam cognoſcendam haberent Ariſtotelis mentem, ſed interpretis, & clamores, tumultus, tragœdiæ, quæ de intelligentia dicti cuiusquam Ariſtotelis excitarentur, non de illius eſſent, ſed interpretis ſenſu. Neque uero ab illis ineptiſſimis ad transferendum uerſus, ſed ab eruditis etiam, qualis olim fuit Boëthus priore ſæculo, & patrum memoria Hermolaus Barbarus, Argyrophilus, Trapezuntius, & paulo antea Leonardus. Taceo de

Gaza

Gaza propter libros animalium, qui ſunt explicatiores, ſed in his libris, in quibus de artibus præcipit, non potuit uires illas ſuæ linguæ conſeruare, ut plerumque non quiuerit ad nos pertrahi uerbulum aliquod, aut dicendi ratio & phraſis, in quali ſitum eſſet uniuerſum robur ſententiæ. Quo ſit ut melius uel a mediocriter Græce docto in lingua illa ſua intelligatur, quam a Latiniſſimo in Latina.

Ad conſultam illam obſcuritatem acceſſit alia fortuita, quod Ariſtotelis libri cum tota Theophraſti Bibliotheca, ſicut Strabo, Plutarchus & Diogenes perhibent, ad Nelium quendam Scepſium hæreditate peruenit; hominem literarum penitus ignarum. Hinc ad Apelliconem Teium deuoluta exeſis codicibus locis aliquot & confuſis: De Apellicone Dictator Sylla emit, & Tirannionem adhibuit Grammatticum, qui uolumina in ordinem redigeret: hic, ut par eſt, in multis ſecutus eſt iudicium ſuum, interdum non aſſecutus. Andronicus Rhodius euulgauit libros. De multis eorum librorum uenit in controuerſiam, eſſentne Ariſtotelis, ut de prædicamentis, de quibus Boethus diſputat; de Analyticis quadraginta uolumina ſcribit Ioannes Philoponus reperta eſſe in uetuſtis Bibliothecis: ex ſtilo & differendi acumine hæc quatuor Ariſtoteli eſſe adiudicata, quæ nunc ſunt in manibus. Quis poſſet bene ſequi ducem tam obſcure admonentem? Nec ſolum inuiderunt nobis lucem ſuam, ſed etiam alienam, uel non admonendo uti poſſent iuuare, & quaſi perferendo ad nos

 uoces,

uoces, quas priores duces ediderant. Seu quæ cum ad nos perueniſſent, nimis iam eſſent tenues atque exiles, uel obruendo umbris atque obſcuritate, diſſimularunt multa illorum inuenta, ut ſua in illorum locum reponerent, cum potuiſſent, ſi quid habebant difficultatis, faciliora ad poſteros atque explicatiora tradere. Et poſt alia: *Ea credulitas receptorum cum in priſcis illis fuerit, quantam in recentioribus eſſe oportet, qui ſibi ipſi diſſiti grande ſunt rati nefas a maiorum placitis deflectere uel latum unguem? Itaque cum non minus naturæ benignitas mente illos, ingenio, iudicio donaſſet, ipſi tamen amiſerunt iudicandi de uiribus ductorum facultatem, partim a rebus ipſis ſublatam, partim ab ipſis eisdem iniqua ſui damnatione abiectam, celerrima deſperatione ſui, cum quantum poſſent ac ualerent, nunquam periculum feciſſent. Itaque uideo Theologos omnes ſcholæ, Thomam, Scotum, Ocamum, Holcotum, Gregorium Ariminenſem, Petrum Haliacenſem & alios, cum quid de lumine naturæ quærunt, Ariſtotelis adducentes placita pro culmine, ad quod peruenire poteſt homo naturæ luce adiutus, quaſi altius nullum ingenium nulla in re poſſit aſcendere, quam quo ille peruenit.*

Deinde in libro II. *Age quorum auctorum gentilium, an Chriſtianorum, an hæreticorum? Gentiles ſi anſam dant hæreſeos, peius faciunt, qui Ariſtotelem, qui Porphyrium, qui Auerroem tanto ſtudio euoluunt, quam qui Ciceronem, Liuium, Quintilianum, Virgilium, eiusmodi. Quæſo unde*

de paratior errorum materia, utrum ex diſputatione de anima Ariſtotelis, Auerrois, Alexandri Aphrodiſæi, an ex uniuerſis Poëtis & Oratoribus? Ne quid dicam, quam in Ethicis, in Politicis Ariſtoteles impius. A Chriſtianis uero nefas eſt dicere inſtillari hæreſes, ſiue Latini, ſeu Græci, quorum omnium ſcripta & ſententias quomodo poſſunt, conantur cognoſcere linguarum inimici. An hæreticorum libri nulli ſunt, & ſi qui ſunt, eos ſtudioſi linguarum magis Theologis legendos concedunt, quam ipſi attingunt. Hæc & alia multa uir ingenio præcellenti, eruditione ſumma & iudicio pari præditus, quæ & Rami cauſam multum adiuuant, & una oſtendunt illum in ea fuiſſe ſententia, ut crederet Ariſtotelem & eius Philoſophiam, Theologis errorum materiam ſubminiſtraſſe.

Guillelmi Poſtelli de Ariſtotelis philoſophia iudicium. (*)

Guillelmus Poſtellus (**) eodem fere tempore Latinum fecit librum, qui *Iuſtini Martyris euer-*

(*) Hæc prima editio ignorat.

(**) De Poſtello peculiaris extat Diſſertatio Thomæ Ittigii τȣ̃ μακαρίτȣ, quæ nunc opuſculis eius inſerta eſt, Morhoffius eundem T. II. Polyh. L. I. c. XII. p. 67. *inter profeſſos Ariſtotelis hoſtes* numerauit, & epiſtolam nuncupationis, quam Launoius excitat, *uirulentam* dixit.

euerſio Ariſtotelicorum dogmatum inſcribitur. Eum Carolo Card. Lotharingio nuncupauit, & in nuncupationis epiſtola ſic de Ariſtotele cenſuit. *Nullus autem ſit Reipublicæ periculoſior aut euerſione dignior hoſtis familiari & domeſtico. Suſcepi in falſa Ariſtotelis dogmata bellum Iuſtini Martyris & Philoſophi præſtantiſſimi fretus armis & fidei cum martyre conſimilis lorica tectus, eo quod ut olim omnia fere hæreſeon ſemina ex uno Ariſtotele* (*) *emerſere, ita hodie Atheorum cohors inde manat.. Etiam ea quæ ab iſto* λοξίᾳ *poſſent in prouidentiæ particularis & immortalitatis probationem, ex ipſo* λοξίᾳ *dico, hoc eſt obliquario & uafro lubricoque Ariſtotele, alioquin hominum acutiſſimo, non incommode trahi, peruertendo.* Deinde

(*) Idem pariter poſt Poſtellum affirmauit Thom. Hobbeſius. Sed uterque a ueritate eſt alienus. Quod nemo negauerit, præterquam is, qui antiquitatis, & hiſtoriæ tantum non omnis *περὶ τῶν αἱρέσεων*, diuiniorem cœtum uaſtantium, eſt expers. Non tamen diffitemur, enatas eſſe ex Philoſophia Peripatetica hæreſes, de quibus aliquando peculiari libro exponere uoluit Colbergius. Nam quod Noua liter. Mar. Balth. A. cIↄ Iↄc XCVIII. p. 222. confirmabant, meditabatur Tr. qui inſcribendus erat, *Regnum Tenebrarum, ex Ariſtotelicæ Philoſophiæ, & Theologiæ mixtura.* Nunquam uero, quantum mihi conſtat, lucem Tractatus ille adſpexit.

Deinde iuo finem libri: *Alter* (animorum in hac uita Tyrannus) *in ea quæ uidetur, & non eſt, ratione pure humana, & a diuina ueraque quantum poteſt abhorrente, conſtitutus, cuius caput maxime inſigne eſt Ariſtoteles, a noſtro Iuſtino ideo impetitus, quod auctoritate ſemel illi a Sathana comparata innumera falſa, repugnantia, contraria, & uerosſimilia tantum pro ueriſſimis & demonſtratis mundo cœcutienti obtruſit: unde in illius uerba uelut in ſacroſancta & æternæ ueritati ſubnixa oracula iuratum in hunc usque diem eſt. Noſtrum itaque opus fuerit hic una cum Iuſtino in ea, quæ Ariſtoteles pro ueris tradidit, ita animaduertere, ut plane cognoſcatur, ſummum toti orbi terrarum diſpendium, niſi obſtitiſſet prouidentia, fuiſſe ex eius doctrina naſciturum. Vnde enim factum eſt, ut dubitetur de diuina & particulari cum in omnia & ſingula cetera, tum maxime in hominem prouidentia, ſimiliter de animorum immortalitate, niſi ex falſitate & ambiguitate propoſitionum Ariſtotelis. Ad hæc eo impietatis profecti ſunt multi, ut quod publice iſti non auderent, ob legum ſeueritatem, ſub ipſius nomine auſi ſint profiteri, ut proximis iſtis annis perditiſſimus* (*) *quidam nebulo Pomponatius cum ſum-*

(*) Quod de Pomponatio Poſtellus iudicat, id Morhoffius loco, paullo ante laudato, ad uerbum deſcribit, & *memorabile* dicit, *neque adeo a uero alienum.* Sunt uero, qui Pomponatium

ſummo Italiæ probro auſus ſit, ſcriptis etiam ſummis Pontificibus oblatis, & tantum non ſuaſis, conari, ut ex Ariſtotele demonſtraret mortales eſſe animos: & ita illa bellua inualuit in ea impietate, ut etiam in gloria ponant quidam Pariſiis eius doctrinæ interpretes, ſe Perreti aut Pomponatii eſſe diſcipulos. Et poſt alia: *Fatentur autem plurimi, qui alioqui uolunt uideri magis æqui rerum humanarum æſtimatores, & Ariſtoteli etiam ſummis præfationibus fauentes, in eo auctore, eiusque etiam præſtantiſſimis rationibus ineſſe multum ueneni, hoc eſt falſi, cum dicunt nullo modo debere ſacra rationibus humanis, & potiſſimum Ariſtotelicis corroborari: In qua aſſeueratione etiam latet ſumma impietas. Vt enim toto errant cælo, qui Ariſtotelem mordicus tutari uolunt, & illum non fuiſſe paſſum humana aſſerunt, & ſic ipſum*

natium excuſatum eunt, ſibique iuxta ac aliis perſuadere cupiunt, Pomponatium ſaltim negaſſe, animæ immortalitatem ex naturæ lumine adſtrui poſſe. Qua in ſententia nihil, quod ὀρθοδοξίαν lædat, reperiri contendunt, quippe quam etiam nonnulli ex Theologis, nulla alicuius ἑτεροδοξίας ſuſpicione oneratis, ſuam facere non ſunt ueriti. Sed hic ad mentem, qua talia diſputantur, attendendum pariter erit. Notum namque eſt, huius furfuris homines, mentem callide tegere & multa ſubdole proponere. Teſtor, ne de aliis dicam, Iulium Cæſarem Vaninum.

ipſum hominem Deo & ſacris præferunt: ita e contrario qui rationi rectæ & æternæ repugnare humanam & omnibus gentibus, populis, hominibus, temporibusque cognitam ueritatem affirmant, illi aut duo ponunt principia, unum bonum & auctoritatis ſacræ fundatorem, & alterum malum rationis humanæ principem, aut contra; aut quod crediderim & ueriſſimum eſt, nullum ſacrorum præſcriptum eſſe uellent. Quia quod rationi repugnat, Deo repugnet neceſſe eſt. Deus autem ab æterno inſtituit, hac in re ſua uoluntate omnino indefraudabilis, ut recta ratio pro lege æterna haberetur. Cum itaque ſit unus tantum Deus & auctoritatis legitimæ & rationis rectæ auctor, eſt omnino neceſſarium, ut omne uerum uero conſonet, hoc eſt uerum auctoritatis legitimæ, & uerum rationis rectæ. Deus itaque uoluit, ut ſupereſſet eo usque Ariſtoteles, donec duce ipſa Schola Pariſienſi, aut doctrina ſcholaſtica, tota (quatenus Eccleſiæ fuit in hanc diem cognitu neceſſaria & intelligibilis) ſacrorum auctoritas innumeris rationibus in utramque partem diſcuſſa ſpoliaret Ariſtotelem illis uirtutibus, quæ in ipſo liquidæ erant, eo quod ueritas a quocunque dicatur, a Spiritu Sancto eſt & ſemper diuina. Vt tandem poſt reſolutiones ipſas ſacrorum ipſe Ariſtoteles omnino neglectus iaceret, & præſtantiori diuinæque tractationi daret locum. Hæc ille, qui quamuis ſuos næuos, & non ferenda quædam deliria habuerit, in hoc tamen a ueteribus Eccleſiæ magiſtris, quos capite II. affluenter retulimus, non diſce-

mergere non poſſent. Itaque ne non damnaretur Ramus, nouum conſilium initur, ut ab initio tota diſputatio retexatur, & adhuc iudicata induceretur, proque nihilo haberetur. Id uero Ramus ſe facturum pernegauit, cœpitque liberius conqueri, his ſe iudicibus eſſe traditum, quibus ſatis non eſſet eius ſententiam tam cæca cupiditate oppugnare, niſi ipſi quoque ſuam dictam præſertim & obſignatam nullo inconſtantiæ pudore reſcinderent. Quare tum Ramus a tribus illis accuſatoriis iudicibus, cum eos neque ſua conqueſtione, neque reliquorum iudicum admonitione de tanta uiolentia deduceret, appellauit. Poſtremum igitur illud fuit, tanta auctoritas contra Ramum impetratur, ut tribus Ariſtoteleis iudicibus infinita poteſtate, ſine auxilio, ſine prouocatione iudicium de Ariſtoteleis animaduerſionibus permitteretur: tam uariis ſcilicet machinis, tam multis copiis, tot poteſtatibus ad confutandum Dialecticæ diſputationis argumentum opus fuit. Vix, ita me Deus amet,

Vix Priamus tanti, totaque Troia fuit.

Sed cetera attendamus: huic tantæ poteſtati, maiori etiam cupiditati Quintinus & Bomontius conceſſere, perſcripta tamen ante de uniuerſa diſputatione ſententia, teſtati ſibi placere, ut in Philoſophia, ſicut antea ſemper fuiſſet, liberum eſſet in omnem partem diſputare: ex eo autem conſeſſu

ſe

ſe diſcedere, quia ſe non ſocios conſiliis, ſed iniuriæ, quæ Ramo fieret, adhibitos teſtes intelligerent. Idemque Ramus ipſe non ſine ſtomacho, cum a tribus illis contumelioſe illuderetur, fecit, & ſe tempora ſperare dixit, quibus tales iudices de ſuo facto nequaquam parem eſſent uoluptatem percepturi. Ita ui uicta, uel certe hominum quorumcunque opinione ad tempus oppreſſa cauſa eſt. Condemnantur igitur triumuirali ſententia, non modo indicta, ſed incognita plane cauſa, Animaduerſiones Ariſtotelicæ. Hoc exſpectari a talibus iudicibus potuit. Eiusdem incendii ruina Inſtitutiones Dialecticæ affliguntur; non alia quippe ratione, quam quod eiusdem artificis opus erant: Neque enim uerbo Ariſtoteleos læſerant, immo ne ab his quidem accuſatæ unquam fuerant, ſed ante illum diem ab Ariſtoteleis ipſis laudatæ. Quis iudex præter hos, damnauit unquam, quod accuſatum non eſſet, de quo reus nihil interrogatus eſſet? Auctori Animaduerſionum & Inſtitutionum toto Philoſophiæ regno uelut aqua & igni, graui etiam poena addita, interdicitur, ne unquam uel ſcribendo, uel docendo in ullam Philoſophiæ partem ingrederetur. Hoc uero non eſt Dialecticum refellere, ſed Dialecticum de ſuggeſtu deturbare: Atque hæc omnia Regis, licet omnium Regum & humaniſſimi & literarum amantiſſimi, tamen per falſas & improbiſſime confictas calumnias inducti, auctoritate confirmantur. Conſtricta itaque lingua uinctis manibus, cum ſic afflictus Ramus tenere-

neretur, ut Ariſtoteleia uel impune diſcerpere liceret, Ramo contra ne mutire quidem liceret, triumphus de tam nobili uictoria mirificus agitur, triſtis illa & horrenda Triumuirûm ſententia impreſſis & Latina & Gallica oratione libellis, non modo per huius urbis compita, ſed per orbis terrarum loca omnia, quo expectari potuit, promulgatur. Ludi magno apparatu celebrantur, ubi ſpectantibus & plaudentibus Ariſtoteleis, omni ludibrii & conuitii genere Ramus afficitur. Quid reliqua his indigniora commemorem? Quæ tametſi ueriſſima ſunt, & memoria recenti tenentur, tamen ita ſunt ab honeſtis ſtudiis aliena, ut uerear, ne iis etiam, qui interfuerint & uiderint, res tam incredibilis non facta, ſed ficta eſſe uideatur. Hæc Ariſtotelici iudicii breuis & ſummaria hiſtoria eſt. Plurima enim prætereo, quæ ſine certorum hominum infamia commemorari non poſſunt. Atque hæc pauca idcirco commemoro, non ut maleuolo cuiquam ſtomachum moueam, (quid enim minus eſt, quam ut tam inhumaniter uexatis ſaltem præteriti doloris meminiſſe liceat?) ſed ut omnes intelligant, Cardinalis illuſtriſſime, non ſolum quantum tibi tali abrogato iudicio Ramus Talæusque debeant, ſed etiam quam formidabilis & iracunda Ariſtoteleorum Logica ſit, quæ talibus argumentis aduerſarium perſequatur. Ac ne me Ariſtotelei pari iracundia appetant, ad Academiam refugio minime ſuperbam atque uiolentam, ſed contra facilem & benignam, quæ tantum abeſt,

ut

ut ſibi contradicentibus tam ferociter iraſcatur, ut etiam amatores ſuos exiſtimet, a quibus ſibi ueritatis inquirendæ gratia diligenter & accurate contradicatur. Hæc Talæus, quæ ſine detrimento hiſtoriæ, quam ſcribo, prætermitti non potuerunt.

Bernardinus Donatus Veronenſis Ariſtotelem de animorum immortalitate contra Chriſtianos ſentire docet.

Hic auctor de Platonicæ atque Ariſtotelicæ Philoſophiæ differentia libellum compoſuit, qui Lutetiæ Pariſiorum anno MDXLI. in lucem prodiit. In Præfatione hæc de Ariſtotele tradit: *Ego ſic ſtatuo, aut melius eſſe, eum nunquam fuiſſe, qui ne nunc quidem ſit, quam nunc non eſſe eum, qui olim fuerit, aut inter hunc atque illum nihil prorſus intereſſe: ex quibus omnibus nihil aliud ſupereſſe intelligis, quod dicatur, niſi deorum iſtorum, quos Philoſophi inducunt, ſi noſter mortalis eſt animus, felicitatem noſtris augeri miſeriis, qui uidelicet nos uelint eſſe, quos miſeros fore non ignorent. Præterea omnem ſapientiam cognitionemque ueritatis tanto miſeriores unumquemque facere, quanto quisque & ſinceriorem eam & perfectiorem fuerit conſecutus, & contra quanto quisque longius a ueritate & cognitione naturæ rerumque omnium diuinarum aberrauerit, tanto futurum feliciorem, ac multo denique amplius generi humano prodeſſe mendacium, quam ueritatem: Quod quidem ad omnis religio-*

nis euerſionem pertinet neceſſario: quorum ſane in Philoſophia Platonis nihil unquam dici poterit; quippe apud quem planiſſime conſtet, animos hominum eſſe immortales atque diuinos, hominesque poſſe ſi uelint, cum diis aliqua familiaritate coniungi; at iſtud alii fortaſſe quidam de plebe philoſophi dixerunt: Ariſtoteles uero nunquam dixit. Fateor. quin etiam dico illos eſſe omni odio dignos, qui illius ſententias ad hoc torquent: Sic illi quidem profeſſi, quo uitæ genere potiſſimum delectentur: attamen non minimam ille aliis ſententiæ huiusce materiam dedit, qui tam obſcure ſententiam ſuam enunciauit, ut etiam in contrarium torqueri poſſit. Siquidem nulli adhuc inuenti ſunt, qui uere ſe Ariſtotelicos appellari uoluerint, qui non ad hanc animi mortalitatem facile declinarint. At Platonicus ne dici quidem unquam poterit quiſpiam, qui non immortalitatem omni ratione tueatur. Taceo mundi illam æternitatem, quam alterius iſtius generis Philoſophi ita eſſe contendunt, ut nullum illius auctorem ſiue opificem omnino conſtituant. Quo uno quid Deo tribuere maius potuiſſent, ſi illum laudare uoluiſſent. Maximo enim Deo, maximum omnium operum fuerat tribuendum. Taceo in moribus uoluptatem, ad quam libenter feruntur, qui ita philoſophantur, ut ſe totos morituros & opinentur & contendant. Quorum nihil apud eos qui Platonem loquuntur inuenias. Sed hæc omnia religioni noſtræ, hoc eſt, ueritati & iuſtitiæ amica & conſentanea.

Ioan-

Ioannis Ludouici Viuis de Ariſtotele & eius Philoſophia iudicium.

In Libro I. de cauſis corruptarum artium: *Quantam*, ait, *hic potuiſſet adferre utilitatem omnibus diſciplinis? Quantam lucem? Si quæ uel ab aliis accepiſſet, uel inueniſſet ipſe, aut reconcinnaſſet, aperte ac dilucide uoluiſſet prodere? Sed tum ipſe obſcurauit conſulto ſua, tum fortuitæ aliæ obſcuritates acceſſerunt, quæ aquam fontis huius in fiſtulas perturbatam mitterent. Primum ut ſcriptores omnes, qui ante ipſum fuiſſent, carpſerat, callido & uafro uir ingenio talionem ueritus, ſententiis, & uſus ambiguis, & in utrumque latus flexibilibus, ne quis etiam exiſteret, qui ipſius dicta laceraret: Ita cauit ſibi ſemper uia, qua elabi deprehenſus poſſet, ne teneretur, ut quidquid dixiſſe uideretur, integrum eſſet ei, qui illum tuendum ſuſcepiſſet, negare eam fuiſſe illius mentem, ut etiam in reddendis cauſis naturæ, ubi paulo erat apertius loquendum, operis titulo ademerit reprehenſionis anſam, inſcripto opere, Problemata, ut iudicium uideretur relinquere lectori liberum, admonitum modo ab Scriptore. Themiſtius quodam loco furori ſimile eſſe dicit, ſi quis ſperet, ſe ex Ariſtotelis ſcriptis ſententiam eius penitus aſſecuturum. Idem ipſe Ariſtoteles ad Alexandrum ſcripſit neminem commentarios illos, quos Rex doleret in uulgum miſſos, intellecturum, niſi qui abs ſe domi audiuiſſet. Nec ſolum obſcuritas fuit in rebus ſenſorum, ſed etiam in uerbis. Affectauit enim quoddam dicendi genus preſſum*

& adſtrictum. Attico enim breuius & contracti-us, ut interdum non tam eloqui uideatur, quam res indicare: tum id uiſum eſt aptiſſimum ad occultandas ſententias animis, tum quod in tradendis artibus non exiſtimauit multis uerbis onerandum eſſe diſcipulum; ita ut plerumque non tam ſint eius uerba intelligenda quam nutus interpretandi. Et hic tam in ſua illa naturali lingua obſcurus & reconditus, quam in alienas linguas eſt ad Philoſophiæ atque Artium omnium cognitionem transfuſus, in Latinam, Arabicam, Chaldæam, non ab aliquo, & linguæ ex qua uerteret, & in quam uerteret, peritiſſimo, qui ſententias commode annumeraret. Non uerba, ſed uel a pueris, uel a ſuperſtitioſis, uel ab imperitis, qui uerbum uerbo reddiderunt: tum phraſes & ſchemata & figuras omnes, quæ erant in græco ſermone elegantiſſimæ, atque aptiſſimæ, ad Latinum aut Arabicum inuitas ac repugnantes pertraxerunt: ut nemo eſſet, qui linguam ſuam patriam ſic inuolutam ac peruerſam agnoſceret, aut intelligeret: tum multa non aſſecuti pro captu ſuo tranſtulere, ut non iam cognoſcendam haberent Ariſtotelis mentem, ſed interpretis, & clamores, tumultus, tragœdiæ, quæ de intelligentia dicti cuiusquam Ariſtotelis excitarentur, non de illius eſſent, ſed interpretis ſenſu. Neque uero ab illis ineptiſſimis ad transferendum uerſus, ſed ab eruditis etiam, qualis olim fuit Boëthus priore ſæculo, & patrum memoria Hermolaus Barbarus, Argyrophilus, Trapezuntius, & paulo antea Leonardus. Taceo de

Gaza

Gaza propter libros animalium, qui ſunt explicatiores, ſed in his libris, in quibus de artibus præcipit, non potuit uires illas ſuæ linguæ conſeruare, ut plerumque non quiuerit ad nos pertrahi uerbulum aliquod, aut dicendi ratio & phraſis, in quali ſitum eſſet uniuerſum robur ſententiæ. Quo fit ut melius uel a mediocriter Græce docto in lingua illa ſua intelligatur, quam a Latiniſſimo in Latina.

Ad conſultam illam obſcuritatem acceſſit alia fortuita, quod Ariſtotelis libri cum tota Theophraſti Bibliotheca, ſicut Strabo, Plutarchus & Diogenes perhibent, ad Nelium quendam Scepſium hæreditate peruenit; hominem literarum penitus ignarum. Hinc ad Apelliconem Teium deuoluta exeſis codicibus locis aliquot & confuſis: De Apellicone Dictator Sylla emit, & Tiranniomem adhibuit Grammatticum, qui uolumina in ordinem redigeret: hic, ut par eſt, in multis ſecutus eſt iudicium ſuum, interdum non aſſecutus. Andronicus Rhodius euulgauit libros. De multis eorum librorum uenit in controuerſiam, eſſentne Ariſtotelis, ut de prædicamentis, de quibus Boethus diſputat; de Analyticis quadraginta uolumina ſcribit Ioannes Philoponus reperta eſſe in uetuſtis Bibliothecis: ex ſtilo & differendi acumine hæc quatuor Ariſtoteli eſſe adiudicata, quæ nunc ſunt in manibus. Quis poſſet bene ſequi ducem tam obſcure admonentem? Nec ſolum inuiderunt nobis lucem ſuam, ſed etiam alienam, uel non admonendo uti poſſent iuuare, & quaſi perferendo ad nos

uoces, quas priores duces ediderunt. Sed quæ cum ad nos perueniſſent, nimis iam eſſent tenues atque exiles, uel obruendo umbris atque obſcuritate, diſſimularunt multa illorum inuenta, ut ſua in illorum locum rēponerent, cum potuiſſent, ſi quid habebant difficultatis, faciliora ad poſteros atque explicatiora tradere. Et poſt alia: *Ea credulitas receptorum cum in priſcis illis fuerit, quantam in recentioribus eſſe oportet, qui ſibi ipſi diſſiti grande ſunt rati nefas a maiorum placitis deflectere uel latum unguem? Itaque cum non minus naturæ benignitas mente illos, ingenio, iudicio donaſſet, ipſi tamen amiſerunt iudicandi de uiribus ductorum facultatem, partim a rebus ipſis ſublatam, partim ab ipſis eisdem iniqua ſui damnatione abiectam, celerrima deſperatione ſui, cum quantum poſſent ac ualerent, nunquam periculum feciſſent. Itaque uideo Theologos omnes ſcholæ, Thomam, Scotum, Ocamum, Holcotum, Gregorium Ariminenſem, Petrum Haliacenſem & alios, cum quid de lumine naturæ quærunt, Ariſtotelis adducentes placita pro culmine, ad quod peruenire poteſt homo naturæ luce adiutus, quaſi altius nullum ingenium nulla in re poſſit aſcendere, quam quo ille peruenit.*

Deinde in libro II. *Age quorum auctorum gentilium, an Chriſtianorum, an hæreticorum? Gentiles ſi anſam dant hæreſeos, peius faciunt, qui Ariſtotelem, qui Porphyrium, qui Auerroem tanto ſtudio euoluunt, quam qui Ciceronem, Liuium, Quintilianum, Virgilium, eiusmodi. Quæſo unde*

de paratior errorum materia, utrum ex diſputatione de anima Ariſtotelis, Auerrois, Alexandri Aphrodiſæi, an ex uniuerſis Poëtis & Oratoribus? Ne quid dicam, quam in Ethicis, in Politicis Ariſtoteles impius. A Chriſtianis uero nefas eſt dicere inſtillari hæreſes, ſiue Latini, ſeu Græci, quorum omnium ſcripta & ſententias quomodo poſſunt, conantur cognoſcere linguarum inimici. An hæreticorum libri nulli ſunt, & ſi qui ſunt, eos ſtudioſi linguarum magis Theologis legendos concedunt, quam ipſi attingunt. Hæc & alia multa uir ingenio præcellenti, eruditione ſumma & iudicio pari præditus, quæ & Rami cauſam multum adiuuant, & una oſtendunt illum in ea fuiſſe ſententia, ut crederet Ariſtotelem & eius Philoſophiam, Theologis errorum materiam ſubminiſtraſſe.

Guillelmi Poſtelli de Ariſtotelis philoſophia iudicium. (*)

Guillelmus Poſtellus (**) eodem fere tempore Latinum fecit librum, qui *Iuſtini Martyris euer-*

(*) Hæc prima editio ignorat.

(**) De Poſtello peculiaris extat Diſſertatio Thomæ Ittigii τȣ̃ μακαρίτȣ, quæ nunc opuſculis eius inſerta eſt, Morhoffius eundem T. II. Polyh. L. I. c. XII. p. 67. *inter profeſſos Ariſtotelis hoſtes* numerauit, & epiſtolam nuncupationis, quam Launoius excitat, *uirulentam* dixit.

euerſio Ariſtotelicorum dogmatum inſcribitur. Eum Carolo Card. Lotharingio nuncupauit, & in nuncupationis epiſtola ſic de Ariſtotele cenſuit. *Nullus autem ſit Reipublicæ periculoſior aut euerſione dignior hoſtis familiari & domeſtico. Suſcepi in falſa Ariſtotelis dogmata bellum Iuſtini Martyris & Philoſophi præſtantiſſimi fretus armis & fidei cum martyre conſimilis lorica tectus, eo quod ut olim omnia fere hæreſeon ſemina ex uno Ariſtotele* (*) *emerſere, ita hodie Atheorum cohors inde manat. Etiam ea quæ ab iſto λοξία poſſent in prouidentiæ particularis & immortalitatis probationem, ex ipſo λοξία dico, hoc eſt obliquario & uafro lubricoque Ariſtotele, alioquin hominum acutiſſimo, non incommode trahi, peruertendo.* Deinde

(*) Idem pariter poſt Poſtellum affirmauit Thom. Hobbeſius. Sed uterque a ueritate eſt alienus. Quod nemo negauerit, præterquam is, qui antiquitatis, & hiſtoriæ tantum non omnis περὶ τῶν αἱρέσεων, diuiniorem cœtum uaſtantium, eſt expers. Non tamen diffitemur, enatas eſſe ex Philoſophia Peripatetica hæreſes, de quibus aliquando peculiari libro exponere uoluit Colbergius. Nam quod Noua liter. Mar. Balth. A. cIↃ IↃc XCVIII. p. 222. confirmabant, meditabatur Tr. qui inſcribendus erat, *Regnum Tenebrarum, ex Ariſtotelicæ Philoſophiæ, & Theologiæ mixtura.* Nunquam uero, quantum mihi conſtat, lucem Tractatus ille adſpexit.

Deinde tuo finem libri: *Alter* (animorum in hac uita Tyrannus) *in ea quæ uidetur, & non eſt, ratione pure humana, & a diuina ueraque quantum poteſt abhorrente, conſtitutus, cuius caput maxime inſigne eſt Ariſtoteles, a noſtro Iuſtino ideo impetitus, quod auctoritate ſemel illi a Sathana comparata innumera falſa, repugnantia, contraria, & uerofimilia tantum pro ueriſſimis & demonſtratis mundo cœcutienti obtruſit: unde in illius uerba uelut in ſacroſancta & æternæ ueritati ſubnixa oracula iuratum in hunc usque diem eſt. Noſtrum itaque opus fuerit hic una cum Iuſtino in ea, quæ Ariſtoteles pro ueris tradidit, ita animaduertere, ut plane cognoſcatur, ſummum toti orbi terrarum diſpendium, niſi obſtitiſſet prouidentia, fuiſſe ex eius doctrina naſciturum. Vnde enim factum eſt, ut dubitetur de diuina & particulari cum in omnia & ſingula cetera, tum maxime in hominem prouidentia, ſimiliter de animorum immortalitate, niſi ex falſitate & ambiguitate propoſitionum Ariſtotelis. Ad hæc eo impietatis profecti ſunt multi, ut quod publice iſti non auderent, ob legum ſeueritatem, ſub ipſius nomine auſi ſint profiteri, ut proximis iſtis annis perditiſſimus (*) quidam nebulo Pomponatius cum ſum-*

(*) Quod de Pomponatio Poſtellus iudicat, id Morhoffius loco, paullo ante laudato, ad uerbum deſcribit, & *memorabile* dicit, *neque adeo a uero alienum.* Sunt uero, qui Pomponatium

ſummo Italiæ probro auſus ſit, ſcriptis etiam ſummis Pontificibus oblatis, & tantum non ſuaſis, conari, ut ex Ariſtotele demonſtraret mortales eſſe animos: & ita illa bellua inualuit in ea impietate, ut etiam in gloria ponant quidam Pariſiis eius doctrinæ interpretes, ſe Perreti aut Pomponatii eſſe diſcipulos. Et poſt alia: *Fatentur autem plurimi, qui alioqui uolunt uideri magis æqui rerum humanarum æſtimatores, & Ariſtoteli etiam ſummis præfationibus fauentes, in eo auctore, eiusque etiam præſtantiſſimis rationibus ineſſe multum ueneni, hoc eſt falſi, cum dicunt nullo modo debere ſacra rationibus humanis, & potiſſimum Ariſtotelicis corroborari: In qua aſſeueratione etiam latet ſumma impietas. Vt enim toto errant cœlo, qui Ariſtotelem mordicus tutari uolunt, & illum non fuiſſe paſſum humana aſſerunt, & ſic ipſum*

natium excuſatum eunt, ſibique iuxta ac aliis perſuadere cupiunt, Pomponatium ſaltim negaſſe, animæ immortalitatem ex naturæ lumine adſtrui poſſe. Qua in ſententia nihil, quod ὀρθοδοξίαν lædat, reperiri contendunt, quippe quam etiam nonnulli ex Theologis, nulla alicuius ἑτεροδοξίας ſuſpicione oneratis, ſuam facere non ſunt ueriti. Sed hic ad mentem, qua talia diſputantur, attendendum pariter erit. Notum namque eſt, huius furfuris homines, mentem callide tegere & multa ſubdole proponere. Teſtor, ne de aliis dicam, Iulium Cæſarem Vaninum.

ipſum hominem Deo & ſacris præferunt: ita e contrario qui rationi rectæ & æternæ repugnare humanam & omnibus gentibus, populis, hominibus, temporibusque cognitam ueritatem affirmant, illi aut duo ponunt principia, unum bonum & auctoritatis ſacræ fundatorem, & alterum malum rationis humanæ principem, aut contra; aut quod crediderim & uerißimum eſt, nullum ſacrorum præſcriptum eſſe uellent. Quia quod rationi repugnat, Deo repugnet neceſſe eſt. Deus autem ab æterno inſtituit, hac in re ſua uoluntate omnino indefraudabilis, ut recta ratio pro lege æterna haberetur. Cum itaque ſit unus tantum Deus & auctoritatis legitimæ & rationis rectæ auctor, eſt omnino neceſſarium, ut omne uerum uero conſonet, hoc eſt uerum auctoritatis legitimæ, & uerum rationis rectæ. Deus itaque uoluit, ut ſupereſſet eo usque Ariſtoteles, donec duce ipſa Schola Pariſienſi, aut doctrina ſcholaſtica, tota (quatenus Eccleſiæ fuit in hanc diem cognitu neceſſaria & intelligibilis) ſacrorum auctoritas innumeris rationibus in utramque partem diſcuſſa ſpoliaret Ariſtotelem illis uirtutibus, quæ in ipſo liquidæ erant, eo quod ueritas a quocunque dicatur, a Spiritu Sancto eſt & ſemper diuina. Vt tandem poſt reſolutiones ipſas ſacrorum ipſe Ariſtoteles omnino neglectus iaceret, & præſtantiori diuinæque tractationi daret locum. Hæc ille, qui quamuis ſuos næuos, & non ferenda quædam deliria habuerit, in hoc tamen a ueteribus Eccleſiæ magiſtris, quos capite II. affluenter retulimus, non diſce-

diſcedit. Fuerunt (*) quidem, qui Poſtelli errores per certa capita digeſſerunt, ſed quæ tangunt Ariſtotelem, in illorum numero minime collocarunt. Iacobus Galterius hoc egregie præſtitit in tabulis Chronographicis, quibus Eccleſiæ Catholicæ ſtatum deſcripſit: Sed non ſatis capio, cur uir Theologus hæreticis (**) accenſuerit Guillelmum Poſtellum, quem cum ex Bellarmino & appendice ad Genebrardi Chronographiam, tum ex aliis certo nouerat Catholicæ communionis participem (***) obiiſſe. Non omnis enim, qui errores docet, dicendus eſt hæreticus, ſed qui pertinaciter, uincendi ſtudio, & ſeorſum ab Eccleſia docet. Si quis autem Poſtellum ita commendare uellet, ut commendari non poſſet magis, ſufficeret ea notare quibus inſtitutum de illo ſermonem Galterius concludit: *Vbi* (Lutetiæ) *& ipſe anno MDLXXVIII. docentem audiui tanto auditorum, quaſi ad rediuiuum*

(*) Hoc de Poſtello teſtimonium deſcripſit, & Galliæ Orientali inſeruit Paulus Colomeſius, Vid. eius opera, iunctim a Cel. Fabricio ed. p. 64. ſq.

(**) Angelus del Pas Perpinianenſis Monachus, in Symbolum p. 622. ut eſt apud Colomeſium. p. 65. *Inter Hæreticos Poſtellani ſunt a Wilh. Poſtello, Barentonio.*

(***) Ea de re nihil habet Thuanus, qui potius retractationem errorum, a Poſtello factam, ſimulatam fuiſſe credidit. Idem credunt & alii.

uum & inuſitatæ ætatis doctorem accurrentium numero tantaque ingenii, doctrinæ multiplicis ac memoriæ demonſtratione, ut uix credi poſſit, dixeritque aliquando uir acri iudicio Maldonatus illum allocutus, mirari ſe talem in mundo uirum exiſtere, cuius utique quot uerba, tot eſſent apophthegmata.

Melchioris Cani de multis quæſtionibus in Theologia tractari ſolitis cenſura.

Verum enimuero licet Canus id non præſtiterit, quod optaſſem ab illo præſtari: id tamen in libri IX. de locis Theologicis capite VII. præſtitit, quod ad propoſitum illud accedit. Adſcribo uerba illuſtriſſimi Doctoris: *In hoc tamen diſciplinarum genere, Theologiæ Profeſſoribus & honeſto & neceſſario, duo illa uitia maxime uitanda ſunt, quæ Cicero commemorauit. Vnum, ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus. Qua in re etiam in Theologia multa peccantur. Vt illi, qui D. Thomæ Scotique opiniones vel indiſcuſſas amplectuntur, proque his non aliter pugnant, ac pro aris & focis. Quamuis autem qui nihil certo comprehendi poſſe exiſtimarunt, multa illi abſurde dixerint, hoc præclare tamen, debere ſapientem ea, quæ ſibi probabilia uiderentur, ſequi; quæ contra, improbare, atque affirmandi arrogantiam uitantem fugere temeritatem, quæ a ſapientia diſſidet plurimum. Sed hoc uitium effugere qui uolet, non ſatis eſt, ſi ad res conſiderandas adhibeat & tempus & diligentiam, niſi ad ea etiam quæ ignorat, a doctiſſimis quibusque interroganda adhibeat & curam & modeſtiam.*

Et poſt alia: *Præclare autem cum eo agetur, cui præceptor contigerit & eruditus & pius: qui cum certa ab incertis ſeparet, tum uanis quæſtionibus declinatis utiles & neceſſarias ſcligat, doceatque diſcipulos eſſe quandam doctam, ut ita dicam, ignorantiam, ſapientiusque eſſe, quædam neſcire, quam ſcire.*

Alterum enim eſt uitium, quod quidam nimis magnum ſtudium multamque operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, easdemque non neceſſarias. Quo in genere multos etiam e noſtris peccaſſe uideo, ut eas quoque quæſtiones latiſſime perſequerentur, quibus Porphyrius abſtinuit, homo impius, ſed in hac re prudens tamen, ut Platonis Ariſtotelisque diſcipulum poſſis agnoſcere. Qui nec quicquam niſi opportunis & loco & tempore tractauere, nec quæſtiones ullas perſecuti ſunt, quæ iuuenum ingenia obruerent, non iuuarent. Noſtri autem Theologi importunis uel locis longa de his oratione diſſerunt, quæ nec iuuenes portare poſſunt, nec ſenes ferre. Quis enim ferre poſſit diſputationes illas de uniuerſalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de principio indiuiduationis, (ſic enim inſcribunt) de diſtinctione quantitatis a re quanta, de maximo et minimo, de infinito, de intenſione & remiſſione, de proportionibus & gradibus, deque aliis huiusmodi ſexcentis, quæ ego etiam, cum nec eſſem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis & diligentiæ adhibuiſſem, animo uel informare non poteram. Puderet me dicere non intelligere, ſi ipſi intel-

intelligerent, qui hæc tractarunt. Quid uero illas nunc quæſtiones referamus: Num Deus materiam poſſit facere ſine forma, num plures angelos eiusdem ſpeciei condere, num continuum in omnes ſuas partes diuidere, num relationem a ſubiecto ſeparare, aliasque multo uaniores, quas ſcribere hic nec libet nec decet, ne, qui in hunc forte locum inciderint, ex quorundam ingenio omnes Scholæ auctores æſtiment. Iuſtiſſima eſt eruditi & pii Theologi querela, cum hinc notat nonnullos eiusdem ſecum profeſſionis homines, quibus uel in docendo Porphyrii ſobrietas diſplicuerit (qualem hominem ſuis uincunt inuentis & argutiis;) inde concinnat ſyllabum paucarum de ſexcentis quæſtionibus, quas in Scholis Theologiæ perenni obrui ſilentio, quam otioſiſſima occupatione uentilari præſtaret. Auguſtinus diceret, non doctrinæ uitium eſſe, ſed docentium. Sic enim Sanctus Doctor ad Marcellinum ſcribit epiſt. V: *Poſſem ſimilia uel fortaſſe etiam grauiora de Imperatoribus non Chriſtianis & ego commemorare, ut intelligerent uel hominum hæc eſſe uitia, non doctrinæ: uel non Imperatorum, ſed aliorum, ſine quibus Imperatores agere nihil poſſunt.* Recte igitur & appoſite Canus omnia, niſi forſan beati Thomæ opportunitatibus nonnihil metiri uideretur. Sed aperte ſentire timuit, contra quam ſentit uulgus Theologorum Ordinis ſui. Non enim ſemper licet, nec tutum eſt etiam in iis, quæ explorata ſunt, uel exploratu facilia, ſupra captum cuiuscunque uulgi ſapere & pronunciare.

Ioannes Maldonatus de inſtituendis Theologiæ diſputationibus præcepta tradit.

Ioannes Maldonatus illuſtris e Societate Ieſu Theologus Melchiorem Canum ſequitur, in oratione quam anno MDLXXIV. Lutetiæ pro ſcholis habuit in Claromontano ſocietatis ſuæ Collegio. In hac igitur oratione, quæ ſine dubio grauiſſima, & neruoſiſſima eſt, quibus modis habendæ ſint diſputationes Theologiæ, ita docet: *Audite nunc dum doceo, quibus de rebus diſputari debeat: quia in re primum præceptum eſſe uelim diligenterque ab omnibus ſeruari, ut nemo quicquam in ulla arte, niſi quod uerum aut probabilius eſſe putet, ad defendendum proponat. In quo multos aut peruerſitate ingenii, aut ambitione, aut imprudenti exercitationis ſtudio errare uideo. Ea enim ſæpe defendunt, quæ falſa eſſe neque ignorant neque priuatim interrogati negant. Quodſi oſtentandi ingenii cauſa faciunt, ut ſolent plerique dicere, intelligant ſe non acumen ingenii, ſed peruerſitatem oſtentare, peruerſi enim eſt ingenii & imprudentis aliquid contra quam ſentiat etiam uoce aut quacunque alia de cauſa defenſare.* Et poſt alia: *Alterum præceptum eſt, ut nunquam de rebus quæ pietatem lædere uel minuere poſſe uideantur diſputemus, niſi ipſa fortaſſe aliquando pietas a nobis poſtulet, ut ſe cum aliquo ſuo periculo minore a maiore periculo liberemus. Quapropter nolim equidem eas quæſtiones in Theologicis Scholis unquam audiri, an corpus Chriſti po-*

uerit

uerit eſſe in Euchariſtia ante incarnationem eodem modo, quo nunc eſt, an filius Dei fieri potuerit fœmina, an potuerit aſſumere naturam neſcio quam, quam pudet me ſane nominare: deinde rebus aut inutilibus aut alienis aut ridiculis abſtinendum eſſe cenſeo. Diuus Auguſtinus, quem merito Theologi tanquam optimum magiſtrum ac ducem ſequuntur, curioſam & ſuperuacaneam quæſtionem uocat, quomodo corpus Chriſti in cælo locatum ſit; imprudentem uero, an Diuus Paulus una cum corpore in tertium cœlum raptus ſit; inutilem & hominum imprudentium, qua figura ſit cœlum? quæ tamen omnia non omnino a diuinis literis alieni uideri potuerant. Quid ſi nunc in frequentiſſimis ac celeberrimis Theologiæ Scholis, ubi nihil uideri, nihil audiri niſi ſapientiæ, niſi grauitatis, niſi pietatis, niſi utilitatis plena oportebat, magnis nos clamoribus altercantes uir ſapientiſſimus audiuiſſet: an in materia ſint rationes ſeminales? an materia ſit principium indiuiduationis? an elementa maneant formaliter in mixto? an caritas augeatur per additionem gradus ad gradum? an per maiorem radicationem in ſubiecto? Quid ſi illa ridicula? an Sacramenta ſint in aliquo prædicamento? an aſinus poſſit bibere baptiſmum? quid, inquam, uir prudentiſſimus dixiſſet, niſi nos magno cum clamore atque contentione tempus perdere, quod ad minimam partem earum rerum comprehendendam, quæ non ſolum utiles ſunt, ſed etiam neceſſariæ, ſi multo longiorem haberemus uitam, minime ſufficeret:

 ſiceret:

ficeret: quid, inquam, dicere potuiſſet, niſi quod de Sophiſtis ſapienter dixit, ualde eos ſerio & ſubtiliter delirare. Non eſt Theologia mea quidem ſententia ita tractanda, ut hæreticis riſum moueat, ſed ita ut terrorem incutiat: maleque de ea mereri mihi uidentur ii, qui dum eam maxime augere & amplificare iſtis non neceſſariis uolunt, maxime ridiculam faciunt. Non refert quam longa, quam lata, quam ſubtilis habenda ſit; ſed refert, quam uera, quam utilis Eccleſiæ, quam grauis, quam fortis, quam hæreticis formidabilis. Hæc ille, qui cum reliquis animi uirtutibus, tum acri iudicio & ſingulari prudentia ualuit. Ceterum hæc oratio cum aliquot aliis & multis ad diuerſos epiſtolis, extat in codice, qui auctoris manu holographa exaratus aſſeruatur Lutetiæ in Bibliotheca Puteana.

Idem Tomo II. de Pœnit. part. III. de natura pœnit. in reſponſione ad quandam de tribus pœnitentiæ partibus obiectionem. *Reſpondeo ſenſum Eccleſiæ non eſſe reuocandum ad regulas Philoſophorum, ſed potius ad uulgarem & communem loquendi conſuetudinem. uocat ergo tres partes pœnitentiæ, non quod intelligat eſſe partes ſicut materia & forma ſunt partes rei naturalis: nam ſi ita loqueretur, non tantum tres partes, ſed etiam quatuor debebat facere, numerans etiam abſolutionem; ſed uocat Eccleſia potius partes pœnitentiæ, id eſt, eas qualitates, quas pœnitens adferre debet, ut conſequatur fructum ſacramenti huius.*

Fran-

Franciſcus Roſerius antiquiorum Theologorum expoſtulationes inſtaurat.

Hic auctor erat Tullenſis Archidiaconus, qui librum de ſtemmatibus Ducum Lotharingiæ conſcripſit. In Tomo IV. illius & in hiſtoria capitali LXXII. ueteres de quibusdam ſcholæ Theologis querelas ſic renouat: *Legum ſtudio in uſum reſtituto, multi religioſi ſacræ Theologiæ riuulos e puriſſimis & limpidiſſimis fontibus illorum Patrum manantes in diſputationes, aliasque barbaras interpretationes pluribus anfractibus & ambagibus retorſerunt; adeo ut quod ſincere a piis quæreretur, in quæſtiones futiles recideret, & antiqua Scripturæ claritas ſophiſticis elenchis ſubuerteretur. Hinc illæ lacrimæ, immenſaque hæreſeon deliria, quæ tot ampliſſimas regiones noſtro hoc tempore calamitoſo infecerunt.* Sophiſticos elenchos intelligit, qui apud Ariſtotelem habentur, multiplices illas & tortuoſas argumentationes intelligit, quæ ex illius Philoſophia depromuntur.

Franciſcus Patricius Gregorio XIV. ſuadet, ut e ſcholis Chriſtianorum tollatur Ariſtotelis Philoſophia.

Hic auctor (*) celebris in Romano Gymnaſio

(*) Franciſcus Patricius, Venetus, totus in eo fuit, ut omni philoſophiam Peripateticam autoritate exueret. Teſtes eius rei eſſe poſſunt Tomi IV. Diſcuſſionum Peripateticarum, Baſileæ

Profeſſor, in epiſtola, qua nouam ſuam Philoſophiam uniuerſalem Gregorio XIV. nuncupat anno MDXCI. ablegandam eſſe e Chriſtianorum ſchola Philoſophiam Ariſtotelis ſic proponit: *Cur ergo, Pater Sanctiſſime, ſperare non debeam, quin tu primus, quando Philoſophiæ iſtæ tam piæ, te ſummo*

ſileæ, A. R. S. cIↄ IↄXXCI. impreſſi, in quibus, quicquid dici in Ariſtotelem poteſt, ſummo collegit ſtudio. Sed non approbauit omnibus ſuos conatus, utut diligentiam, quam in euoluenda huius philoſophiae hiſtoria præſtitit, dignis proſequantur laudibus. Io. Ionſius, de Script. Hiſt. Ph. L. III. c. XX. *Audacis homo ingenii* uocatur, *qui ut nomen ſibi compararet, Ariſtotelis philoſophiam refutandam ſibi ſumpſerit.* Et in opere ipſo, quod *ſuperbum* appellitat, *diligentiam* quidem eius *ſe laudare, ſed iudicium deſiderare, ac audaciam improbare* diſerte profitetur. Neque aliter paſſim in ſuo Polyhiſtore de Patricio Morhoffius iudicat. Legatur ſaltim T. II. L. I. c. VIII. p. 44. Ipſe Ianus Nicius Erythræus, qui uitam Patricii expoſuit, laborem ab eo contra Ariſtotelem inſumptum, *prope inutilem*, *ac ſuperuacuum* nominat. *Quid enim*, inquit, in Pinacoth. P. I. p. m. 204. *tam inutile eſt, quam ſi conuellere adoriaris ea, quæ commoueri non poſſunt? quid tam ſuperuacaneum, quam ſi uelis nouam & anguſtam ad id ſemitam facere, ad quod latiſſima mul-*

mo animorum Paſtore præſidente, ac Chriſti uices in terris gerente partim natæ ſunt, partim renatæ, tuoque nomini ac numini conſecratæ ac commendatæ, tu quoque eas libentiſſime ſuſcipias ac iubeas, atque horteris & te imitari, reque ipſa admoniti ſucceſſores omnes tui patiantur etiam ac uelint, ut in omnibus ditionis tuæ & Romæ præſertim ac reliquis Chriſtiani orbis Gymnaſiis, cœnobiisque harum a-

multorumque trita itineribus uia cernatur? Altius Ariſtotelis auctoritas radices egit, quam ut cuiusquam uim impetumque pertimeſcat: uiget, ſemperque uigebit, hominis diſciplina; tantumque quis exiſtimabitur ſcire, quantum ex doctrinæ eiusdem fontibus hauſtum, intelligentia comprehenſum habuerit. Ac nemo, cui cur ſapiat, non ſatius eſſe ducet in iis, quæ ad philoſophiam pertinent, cum Deo, ut ita dicam, philoſophorum errare, quam cum aliis recte ſapere, minorum gentium magiſtris: Itaque ille, omnibus in gymnaſiis, ad ſapientiam properantibus, Dux ſemper habebitur, ille Theologorum quaſi militiæ, aduerſus religionis noſtræ hoſtes, definitiones, argumentorum copiam, & alia præclare dicta multa, tanquam amentatas haſtas elargietur, quas illa theologicis lacertis ac uiribus de cœlo ſuppeditatis, torqueat, ac uibret: noua uero Patricii Philoſophia, quantumuis egregia, uix locum in eruditorum bibliothecis inueniet, quam illi, animi cauſa, cum eſt ocium, legant, & in admirationem ipſius ingenii ſuſpiciant.

liqua publice legatur Philoſophia, quæ ingenti futura ſit adiumento ad Chriſti fidem fouendam, tuendam, ac per reliquum nondum Chriſtianum orbem propagandam. Quippe quæ rationibus firmet ea, quæ ſola ratio firmare poteſt. Cur Ariſtotelis Philoſophiæ ea prælegantur partes, quæ magis & Dei & Eccleſiæ ſuæ ſunt hoſtes. Piæ hæ adiutrices nullo ſunt in numero. Et quibuſdam interpoſitis: *Deus bone, quam ſacroſancta, quam admiranda eſt apud Damaſcenum, opere de Principiis, de Deo, de Trinitate, de diuinis ordinibus Philoſophia! Platonicos hoſce Philoſophos (quos antea nominauit) Diuus Auguſtinus Theologorum columen & culmen, Philoſophorum omnium nobiliſſimos ſemper in ore habet, & ceteris omnibus anteponit. Ariſtotelicam, prô nefas, manifeſtiſſimam impietatem eis præferunt, ſed præferunt ignorantia. Profecto Theologi ueteres omnes, qui & ſacroſanctæ fidei iecerunt fundamenta, & Eccleſiam alte extruxerunt, Diuus Dionyſius, Iuſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyrillus, Baſilius, Euſebius, Theodoretus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus, Ambroſius, alii plerique omnes, quia ſcirent paucis mutatis Platonicos facile Chriſtianos fieri poſſe, (Auguſtini uerbis utor) Platonem eiusque ſectatores hoſce Philoſophos reliquis omnibus antetulerunt, Ariſtotelem non niſi cum infamia nominarunt: quadringentis uero abhinc circiter annis Scholaſtici Theologi in contrarium ſunt annixi, Ariſtotelicis impietatibus pro fidei fundamentis ſunt uſi. Excuſatos eos habemus, quod Græcas literas neſcirent, illos cognoſcere non potu-*

potuerunt. Non uero eos excuſamus, quod impietate pietatem adſtruere ſint conati.

Deinde in opuſculo quodam, cui nomen eſt *Ariſtoteles exotericus : Sed quoniam*, inquit, *eorum ſectatores, quia in tanta apud eos Ariſtotelem uident exiſtimatione, Platonem autem ne nominatum quidem eſſe, in Ariſtotelem ſolum omnibus ſtudiis feruntur. Neque tamen animaduertunt, ſeſe magnam imbibere impietatem. Operæ pretium eſt huic malo ut ſuccurramus, et ita dicimus Ariſtotelis Philoſophiam myſticam, quam ipſe e Platonis ore hauſit, quoniam haud multum a fide Catholica diſcrepat, & uti Philoſophiam nos maxime probare; exotericam autem, quia Catholicæ fidei ſit maxime aduerſa, et quia Philoſophiarum omnium ſit inconſtantiſſima, et ſibi ipſi repugnans maxime, et omnium falſiſſima, tantum in eo potuit odium contra Platonem, ut quid diceret, nihil conſiderat nos auerſari, quod partim Tom. III. et Tom. IV. diſcuſſionum Peripateticarum oſtendimus clariſſime, partim uero quantus ſit Catholicis traditionibus aduerſarius, et hoſtis, et quantus eisdem ſit amicus Plato.* (*) *Sunt autem loca aliquot conferenda. Conferamus ergo præcipua fidei noſtræ ſacroſanctæ capita, ut poſthac ſcholaſticorum iſtorum Theologorum ſectatores cognoſcant, quan-*

(*) Tantus in Platonem Patricii eſt amor, ut non dubitet illum nominare *uenerabilem uirum, ſanctum ſenem, ſanctiſſimum ſenem* in Diſcuſſ. Peripat. Tom. III. Lib. IV. p. 313.

quantum amicum odio proſequantur, et quantum hoſtem adament, admirentur, et in eius uerba iurent.

I. Plato multis locis, ſed præcipue in Sophiſta, in ſexto de Republica, et in Parmenide adſtruit Deum eſſe unum. Ariſtoteles unum primum motorem, ſed et LVI. alios Deos orbium coeleſtium motores ſtatuit. Deinde I. de coelo cap. IX. ait ſupra extimum cœlum multa eſſe ordinata, a quibus pendeat aliorum eſſe et uiuere, et quæ beatiſſimam degant uitam. Igitur Ariſtotelis Philoſophia exoterica nulla eſt mundi monarchia, ſed uel Polyarchia, uel Anarchia, quas Diuus Gregorius Nazianzenus magnopere impugnauit.

II. Plato in II. epiſtola tres nominat reges, tria ſcilicet rerum principia, nimirum Deum Trinum et Vnum.

Ariſtoteles in ſua uel Anarchia uel Polyarchia perſiſtit.

III. Plato ſummum Deum Patrem appellat in Timæo & epiſtola VI.

Ariſtoteles nullum agnoſcit Patrem Deum.

IV. Plato Deum eſſe ſimpliciſſimum affirmat. I. de Republica.

Ariſtoteles ζῶον animal eum facit XII. Metap.

V. Plato, Deus eſt Summum Bonum, inquit VI. de Republ.

Ariſtoteles ut bonum orbe primo expeti, XII. Methaph.

VI. Plato, Deus eſt ſapientia ſumma, V. de Republ.

Ariſto-

Ariſtoteles, Deus eſt Intellectus, ſed ignorat particularia, ibid.

VII. Plato, Deus eſt Omnipotens, Timæo.

Ariſtoteles, nihil poteſt, præterquam cœlum mouere.

VIII. Plato, Deus incorporea entia omnia fecit, Philebo, Sophiſta, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus nihil fecit, neque facit, ſedet ſolum in cœli culmine, II. de cœlo.

IX. Plato, Deus mundum corporeum fabrefecit, Timæo.

Ariſtoteles, Deus non fecit mundum qui æternus eſt, I. cœli.

X. Plato, Deus mundum fecit ex nihilo, quia ex nulla materia praecedente, quàm èt ipſam creauit, Timæo.

Ariſtoteles, ex nihilo nihil fit, I. Phyſicorum.

XI. Plato, Deus mundum fecit ante tempus, Timæo.

Ariſtoteles, mundus et tempus ſemper fuere, Phyſ. II. & I. de cœlo.

XII. Plato, mundus, quia corpus, finitam habet potentiam, Timæo.

Ariſtoteles, mundus & cœlum infinitam habent potentiam ſeſe mouendi, I. de cœlo & XII. Metaphyſ.

XIII. Plato, mundus & cœlum, quia corpora finita, finitam habent motus actionem.

Ariſtoteles, cœlum eſt quidem corpus, ſed actio eius motus infinitus eſt, VIII. de cœlo, & XII. Metaphyſ.

XIV.

XIV. Plato, quia cælum & mundus corpora finita ſunt, & potentiam & actionem finitas habent ſui natura, & eſt corruptibile, Timæo.

Ariſtoteles, neque coelum, neque mundus ſunt incorruptibilia.

XV. Plato, quia mundus ſui natura eſt incorruptibilis, corrumperetur aliquando, niſi Deus eum ſeruaret, Timæo.

Ariſtoteles, mundus non corrumperetur, neque Deus eum ſeruat, ſed cœli motus, VIII. Phyſic.

XVI. Plato, Deus eſt ſupra omne ens, & ſupra omnem eſſentiam, Sophiſta, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus eſt ſubſtantia, Metaph.

XVII. Plato, Deus eſt ſupra omnem intellectum, VI. de Republ.

Ariſtoteles, Deus eſt Intellectus, XII. Metaph.

XVIII. Plato, Deus nec mouetur, neque mouet, I. Republ.

Ariſtoteles, Deus quidem non mouetur, ſed primum cœlum mouet, VIII. Phyſic. XII. Metaphyſ.

XIX. Plato, Deus omne corpus ſupereminet. Soph. Timæo, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus in cœli culmine ſedet, II. de cœlo.

XX. Plato, Deus eſt ab omni corpore liber. Soph. Timæo, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus primo Orbi eſt alligatus, VIII. Phyſ. I. de cœlo.

XXI. Plato, Deus uniuerſi prouidentiam habet, de regno & alibi. Ariſto-

Ariſtoteles, Deus a cœlo tantum expetitur, XII. Metaphyſ.

XXII. Plato, Deus omnia nouit, I. & II. Alcib. & alibi ſæpe.

Ariſtoteles, non cognoſcit particularia, XII. Metaphyſ.

XXIII. Plato, Deus mundum regit uniuerſum & partes eius, de regno & Timæo.

Ariſtoteles, non Deus, ſed natura, caſus & fortuna regunt mundum. II. Phyſ.

XXIV. Plato, Deus in regimine mundi utitur miniſtris, minoribus Diis, Timæo.

Ariſtoteles, Deus neque regit mundum, neque miniſtros habet, VIII. Phyſ. & I. de generatione.

XXV. Plato, in mundo ſunt dæmones, Sympoſ. Tim. & alibi.

Ariſtoteles, nullibi hos agnoſcit dæmones.

XXVI. Plato, Deus animam uniuerſi produxit, Timæo.

Ariſtoteles, Deus non produxit animam ullam uniuerſi, ſed coelum tantum eſt animatum et aſtra.

XXVII. Plato, Deus produxit animam humanam, Timæo.

Ariſtoteles, eſt actus corporis, hoc eſt e materia educta, II. de Anima.

XXVIII. Plato, anima humana diuina eſt quædam forma, Phædro & alibi.

Ariſtoteles, anima eſt forma corporis, Phyſ. II. de Anima.

XXIX

XXIX. *Plato, anima humana eſt immortalis, Phædro, Phædone & alibi.*

Ariſtoteles, ut forma corporis, anima eſt mortalis.

XXX. *Plato, animæ connatus eſt intellectus, Phædro, LXI. de Rep. Timæo.*

Ariſtoteles, intellectus de foris uenit, II. de animalium generatione.

XXXI. *Plato, anima a corpore ſeparatur, Phæd. & alibi.*

Ariſtoteles, anima a corpore non ſeparatur, quia eius eſt forma.

XXXII. *Plato, anima diuino afflatur ſpiritu & futura prænuntiat. Apol. Phædro.*

Ariſtoteles, anima humore melancholico prædicit, de diuinit. per ſom. & problem.

XXXIII. *Plato, hominis felicitas eſt, quando Deo fit ſimilis, I. Alcib. Theat.*

Ariſtoteles, homo bonis fortunis fit beatus. Moral.

XXXIV. *Plato, hominis felicitas a Deo uenit, I. & II. Alc. Men. Theage.*

Ariſtoteles, homo ex ſuis bonis actionibus & ſuo arbitrio fit felix.

XXXV. *Plato, Deus eſt precandus, ut nos beatos efficiat, II. Alcib. ſæpe alibi.*

Ariſtoteles, Deus particularia non intelligit, ergo non precandus.

XXXVI. *Plato, ueniet homo qui nos Deum precari doceat. hic Chriſtum innuit.*

Ariſto-

Ariſtoteles, preces omnes fruſtraneæ, quia Deus non intelligit particularia.

XXXVII. Plato, bonus uir Deo ſemper charus, Eutyphr.

Ariſtoteles, particularia Deus non intelligit, nec preces audit, nec hominem ullum amat.

XXXVIII. Plato, bonus uir poſt mortem Deo fruetur, Phæd. I. de Republ.

Ariſtoteles, poſt mortem nulla uoluptas.

XXXIX. Plato, animæ poſt mortem purgantur, Phædro, Timæo.

Ariſtoteles, animæ in corpore pereunt.

XL. Plato, animæ malorum poſt mortem pœnas dabunt, Phædro, Tim. Phæd.

Ariſtoteles, animæ in corpore corruptæ nihil patientur.

XLI. Plato, homines mortui reſurgent, X. de Republ.

Ariſtoteles, a priuatione ad habitum non ſit regreſſus.

XLII. Plato, bonæ animæ beatum locum poſſidebunt, Phædone.

Ariſtoteles, nullus eſt talis locus.

XLIII. Plato, & corpus & animæ malorum in inferno cruciabuntur, Phædro, X. de Republ. Phædone.

Ariſtoteles nihil tale nouit.

Quæ quidem omnia capita & plura etiam alia non pauca, quæ colligere poteſt quisque paulo diligentior, cum Platonica ſint & Philoſophice ueriſ-

ſima, & cum fide Catholica conſona: Ariſtotelica uero & fidei aduerſa & Philoſophice falſiſſima, quis iam uel tam impius erit Chriſtianus, uel tam bardè Philoſophus, qui Platonem & pietatis & Philoſophiæ ergo Ariſtoteli non præferat? quæ res cum ad Chriſtianam fidem maxime conferat, & ad Philoſophicam ueritatem faciat maxime, cur non poſthac in omnibus Europæ gymnaſiis publicis? cur non in monachorum cœnobiis Platonis lectio ſtudiumque introducetur? cur non Ariſtotelis exoterica philoſophia ex hiſce locis in exilium amandabitur? quid enim opus amplius habebunt ex ea impietate tam mortiferum uenenum bibere, quo ueluti lethargo anima in Dei cognitione obdormiat? anima nunquam lethali hoc ſomno expergiſcatur & in æternos damnetur cruciatus.

Publicus cenſor hæc probauit eatenus, ut minime negaretur, Ariſtotelis Philoſophiam eſſe ancillam Theologiæ: bene res ſe habet, ego non renuo: ſed quæ unquam honeſta mulier uellet ancillam habere talem, qualem Patricius deſcribit, Lais forſan haberet, Lucretia, opinor, non haberet. Quicquid id eſt, Philippus Melanchthon & alii ſuperioris ſæculi ſcriptores, qui ſeorſum a nobis per religionem ſentiunt, nec grauiora nec duriora dè Ariſtotele, quam Patricius, dixerunt.

Fuere tamen noſtris temporibus, qui quæ in Patricio non culparunt, in Melanchthone culparint: ſed iſta ſunt partium ſtudia, quæ nec Chriſtianum hominem, nec alium amantem ueritatis quemlibet decent: uerum a quocunque dicatur,

ſem-

ſemper uerum erit, & rectum a quocunque decernatur, ſemper rectum erit; ſed Melanchthon ex Romana Eccleſia exire non debuit, ut e Scholis Theologorum Ariſtotelem abigeret, neque qui in Romana remanſerunt Eccleſia, damnare Melanchthonem debent, quod Ariſtotelem e Scholis Theologorum abigere uoluerit: ſed quod cum abigere uoluerit, matrem Eccleſiam deſeruerit, & antiquam fidem nouitate praua conturbarit.

Ioannes Bodinus refertur, & Ariſtoteli opponitur.

Hic (*) auctor ſcripſit uniuerſæ naturæ Theatrum, in quo Ariſtotelem in pluribus locis refellit, & maxime in libro I. Verba ſunt: *Theorus. Quid eſt motus. Myſtagogus. Eſt actus agentis in*

T 2 *mobili*

(*) Hoc Theatrum eodem, quo diem ſuum obiit, anno in publicum emiſit. Morhoffio in Polyh. T. II. L. II. c. II. p. 160. minus illud probatur. Alii ab ingenio iudicioque commendant Bodinum. Vtrumque tamen, dum nimio innouandi pruritu laborat, non raro illum deſtituit. Inprimis ingenii dotibus abutitur turpiter, ſi quando in explicandis rebus, ad religionem pertinentibus, occupatur. Teſtor ſaltim famoſum iſtud Colloquium, de Abditis rerum ſublimium arcanis, cuius hiſtoriam, & impietatem, iuſtis ſuffultus præſidiis, Venerandus noſter, & πολυμαθέστατος D. Dieckmannus explicauit in exquiſita de Naturaliſmo Badini Diſſertatione.

mobili paſſo. Th. Cur non definias actum entis in potentia, ſecundum quod huiusmodi. M. Hæc quidem eſt Ariſtotelis definitio, quæ multo eſt obſcurior motu ipſo, cum tamen in re definienda nihil perſpicuitate commodius eſſe poſſit: eoque magis, quod Ariſtoteles reiectis omnibus omnium, qui de motu ſcripſerunt, ſententiis difficillimum eſſe dixerit intelligere quid ſit motus: unde tamen innumerabiles de natura quæſtiones explicari oportet.

Th. Cur hæc tanta obſcuritate inuoluit. M. Id ab eo dedita opera plerique factum opinantur, ne quis arcana in naturæ theſauris abdita reſeraret, ut ex eius ad Alexandrum Magnum epiſtola intelligitur. Cum enim Alexander libros Φυσικῶν ἀκροαμάτων *peruulgatos quereretur, repoſuit illud, ſic editos, quaſi editi non eſſent. Quod iampridem ab Heraclito didicerat, cuius libri de natura, tam obſcure ſcripti ferebantur, ut Plato diceret, natatore Delio ad eorum explicationem opus eſſe. Ad hoc enim diſcipulos erudiebat, cum illud ſæpius ingereret* σκότησον *obſcurus eſto: ſic enim loligo aquam clariſſimam inſito ſibi atramento, ne capiatur, effundit, ne in rebus obſcuris rationem Phyſico defuiſſe, aut falſam allatam eſſe conuinceret. Nam in rebus perſpicuis perſpicuitate uti conſueuit. Th. Videtur tamen definitionem motus exemplis illuſtrare, cum actum & potentiam interpretatur, quando res eadem partim mouetur, partim quieſcit. M. Iſta ratione oppoſita de re eadem ſimul ac ſemel dicerentur: quod Ariſtoteles ſibi obiiciens diuerſa ratione id fieri ſcribit:*

bit: ſed abſurdiora ſequuntur, ſcilicet contradicentia de re eadem ſimul uera eſſe. Scilicet Socrates mouetur, Socrates non mouetur. Etſi enim oculis tantum uidet Socrates, non auribus, uere tamen dicitur, Socrates uidet. Idem iudicandum de motu & quiete, ſi altero pede Socrates quieſcat, altero moueatur. Præterea falſum eſt & quidem omni diſtinctione ſublata, ſagittam emiſſam partim quieſcere, partim moueri, cum tota moueatur ſimul ac ſemel. Ex quibus intelligitur falſum eſſe, motum partim in actu partim in potentia uerſari. Quod item ſcribit generabilis motum eſſe cum generatur, obſcuritatem habet, quia cum motum definiat actum, ſequeretur, actus patibilium eſſe, non agentium: ob id diximus motum eſſe actum agentis.

Deinde in libro IV. de Anima: *Th. Cedo Ariſtotelis definitionem. M. Entelechia corporis naturalis organici poteſtate uitam habentis. Entelechiam autem Heſychius & Plutarchus* ἐνέργειαν, *id eſt, ut Budæus, actum interpretantur. Simplicius uero, Themiſtius & Alexander Aphrodiſienſis* τῦ ἐντελοῦς συνοχὴν, *uel* τὸ ἐντελὲς ἔχειν, *quod Hermolaus Barbarus uertit perfectihabiam. Philoponus uero* ἐντελέχειαν *dici putat* παρὰ τὸ ἓν τέλειον συνέχειν, *id eſt comprehenſio perfectæ unionis: ſed orthographia non patitur hanc interpretationem Philoponi. Eſt autem Ariſtoteli uſitatum obſcurioribus obſcura implicare.* Hæc tum ad ſpecimen, tum ad idoneum Bodini

de Ariſtotelis ingenio & Philoſophia iudicium ſufficiunt. (*)

CAPVT XV.

Septima Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua legendus Ariſtoteles præſcribitur.

ANnus Chriſti uoluebatur milleſimus ſexcenteſimus primus, (**) cum noua Academiæ facta eſt reformatio. Facultatibus illius ſingulis pro-

(*) Bodino iungere poterat Michaelem Montanum, Bodini maxime ſimilem, qui L. II. p. m. 508. *le Dieu de la ſcience ſcolaſtique c' eſt Ariſtote: c'eſt religion de debattre de ſes ordonnances, comme de celles de Lycurgus a Sparte. Sa doctrine nous ſert de loy magiſtrale, qui eſt à l' auenture autant fauſſe qu' une autre.* Non multo poſt reiicit Ariſtotelis de principiis rerum naturalium ſententiam. Et p. 511. de Entelechia Ariſtotelis ita iudicat. *N' oublions pas Ariſtote, ce qui naturellement faict mouvoir le corps, qu'il nomme entelechie: d' une autant froide inuention, que nulle autre* etc. Ceterum de Montano diuerſa ſunt eruditiorum iudicia. Annotauit nonnulla I. F. Buddeus de Atheiſmo p. 150. quibus addatur Paſcal Penſ. p. 171. & Vigneul Marville, Mel. Hiſt. Vol. II. p. 30.

(**) Credo hæc eſſe decreta, quorum Rapinus memi-

propriæ aſſignatæ ſunt regulæ, quarum quæ ad Facultatem Artium pertinent, legendos Ariſtotelis libros ita præſcribunt.

Num. XXXVII. Curſus Philoſophici ſpatium biennio terminetur, quo exacto, Scholaſtici laurea magiſterii inſigniantur.

Num. XXXVIII. Quod ut commode fiat, Philoſophiæ profeſſores intra biennium Ariſtotelis libros ordine infra ſcripto accurate explicent.

Num. XXXIX. Primo anno matutinis horis, libros Logicos interpretentur, a Categoriis ducto initio, quibus ſubiungant librum de interpretatione, & priorum Analyticorum quinque priora capita: mox adiungant octo libros Topicorum, ut formæ ratiocinandi materia proxime cohæreat; poſtremo duos libros de demonſtratione omnium accuratiſſime interpretentur: Porphyrii inſtitutiones initio percurrant & delibent: horis pomeridianis libros Ariſtotelis Ethicos exponant.

Num. XL. Secundo anno Ariſtotelis Phyſica mane interpretentur; poſt meridiem Metaphyſica, ſi fieri poteſt, integram ſaltem horam primum,

meminit, libro, Gallice perſcripto, La Compar. de Plat. & Ariſtot. p. 412. Errat uero, dum ad annum 1611. refert. Nam de illo tacet Launoius, cui ea res ignota eſſe non poterat, cum ad Academiæ tabularium, ex quo hunc librum confecit, liberum haberet acceſſum.

mum, quartum & undecimum libros magna cura & diligentia explicent: hora ſexta matutina Sphæram, cum aliquot Euclidis libris prælegant.

Num. XLI. Ariſtotelis diſputationes aduerſus ueteres Phyſicos, in quibus ingenii ſumma ſubtilitas elucet, accurate examinentur, reiectis inanibus quæſtiunculis, quas olim barbari inuexerant, & ab humaniore politioreque ſæculo exploſas aſperi durique homines non ita pridem refricare & redintegrare ſunt conati.

Num. XLII. Ariſtotelis contextus Philoſophorum, non Grammaticorum, modo exponatur, ut magis pateat rei ſcientia, quam uocum energia.

Atque hæc ſunt, quibus fortuna hæc Ariſtotelis conſtabilitur in Pariſienſi Academia.

CAPVT XVI.

Pauca, ſed contenta paucis multa, in hanc ſeptimam fortunam & illius decurſum obſeruantur.

SVppetunt mihi duo tantum, quæ animaduertantur.

Alterum eſt, hanc Ariſtotelis fortunam maximam, ampliſſimam & florentiſſimam eſſe; maximam quidem, qui Regis auctoritate; ampliſſimam, quia Senatus decreto confirmatur; florentiſſimam denique, quia Pariſienſis Academia Philoſophiam Ariſtotelis docendam in ſe recipit. Al-

Alterum, Doctorem Medicum extitiſſe nomine Sebaſtianum Baſſonem, qui anno MDCXXI. Ariſtotelem aggreſſus eſt, & naturalem illius Philoſophiam & philoſophandi modum quanto potuit ſtudio ac diligentia refellit. De illius ad lectorem præfatione iſtud delibatum imus. *Sed properantem morata eſt Ariſtotelis quæ maxima eſt apud omnes Doctores, auctoritas, quos quanti faciam, quamque de illis æquabiliter ſentiam & reuerenter loquar, intereſt, ut noris, ut quorum documentis magna lux in his tenebris mihi refulſit, eorum auſpicio, ductuque ſcias moliri me quicquid aggredior, meque eorum argumentis ac rationibus, tanquam machinis potentiſſimis inſtructum, magnam muri partem, quem quatio diruturum.*

Hæc enim ſemper fuit ea de illis incredibilis doctrinæ uiris ſententia, ut cum in illis legendis aſſiduus diſſimulare non poſſem pugnas uehementes & multiplices de rebus fere ſingulis inter primarios huius Philoſophiæ patronos ex dictis Ariſtotelis, neque leuiter ſuſceptas, neque facile terminandas: tanti diſſidii cauſam in Doctores illos nunquam reiiciendam putauerim, quos conſtat eſſe grauiſſimos & aſſertoribus plurimis ſtipatos & ſecundum ſua principia rationibus adeo ualidis innixos, ut cui te credas, iudicium ſuperet. Quin plures occurrunt quæſtiones, de quibus uariæ expoſitorum ſententiæ uidentur manifeſtiſſimæ falſitatis aliæ alias conuincere. Verum cauſam diſſidii errorem, erroris uериſimilitudinem agnoſcens, in quonam eſſet hæc ueri ſpecies, uidebam inquirendum. Verebar

quantum amicum odio proſequantur, et quantum hoſtem adament, admirentur, et in eius uerba iurent.

I. Plato multis locis, ſed præcipue in Sophiſta, in ſexto de Republica, et in Parmenide adſtruit Deum eſſe unum. Ariſtoteles unum primum motorem, ſed et LVI. alios Deos orbium coeleſtium motores ſtatuit. Deinde I. de coelo cap. IX. ait ſupra extimum cœlum multa eſſe ordinata, a quibus pendeat aliorum eſſe et uiuere, et quæ beatiſſimam degant uitam. Igitur Ariſtotelis Philoſophia exoterica nulla eſt mundi monarchia, ſed uel Polyarchia, uel Anarchia, quas Diuus Gregorius Nazianzenus magnopere impugnauit.

II. Plato in II. epiſtola tres nominat reges, tria ſcilicet rerum principia, nimirum Deum Trinum et Vnum.

Ariſtoteles in ſua uel Anarchia uel Polyarchia perſiſtit.

III. Plato ſummum Deum Patrem appellat in Timæo & epiſtola VI.

Ariſtoteles nullum agnoſcit Patrem Deum.

IV. Plato Deum eſſe ſimplicißimum affirmat. I. de Republica.

Ariſtoteles ζῶον animal eum facit XII. Metap.

V. Plato, Deus eſt Summum Bonum, inquit VI. de Republ.

Ariſtoteles ut bonum orbe primo expeti, XII. Methaph.

VI. Plato, Deus eſt ſapientia ſumma, V. de Republ.

Ariſto-

Ariſtoteles, Deus eſt Intellectus, ſed ignorat particularia, ibid.

VII. Plato, Deus eſt Omnipotens, Timæo.

Ariſtoteles, nihil poteſt, præterquam cœlum mouere.

VIII. Plato, Deus incorporea entia omnia fecit, Philebo, Sophiſta, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus nihil fecit, neque facit, ſedet ſolum in cœli culmine, II. de cœlo.

IX. Plato, Deus mundum corporeum fabrefecit, Timæo.

Ariſtoteles, Deus non fecit mundum qui æternus eſt, I. cœli.

X. Plato, Deus mundum fecit ex nihilo, quia ex nulla materia praecedente, quam et ipſam creauit, Timæo.

Ariſtoteles, ex nihilo nihil fit, I. Phyſicorum.

XI. Plato, Deus mundum fecit ante tempus, Timæo.

Ariſtoteles, mundus et tempus ſemper fuere, Phyſ. II. & I. de cœlo.

XII. Plato, mundus, quia corpus, finitam habet potentiam, Timæo.

Ariſtoteles, mundus & cœlum infinitam habent potentiam ſeſe mouendi, I. de cœlo & XII. Metaphyſ.

XIII. Plato, mundus & cœlum, quia corpora finita, finitam habent motus actionem.

Ariſtoteles, cœlum eſt quidem corpus, ſed actio eius motus infinitus eſt, VIII. de cœlo, & XII. Metaphyſ.

XIV. Plato, quia cœlum & mundus corpora finita ſunt, & potentiam & actionem finitas habent ſui natura, & eſt corruptibile, Timæo.

Ariſtoteles, neque coelum, neque mundus ſunt incorruptibilia.

XV. Plato, quia mundus ſui natura eſt incorruptibilis, corrumperetur aliquando, niſi Deus eum ſeruaret, Timæo.

Ariſtoteles, mundus non corrumperetur, neque Deus eum ſeruat, ſed cœli motus, VIII. Phyſic.

XVI. Plato, Deus eſt ſupra omne ens, & ſupra omnem eſſentiam, Sophiſta, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus eſt ſubſtantia, Metaph.

XVII. Plato, Deus eſt ſupra omnem intellectum, VI. de Republ.

Ariſtoteles, Deus eſt Intellectus, XII. Metaph.

XVIII. Plato, Deus nec mouetur, neque mouet, I. Republ.

Ariſtoteles, Deus quidem non mouetur, ſed primum cœlum mouet, VIII. Phyſic. XII. Metaphyſ.

XIX. Plato, Deus omne corpus ſupereminet. Soph. Timæo, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus in cœli culmine ſedet, II. de cœlo.

XX. Plato, Deus eſt ab omni corpore liber. Soph. Timæo, Parmenide.

Ariſtoteles, Deus primo Orbi eſt alligatus, VIII. Phyſ. I. de cœlo.

XXI. Plato, Deus uniuerſi prouidentiam habet, de regno & alibi. *Ariſto-*

Ariſtoteles, Deus a cœlo tantum expetitur, XII. Metaphyſ.

XXII. *Plato, Deus omnia nouit, I. & II. Alcib. & alibi ſæpe.*

Ariſtoteles, non cognoſcit particularia, XII. Metaphyſ.

XXIII. *Plato, Deus mundum regit uniuerſum & partes eius, de regno & Timæo.*

Ariſtoteles, non Deus, ſed natura, caſus & fortuna regunt mundum. II. Phyſ.

XXIV. *Plato, Deus in regimine mundi utitur miniſtris, minoribus Diis, Timæo.*

Ariſtoteles, Deus neque regit mundum, neque miniſtros habet, VIII. Phyſ. & I. de generatione.

XXV. *Plato, in mundo ſunt dæmones, Sympoſ. Tim. & alibi.*

Ariſtoteles, nullibi hos agnoſcit dæmones.

XXVI. *Plato, Deus animam uniuerſi produxit, Timæo.*

Ariſtoteles, Deus non produxit animam ullam uniuerſi, ſed coelum tantum eſt animatum et aſtra.

XXVII. *Plato, Deus produxit animam humanam, Timæo.*

Ariſtoteles, eſt actus corporis, hoc eſt e materia educta, II. de Anima.

XXVIII. *Plato, anima humana diuina eſt quædam forma, Phædro & alibi.*

Ariſtoteles, anima eſt forma corporis, Phyſ. II. de Anima.

XXIX

XXIX. Plato, anima humana eſt immortalis, Phædro, Phædone & alibi.

Ariſtoteles, ut forma corporis, anima eſt mortalis.

XXX. Plato, animæ connatus eſt intellectus, Phædro, LXI. de Rep. Timæo.

Ariſtoteles, intellectus de foris uenit, II. de animalium generatione.

XXXI. Plato, anima a corpore ſeparatur, Phæd. & alibi.

Ariſtoteles, anima a corpore non ſeparatur, quia eius eſt forma.

XXXII. Plato, anima diuino afflatur ſpiritu & futura prænuntiat. Apol. Phædro.

Ariſtoteles, anima humore melancholico prædicit, de diuinit. per ſom. & problem.

XXXIII. Plato, hominis felicitas eſt, quando Deo ſit ſimilis, I. Alcib. Theat.

Ariſtoteles, homo bonis fortunis fit beatus. Moral.

XXXIV. Plato, hominis felicitas a Deo uenit, I. & II. Alc. Men. Theage.

Ariſtoteles, homo ex ſuis bonis actionibus & ſuo arbitrio fit felix.

XXXV. Plato, Deus eſt precandus, ut nos beatos efficiat, II. Alcib. ſæpe alibi.

Ariſtoteles, Deus particularia non intelligit, ergo non precandus.

XXXVI. Plato, ueniet homo qui nos Deum precari doceat. hic Chriſtum innuit.

Ariſto-

Ariſtoteles, preces omnes fruſtraneæ, quia Deus non intelligit particularia.

XXXVII. Plato, bonus uir Deo ſemper charus, Eutyphr.

Ariſtoteles, particularia Deus non intelligit, nec preces audit, nec hominem ullum amat.

XXXVIII. Plato, bonus uir poſt mortem Deo fruetur, Phæd. I. de Republ.

Ariſtoteles, poſt mortem nulla uoluptas.

XXXIX. Plato, animæ poſt mortem purgantur, Phædro, Timæo.

Ariſtoteles, animæ in corpore pereunt.

XL. Plato, animæ malorum poſt mortem pœnas dabunt, Phædro, Tim. Phæd.

Ariſtoteles, animæ in corpore corruptæ nihil patientur.

XLI. Plato, homines mortui reſurgent, X. de Republ.

Ariſtoteles, a priuatione ad habitum non fit regreſſus.

XLII. Plato, bonæ animæ beatum locum poſſidebunt, Phædone.

Ariſtoteles, nullus eſt talis locus.

XLIII. Plato, & corpus & animæ malorum in inferno cruciabuntur, Phædro, X. de Republ. Phædone.

Ariſtoteles nihil tale nouit.

Quæ quidem omnia capita & plura etiam alia non pauca, quæ colligere poteſt quisque paulo diligentior, cum Platonica ſint & Philoſophice ueriſ-

ſima, & cum fide Catholica conſona: Ariſtotelica uero & fidei aduerſa & Philoſophice falſiſſima, quis iam uel tam impius erit Chriſtianus, uel tam bardè Philoſophus, qui Platonem & pietatis & Philoſophiæ ergo Ariſtoteli non præferat? quæ res cum ad Chriſtianam fidem maxime conferat, & ad Philoſophicam ueritatem faciat maxime, cur non poſthac in omnibus Europæ gymnaſiis publicis? cur non in monachorum cœnobiis Platonis lectio ſtudiumque introducetur? cur non Ariſtotelis exoterica philoſophia ex hiſce locis in exilium amandabitur? quid enim opus amplius habebunt ex ea impietate tam mortiferum uenenum bibere, quo ueluti lethargo anima in Dei cognitione obdormiat? anima nunquam lethali hoc ſomno expergiſcatur & in æternos damnetur cruciatus.

Publicus cenſor hæc probauit eatenus, ut minime negaretur, Ariſtotelis Philoſophiam eſſe ancillam Theologiæ: bene res ſe habet, ego non renuo: ſed quæ unquam honeſta mulier uellet ancillam habere talem, qualem Patricius deſcribit, Lais forſan haberet, Lucretia, opinor, non haberet. Quicquid id eſt, Philippus Melanchthon & alii ſuperioris ſæculi ſcriptores, qui ſeorſum a nobis per religionem ſentiunt, nec grauiora nec duriora de Ariſtotele, quam Patricius, dixerunt.

Fuere tamen noſtris temporibus, qui quæ in Patricio non culparunt, in Melanchthone culparint: ſed iſta ſunt partium ſtudia, quæ nec Chriſtianum hominem, nec alium amantem ueritatis quemlibet decent: uerum a quocunque dicatur, ſem-

ſemper uerum erit, & rectum a quocunque decernatur, ſemper rectum erit; ſed Melanchthon ex Romana Eccleſia exire non debuit, ut e Scholis Theologorum Ariſtotelem abigeret, neque qui in Romana remanſerunt Eccleſia, damnare Melanchthonem debent, quod Ariſtotelem e Scholis Theologorum abigere uoluerit: ſed quod cum abigere uoluerit, matrem Eccleſiam deſeruerit, & antiquam fidem nouitate praua conturbarit.

Ioannes Bodinus refertur, & Ariſtoteli opponitur.

Hic (*) auctor ſcripſit uniuerſæ naturæ Theatrum, in quo Ariſtotelem in pluribus locis refellit, & maxime in libro I. Verba ſunt: *Theorus. Quid eſt motus. Myſtagogus. Eſt actus agentis in mobili*

T 2

(*) Hoc Theatrum eodem, quo diem ſuum obiit, anno in publicum emiſit. Morhoffio in Polyh. T. II. L. II. c. II. p. 160. minus illud probatur. Alii ab ingenio iudicioque commendant Bodinum. Vtrumque tamen, dum nimio innouandi pruritu laborat, non raro illum deſtituit. Inprimis ingenii dotibus abutitur turpiter, ſi quando in explicandis rebus, ad religionem pertinentibus, occupatur. Teſtor ſaltim famoſum iſtud Colloquium, de Abditis rerum ſublimium arcanis, cuius hiſtoriam, & impietatem, iuſtis ſuffultus præſidiis, Venerandus noſter, & πολυμαθέστατος D. Dieckmannus explicauit in exquiſita de Naturaliſmo Badini Diſſertatione.

mobili paſſo. Th. Cur non definias actum entis in potentia, ſecundum quod huiusmodi. M. Hæc quidem eſt Ariſtotelis definitio, quæ multo eſt obſcurior motu ipſo, cum tamen in re definienda nihil perſpicuitate commodius eſſe poſſit: eoque magis, quod Ariſtoteles reiectis omnibus omnium, qui de motu ſcripſerunt, ſententiis difficillimum eſſe dixerit intelligere quid ſit motus: unde tamen innumerabiles de natura quæſtiones explicari oportet.

Th. Cur hæc tanta obſcuritate inuoluit. M. Id ab eo dedita opera plerique factum opinantur, ne quis arcana in naturæ theſauris abdita reſeraret, ut ex eius ad Alexandrum Magnum epiſtola intelligitur. Cum enim Alexander libros Φυσικῶν ἀκροαμάτων *peruulgatos quereretur, repoſuit illud, ſic editos, quaſi editi non eſſent. Quod iampridem ab Heraclito didicerat, cuius libri de natura, tam obſcure ſcripti ferebantur, ut Plato diceret, natatore Delio ad eorum explicationem opus eſſe. Ad hoc enim diſcipulos erudiebat, cum illud ſæpius ingereret* σκότησον *obſcurus eſto: ſic enim loligo aquam clariſſimam inſito ſibi atramento, ne capiatur, effundit, ne in rebus obſcuris rationem Phyſico defuiſſe, aut falſam allatam eſſe conuinceret. Nam in rebus perſpicuis perſpicuitate uti conſueuit. Th. Videtur tamen definitionem motus exemplis illuſtrare, cum actum & potentiam interpretatur, quando res eadem partim mouetur, partim quieſcit. M. Iſta ratione oppoſita de re eadem ſimul ac ſemel dicerentur: quod Ariſtoteles ſibi obiiciens diuerſa ratione id fieri ſcribit:*

bit: ſed abſurdiora ſequuntur, ſcilicet contradicentia de re eadem ſimul uera eſſe. Scilicet Socrates mouetur, Socrates non mouetur. Etſi enim oculis tantum uidet Socrates, non auribus, uere tamen dicitur, Socrates uidet. Idem iudicandum de motu & quiete, ſi altero pede Socrates quieſcat, altero moueatur. Præterea falſum eſt & quidem omni diſtinctione ſublata, ſagittam emiſſam partim quieſcere, partim moueri, cum tota moueatur ſimul ac ſemel. Ex quibus intelligitur falſum eſſe, motum partim in actu partim in potentia uerſari. Quod item ſcribit generabilis motum eſſe cum generatur, obſcuritatem habet, quia cum motum definiat actum, ſequeretur, actus patibilium eſſe, non agentium: ob id diximus motum eſſe actum agentis.

Deinde in libro IV. de Anima: *Th. Cedo Ariſtotelis definitionem. M. Entelechia corporis naturalis organici poteſtate uitam habentis. Entelechiam autem Heſychius & Plutarchus ἐνέργειαν, id eſt, ut Budæus, actum interpretantur. Simplicius uero, Themiſtius & Alexander Aphrodiſienſis τῦ ἐντελοῦς συνοχὴν, uel τὸ ἐντελὲς ἔχειν, quod Hermolaus Barbarus uertit perfectihabiam. Philoponus uero ἐντελέχειαν dici putat παρὰ τὸ ἓν τέλειον συνέχειν, id eſt comprehenſio perfectæ unionis: ſed orthographia non patitur hanc interpretationem Philoponi. Eſt autem Ariſtoteli uſitatum obſcurioribus obſcura implicare.* Hæc tum ad ſpecimen, tum ad idoneum Bodini

 de

de Ariſtotelis ingenio & Philoſophia iudicium ſufficiunt. (*)

CAPVT XV.

Septima Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua legendus Ariſtoteles præſcribitur.

ANnus Chriſti uoluebatur milleſimus ſexconteſimus primus, (**) cum noua Academiæ facta eſt reformatio. Facultatibus illius ſingulis pro-

(*) Bodino iungere poterat Michaelem Montanum, Bodini maxime ſimilem, qui L. II. p. m. 508. *le Dieu de la ſcience ſcolaſtique c' eſt Ariſtote: c' eſt religion de debattre de ſes ordonnances, commede celles de Lycurgus a Sparte. Sa doctrine nous ſert de loy magiſtrale, qui eſt à l' auenture autant fauſſe qu' une autre.* Non multo poſt reiicit Ariſtotelis de principiis rerum naturalium ſententiam. Et p. 511. de Entelechia Ariſtotelis ita iudicat. *N' oublions pas Ariſtote, ce qui naturellement failt mon voir le corps, qu'il nomme entelechie: d' une autant froide inuention, que nulle autre* etc. Ceterum de Montano diuerſa ſunt eruditiorum iudicia. Annotauit nonnulla I. F. Buddeus de Atheiſmo p. 150. quibus addatur Paſcal Penſ. p. 171. & Vigneul Marville, Mel. Hiſt. Vol. II. p. 30.

(**) Credo hæc eſſe decreta, quorum Rapinus memi-

propriæ aſſignatæ ſunt regulæ, quarum quæ ad Facultatem Artium pertinent, legendos Ariſtotelis libros ita præſcribunt.

Num. XXXVII. Curſus Philoſophici ſpatium biennio terminetur, quo exacto, Scholaſtici laurea magiſterii inſigniantur.

Num. XXXVIII. Quod ut commode fiat, Philoſophiæ profeſſores intra biennium Ariſtotelis libros ordine infra ſcripto accurate explicent.

Num. XXXIX. Primo anno matutinis horis, libros Logicos interpretentur, a Categoriis ducto initio, quibus ſubiungant librum de interpretatione, & priorum Analyticorum quinque priora capita: mox adiungant octo libros Topicorum, ut formæ ratiocinandi materia proxime cohæreat; poſtremo duos libros de demonſtratione omnium accuratiſſime interpretentur: Porphyrii inſtitutiones initio percurrant & delibent: horis pomeridianis libros Ariſtotelis Ethicos exponant.

Num. XL. Secundo anno Ariſtotelis Phyſica mane interpretentur; poſt meridiem Metaphyſica, ſi fieri poteſt, integram ſaltem horam pri- *mum,*

meminit, libro, Gallice perſcripto, La Compar. de Plat. & Ariſtot. p. 412. Errat uero, dum ad annum 1611. refert. Nam de illo tacet Launoius, cui ea res ignota eſſe non poterat, cum ad Academiæ tabularium, ex quo hunc librum confecit, liberum haberet acceſſum.

mum, quartum & undecimum libros magna cura & diligentia explicent: hora ſexta matutina Sphæram, cum aliquot Euclidis libris prælegant.

Num. XLI. Ariſtotelis diſputationes aduerſus ueteres Phyſicos, in quibus ingenii ſumma ſubtilitas elucet, accurate examinentur, reiectis inanibus quæſtiunculis, quas olim barbari inuexerant, & ab humaniore politioreque ſæculo exploſas aſperi durique homines non ita pridem refricare & redintegrare ſunt conati.

Num. XLII. Ariſtotelis contextus Philoſophorum, non Grammaticorum, modo exponatur, ut magis pateat rei ſcientia, quam uocum energia.

Atque hæc ſunt, quibus fortuna hæc Ariſtotelis conſtabilitur in Pariſienſi Academia.

CAPVT XVI.

Pauca, ſed contenta paucis multa, in hanc ſeptimam fortunam & illius decurſum obſeruantur.

SVppetunt mihi duo tantum, quæ animaduertantur.

Alterum eſt, hanc Ariſtotelis fortunam maximam, ampliſſimam & florentiſſimam eſſe; maximam quidem, quia Regis auctoritate; ampliſſimam, quia Senatus decreto confirmatur; florentiſſimam denique, quia Pariſienſis Academia Philoſophiam Ariſtotelis docendam in ſe recipit. Al-

Alterum, Doctorem Medicum extitiſſe nomine Sebaſtianum Baſſonem, qui anno MDCXXI. Ariſtotelem aggreſſus eſt, & naturalem illius Philoſophiam & philoſophandi modum quanto potuit ſtudio ac diligentia refellit. De illius ad lectorem præfatione iſtud delibatum imus. *Sed properantem morata eſt Ariſtotelis quæ maxima eſt apud omnes Doctores, auctoritas, quos quanti faciam, quamque de illis æquabiliter ſentiam & reuerenter loquar, intereſt, ut noris, ut quorum documentis magna lux in his tenebris mihi refulſit, eorum auſpicio, ductuque ſcias moliri me quicquid aggredior, meque eorum argumentis ac rationibus, tanquam machinis potentiſſimis inſtructum, magnam muri partem, quem quatio diruturum.*

Hæc enim ſemper fuit ea de illis incredibilis doctrinæ uiris ſententia, ut cum in illis legendis aſſiduus diſſimulare non poſſem pugnas uehementes & multiplices de rebus fere ſingulis inter primarios huius Philoſophiæ patronos ex dictis Ariſtotelis, neque leuiter ſuſceptas, neque facile terminandas: tanti diſſidii cauſam in Doctores illos nunquam reiiciendam putauerim, quos conſtat eſſe grauiſſimos & aſſertoribus plurimis ſtipatos & ſecundum ſua principia rationibus adeo ualidis innixos, ut cui te credas, iudicium ſuperet. Quin plures occurrunt quæſtiones, de quibus uariæ expoſitorum ſententiæ uidentur manifeſtiſſimæ falſitatis aliæ alias conuincere. Verum cauſam diſſidii errorem, erroris uériſimilitudinem agnoſcens, in quonam eſſet hæc ueri ſpecies, uidebam inquirendum. Verebar

rebar ſcilicet, ne ex falſis ſuppoſitionibus hæc errata naſcerentur, atque ex fundamentis ruinoſis hæc ædificii ruina ſequeretur. Enimuero, ſi uerbi gratia, ignoraueris, quid ſit Natura, aut in quo conſiſtat iſtud principium motus & quietis, quod Naturam uocant, falſamque eius rationem aſſignaueris, neceſſe eſt hallucineris toto naturalis motus inquiſitionis proceſſu, qui cardo eſt, circa quem naturalis Philoſophia uerſatur. Et qui error paruus eſt initio, fit maximus in fine, cum admiſſo quod falſum eſt, neceſſaria conſecutione deduceris in labyrinthos, & plexus errorum, unde non datur pedem referre neceſſitate conſequentiæ ductum, licet & ratio contrarium ſuadeat, & experientia demonſtret.

Ergo huius rei examine in plures annos protracto, ſingulisque rationibus accuratius expenſis, tandem certo comperi, quod erat neceſſarium: malum nempe eſſe in radice, erratumque in multis, quæ pro certis principiis hac in Philoſophia ſupponuntur. Hinc pugnas, hinc obiectiones ultro citroque indiſſolubiles, dum qui rationibus immotis nititur, falſis eiusmodi ſuppoſitionibus premitur, & qui ex talibus principiis procedit, rationum inconcuſſarum obiecta mole retinetur. Hinc ſententias Ariſtotelis ſæpenumero contrarias, quibus armati expoſitores uarii opinionem quiſque ſuam tuentur. Hinc quod uno loco eum defenſari, alio cogantur offendere. Hinc quod idem auctor ſibi ipſi repugnans, quibus rationum iaculis aduerſarium petit in una re, iisdem confodiatur in alia. Eas ſenten-

ſententias, quæ huius Philoſophiæ principia ſuo pondere diruebant, examinaui, uim expendi, ſi quo modo diluerem tentaui, diſcuſſi, in omnem partem uerſaui, adiectisque pluribus aliis non minoris momenti, quas res ipſa miniſtrabat, primariæ notæ Philoſophis propoſui, declaraui, inſtiti; ſi eaſdem ex hoc codice perpenderis.

Iam ergo uideant, qui horum auctoritate commouentur, quos nobis obiiciant Philoſophos, Medicos, Theologos, ſemper uenerabiles nobis futuros. Hi ſunt profecto, quorum controuerſiis agitata ueritas foras prodiit, quorum ex ſcriptis doctiſſimis non paruam eorum, quæ demonſtraturi ſumus partem deprompſimus: quorum argumentis ac rationibus ueritatem ipſam in pluribus aſtruemus. Hi ſunt, qui ſuis diſſidiis ac pugnis hos animos nobis inſpirarunt, ut quas multiplices contradictiones ac repugnantias hac in Philoſophia reuelaſſent, nos ex quo fonte promanent, conemur oſtendere. Hi præeunt, nos ſequimur, hi doctores, nos diſcipuli. Sed enim hi, dum ducunt, et docent, dubiis & quæſtionibus plurimis, quarum nodos fruſtra ſoluere conati ſunt, quam multis hæc uia plena eſſet periculis, indicarunt. Nos eorum ueſtigiis inſiſtentes etiam ulterius progreſſi longe plura, grauioraque conſpeximus. Per illos ea uidimus: non pedem referamus? per illos, quæ mala eſſent cognouimus, non quæ bona ſunt, quæramus?

Cur igitur Ariſtotelem non deſeruerunt? quæ nos uidimus, non uiderunt? Iam ad iſta reſpondimus; ſed nihil ſit aliud. Sane nil mirum fuerit, ſi non

ſi non uiderint, ſæpe enim, qui ſua uirtute hoſtes fregit, occidit in acie; ſuccedens alius uiribus integris uictoria potitur. Sæpe qui terram multo labore ſuffodit, uenæ auribus proximus fatiſcit, adueniens nouus qui uiam factam ſequitur, aurum refert. Laborauerunt hi plurimum, ut ueritatem quaſi ſepultam eruerent. Ingentia ſaxa, quæ uiam præpediebant, uel ſubmouerunt, uel certe crebris diſputationum ictibus ualde concuſſerunt, ut non difficile eſſet ea remouere, atque uia facili ad ueritatem peruenire. Quod tamen non ita dictum uelim, ut putem non plures eorum fuiſſe, quibus complures Ariſtotelicæ doctrinæ falſitates paterent, quas neque diſſimularunt. Iam enim hoc diximus. Munus hoc tamen, etſi ſuis humeris magis congruum, non ſuſceperunt. Quid mirum? opus laboris & inuidiæ plenum defugerunt. Nam ab Ariſtotele deſciuerunt. Quid mirum? crimen eſt ab Ariſtotele deficere. Nihil in eum ſcripſerunt, quid mirum? noluerunt ſe maledictis obiicere, quibus noſtri labores patebunt.

Quanto maior fuit animus Ariſtoteli, quem nihil tale potuit retardare, quo minus ueterum fuerit cenſor acerrimus? Neque ſibi hanc religionem iniecit, qua nos ſui deterrere uolunt; nefas ſcilicet, ac temerarium eſſe, Philoſophiam ueterum improbantem ſe, præcipue uero Platoni præceptori ſuo, cuius uiginti annos auditor fuerat, contradicentem, nouam inauditamque Philoſophiam inuehere, eorum fundamenta reuellere, quos fixerant naturæ terminos refigere, ſcripta, dicta, ſenſa eorum

rum expungere, deſpicere, irridere. Neque cogitauit, cur diſcipulus magiſtros, nouus antiquos, unus plurimos inuaderet? Cur quibus ut parentibus atque doctoribus honorem debeat ac reuerentiam, iis tot errorum, tantæque ignorantiæ maculas ac ſordes inſpergeret? Cur ſede, cur poſſeſſione, cur finibus Philoſophiæ ipſos ſibi Philoſophiæ auctores deturbaret, eiiceret, exterminaret? Hæc ſi quis alius faceret, quam proterue? Quæ tamen Ariſtoteles, quam licite? Licite ſane, ſi ſibi ueritatis elucidationem propoſuit. Vidit enim uir alta mente præditus, quantumuis præcedentes in ueritatis indagatione proceſſiſſent, plurimum itineris poſteris reliquiſſe, cuiuis non modo licitum & apertum, ſed pium ac ſanctum in ueritatis examine, quæ ſentit aperire: utilem inprimis ac fructuoſam omnem controuerſiam, quam inter doctos cordatosque uiros ueri ſtudium excitarit. Si quidem melius, quam præcedentes inueniſſet, poſteri acciperent, ſicuti a ſcopo aberraſſet, alii iudicarent, & quam ipſe de aliis, tam libere de ſe alii ſentirent.

Neque enim tam iniquus iudex fuerit, ut quam poteſtatem in ſuperiorum ſcripta ſibi uendicauit, eandem in ſua poſteris ademerit, cum nec plus ei reuerentiæ debeamus, quam ipſe prioribus, nec tantum quantum ipſe Platoni præceptori ſuo, eius errata diſſimulemus.

Diſſimulant tamen huius temporis plurimi uiri doctiſſimi (nec enim iam nobis de prioribus ſermo, de quibus actum eſt) diſſimulant inquam, & ita diſſi-

diſſimulant, ut non modo non deſerant Ariſtotelem, uel ſaltem eius errata impugnent, aut patefaciant, ſed in omnibus quoad poſſunt, tueantur.

Quid faciant? profitentur Ariſtotelem, docendus, explicandus, defendendus; in eo mordicus inhærendum: uel ubi urgebunt rationes in contrarium, diuerticula quærenda, unde aliquid dicant, ne prorſus obmutuiſſe uideantur.

Interea quæ plurimum afficit uiua uox præceptoris, ſi quæ ſint errorum ſemina, in animis diſcipulorum ſpargit & irrigat & fouet, donec tam altas figant radices, ut eas poſtea nulla ui rationis euellas. Tantam quippe uim habet in animis iuuenilibus alicuius opinionis anticipatio; præſertim quam magiſtri docti grauiſque fulciat auctoritas, ut non mirum ſit eos, qui ex hoc luto prodierunt; cum inde turbidum impeditumque habeant iudicium, nefas putent de Ariſtotelis doctrina dubitare, ac tanquam compertam habeant, tam acres in ea defendenda ſe præbeant. Horum nos moremur iudicium? iudices ſint qui patroni, qui quaſi ex officio per fas & nefas Ariſtotelem defendant? quos nullis rationum machinis moueas; nullis errorum monſtris deterreas? Omnia uiri pii per ſummam religionem tolerant, ſe de re philoſophica optime meritos rati, ſi ſubterfugium inueniant, quo Ariſtotelis copiæ preſſæ ſe recipiant tantiſper reſpiraturæ. Quo enim ſe uertant, uel quem adeant Ariſtotele relicto? perierunt ueterum ſcripta, paucaque extant eorum fragmenta in libris potiſſimum Ariſtotelis diſperſa, & quidem prout expon-

ponuntur, ita ſonantia, ut febricitantium ſomnia uideantur. Qua enim fide putas ea retulit Ariſtoteles? & adhuc mirum ſi Ariſtoteli tam pertinaciter adhæreant? quem alium ſequantur?

Aduerte animum Lector, & uide, quo iure Ariſtoteles in Philoſophia obtinuerit principatum, quo iure eundem conſeruet, ut ſecurus regnet. Quemadmodum enim ſolo cæloque ſicco plantæ, atque arbuſculæ, ubi non eſt copia ſucci melioris, quemuis humorem obuium ſugunt, quem in ſuam naturam conuertant. Ita poſtquam ampliſſima uolumina, quæ ueteres de rerum naturalium cauſis proprietatibusque conſcripſerant, perierunt; homines huius ſcientiæ auidi, quod non eſſet, quo famem explerent, obiecta hæc fercula deuorarunt, non diſcernere ualentes initio, quæ noxia bonis immixta celabantur. Neque enim ſemper quæ meliora ſunt, aut ueriora, citius eliguntur, ſed plerumque ueriſimilia, & quæ falſa ueri ſpeciem habent, incautos ſuo ſplendore decipiunt. Huic uero rei parumne contuliſſe putas nomen Alexandri Magni, cuius Ariſtoteles fuerat inſtitutor? quantam magiſtro tantus diſcipulus opinionem conciliauit?

Quanquam non egebant Alexandri gratia libri Ariſtotelis, quos ſatis ſuperque commendabat non modo meliorum, ſed peiorum inopia.

Pauci ſupererant Platonis libri, pauca extremisque digitis tanta de rebus naturalibus continentes. Enimuero quid illud eſt, quod in Timæo Plato ſcripſit; ad ea quæ Ariſtoteles octo libris Phy-

Phyſicorum, libris de Cœlo, de Meteoris, libro problematum, libris de Anima, de generatione & corruptione, de iuuentute & ſenectute, de reſpiratione, de ſenſu & ſenſili, de memoria & reminiſcentia, de ſomno & uigilia, de inſomniis, de diuinatione per ſomnium, de hiſtoria animantium, de eorum partibus, de eorundem motu, de eorum denique inceſſu, magnis uoluminibus fuſe copioſeque contexuit?

Mirum ſi in tanta huius ſcientiæ penuria homines famelici, & ſciendi auidiſſimi hoſce libros tanquam cibos obiectos arripuerunt? Morarentur errata tunc in illis incognita, quæ etiamnum retecta diſſimulant? quem enim alium ſequantur? Antequam uero cognitus eſſet Ariſtoteles, aſſertorum multitudine ſtipatus regnauit.

Attendant illi, qui nos hac multitudine tanquam inſtructa acie terrere uolunt, undenam creuerit hæc multitudo. Quæris unde creuerit, cum & ſtultus, qui oblatum Ariſtotelem reieciſſet, & iniuſtus, qui incognitum condemnaſſet, & leuis qui in iudicando properaſſet? quid quæſo tunc audiuiſſet? Vide quid agas, non capis eius mentem, res eſt abſtruſa, rimare ſenſum eius, confer locum cum loco: audi Ariſtotelem ſeipſum alibi explicantem, uide quid alii de hac re ſentiant? Non hæc tunc ualuiſſent, quæ etiamnum uim habent, ubi toties doctorum calculo huius doctrinæ uanitas reiecta eſt? Quæris cur eam docti non deſeruerunt, cum alia non eſſet: hæc iam mentes hominum occupaſſet; ſacrum eſſet nomen Ariſtotelis; multitu-

dinis

dinis iudicium præualeret? Quid quod, ut ſit, alii inuidia moti, alii repugnandi libidine pellecti ſe melioribus, ac ſanioribus opponerent ingeniis? quid quod nec inter probos ſingulis omnia paterent, ut non mirum ſit, ſi non omnia placerent: ſed prout ſunt hominum ingenia, diuerſis diuerſa probarentur? & quod omnium eſt ualidiſſimum, quid quod nulli alii eſſent auctores, quos relicto Ariſtotele ſequerentur? Quæriſne quid ueritatis inquiſitioni uiam præcluſerit? Quæriſne quid errorum latibula, tanquam aſyla quædam ſancta inuiolataque conſeruarit? quid igitur magis hos errores promouit? an caſus? an ignorantia? an uis? an diſcordia? an neceſſitas? Caſus aliorum Ariſtotelem erexit, ignorantia ſuæ doctrinæ initio ſtabiliuit, uis multitudinis roborauit, neceſſitas profesſorum propugnauit, philomachia doctorum conſeruauit, ad tempus quidem conſeruauit, ſed crebris iactationibus tandem labefactauit, donec tanquam Hydræ capitibus repullulantibus dubiis in uarias factiones diſſecti Ariſtotelem ipſum, ut canes Acteonis miſere diſcerpſerunt, ac dilaniarunt: ut nihil eius manſerit integrum, quod non plures eorum uel lacerarint, uel dentibus contrariis in ſenſus contrarios diſtorſerint. Attamen uelut Telephus ſanatus eſt Achillis haſta, qua fuerat uulneratus; ita Ariſtoteles eorundem profeſſorum medicamine conualeſcit, quorum diſſenſionum iaculis læſus eſt ac pæne confectus.

Enimuero rationem diſputandi ſeruant ad hoc prorſus accommodam, cum non quæſtionibus Socra-

ticis procedunt, quibus facile in mendacio quiuis quantumuis lubricus irretitur. Idcirco quæſtiones omnes, exceptis quas dialecticas uocant, excludunt a lege diſputationis.

Illa uero, quam ſeruant diſputationis palæſtra, actori quidem arcta & breuis, defenſori uero longa & ſpatioſa dat preſſo ſpatium, ut uiam pedum uideat. Ad hæc ſuccurrunt diſtinctiones pæne innumeræ, quæ licet bonæ eſſent, iis tamen reſpondens facile abutitur, qui ui argumentorum preſſus uelut anguis in ſpinas, in eas ſe latebras coniicit. Tum quid aduerſarius? nouo uti medio non decet, argumentandi peritum agat in diſtinctionem.

In eam uero techuam improuiſam non præſtò ſunt argumenta, etſi ſuppetant. tempus labitur, alius ſuccedit pugnaturus. Itaque ut cauſidici ſolent ſuis tergiuerſationibus litem proregare, temporisque productione aduerſarium uexare, quem in magnos ſumptus coniiciunt: ita hi rabulæ ſcholares dum talibus effugiis horas trahunt, euadunt ruboris periculum.

Quantus demum ſit harum diſtinctionum uſus hinc patet, quod cum diuerſiſſimæ ſint hac in doctrina qualibet de re ſententiæ, multiplexque inter auctores pugna, nulla pars ſit, quæ harum diſtinctionum fulcimento non ſubſiſtat. Certatur enim non ad ueritatem illuſtrandam, ſed ad acumen ingenii probandum. Isque magnus habetur Philoſophus, atque mirabilis, non qui ſententiam optimam ſequitur, ſed qui oſtentat ingenium in exponendis conceptibus ſuis facile & apertum: in

con-

concertationibus ſubtile & argutum, in eludendis aduerſarii argumentis labile & uerſutum.

Hinc opinionum uiciſſitudines, ut quæ magno omnium conſenſu longo tempore regnauerit, quaſi Oſtraciſmo pulſa exulare cogatur, rurſus iure poſtliminii in poſſeſſionem reuerſura. Quemadmodum enim leges, ita ſententiæ in hac Ariſtotelica politia abrogantur, quadam quaſi Tribunitia poteſtate, & tempore ſuo renouantur. Ac ſi quæ ſententia diu uera fuerit, reprobata ab aliquo nouo, ſed celebri Philoſopho falſa fiat, rurſus uera futura, ſi quis adueniens magnæ auctoritatis, eius patrocinium ſuſcipiat.

Hoc tamen prouida quadam diſpenſatione factum dixeris, ut quæ multæ atque diſcrepantes de una re opiniones ſimul ſtare non poſſunt, uiciſſim teneant imperium: alioquin cum ſæpenumero inter ſe diſſentiant, Alexander, Philoponus, Themiſtius, Plotinus, Auerroes, Auicenna, Thomas, Scotus, Nominales, Reales, Græci, Arabes, Latini in partes diſſecti contrarias, quantas procellas excitarent, ſi ſimul omnes de regno contenderent? Parumne proſpectum putas, ad ſedandas has tempeſtates, ſi quemadmodum in cœlo Caſtor & Pollux, ita in regno Ariſtotelico horum Philoſophorum ſententiæ mutatis uicibus teneant principatum.

Parum tamen referret eiuſmodi logomachiam ingenii acumen ac linguæ uolubilitatem oſtentare, ni tales nebulæ & Theologicis & Medicis ſpeculationibus tenebras offunderent, magno animarum & corporis humani damno: quas qui diſſiparet

(opus quidem Herculeum) occiſis monſtris illis opinionum, quorum ex ore uirulento efflatur ater ille fumus; non minus de humana ſocietate mereatur, quam ſi peremerit monſtra, quibus Hercules orbem liberauit. Verum qui fiat iſtud? peccant quidem ipſi, ſed neceſſitate peccant, uel quid agant, iudica. Hanc doctrinam relinquant? quam ſecuturi? Veterum ſcripta non extant, ſed ſi extarent, fœtent illis quæcunque priſci ſenſerunt: ita ut quidquid in Ariſtotele putidum eſt, ſapit.

Miſerum ſane, ut quos tanquam ſapientiſſimos antiquitas uenerata eſt, eos pro ſtultiſſimis reputent, eorumque ſententias, ut aniles nugas, aut febricitantium inſomnia riſui habeant. Ridiculus Empedocles, delirus Democritus, inſanus Pythagoras, ineptus Plato, ſtulti quicunque alii Philoſophiam profeſſi ſunt. Quam diuerſa fuit ueterum de illis opinio, quos ut ueraces naturæ uates, fideleſque eius interpretes ſummo honore proſecuti ſunt? Equidem de Platone quid commune referam iudicium, de quo non aliter, quam de Deorum myſta ſapientiſſimo docti pariter indoctique locuti ſunt? De quo quam multa Cicero, qui etiam ſecundo de Natura Deorum, Audiamus, inquit, Platonem, quaſi quendam Deum Philoſophorum etc. & Tuſculana IV. Errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facias ſcio, & quem ex ore tuo admiror, quam cum iſtis uera ſentire.

Verum pro Cicerone & omnibus aliis licet iudicibus integerrimis prodeat unus Auguſtinus, qui pluribus quidem in locis, ſed libro III. contra Acade-

cademicos ſic in eius fertur encomia. Plato uir ſapientiſſimus & eruditiſſimus temporum ſuorum, qui & ita locutus eſt, ut quæcunque diceret, magna fierent, & ea locutus eſt, ut quomodocunque diceret, parua non fierent. Dicitur poſt mortem Socratis magiſtri ſui, quem ſingulariter dilexerat, a Pythagoreis multa didiciſſe. Et paulo poſt: adeo poſt illa tempora non longo interuallo, omni peruicacia, pertinaciaque demortua, usque illud Platonis, quod in Philoſophia purgatiſſimum eſt, dimotis nubibus erroris emicuit. Hæc illi. Veniat iam Cicero, ueniat Auguſtinus, ueniat ſapientiſſima Patrum ueterum ſchola, Hilarius, Cyprianus, Irenæus, Iuſtinus, Chryſoſtomus, Baſilius, Athanaſius, Theodoretus, Dionyſius, ueniant hi, & cum Platone, ut olim, ſentiant, næ inter Philoſophos hæretici habebuntur. Hæc & alia Baſſo, uir accerrimi iudicii & ſcientiæ maximæ, quibus profecto nihil addi poteſt, ſiue ut Ariſtotelica Philoſophiæ obſcuritas & caligo, ac proinde inutilitas oſtendatur, ſiue ut Peripateticorum Philoſophorum ſuper auctoris ſui mente lites & iurgia demonſtrentur, ſiue ut recentiorum modus philoſophandi configatur, immo & diſcutiatur uel riſu. Præterea Baſſo queritur Ariſtotelis doctrinam in Chriſtianorum ſcholas & Theologiam errores intuliſſe: quod & priores ſæpe queſtos eſſe iam uidimus: ita ut uere dici poſſit, inter Chriſtianos querelam eſſe ſæculorum pæne omnium.

V 3 CAP.

CAPVT XVII.

Octaua Ariſtotelis fortuna recenſetur & explicatur. In qua Philoſophus quanto quondam in dedecore, tanto in bonore habetur, aduerſarios perſequentibus Academia, & Senatu Pariſienſi.

HAec ultima Ariſtotelis fortuna multo adhuc fuit illuſtrior, quam ſexta & ſeptima. Nam cum Anno Chriſti M D CXXIV. uniuerſa Ariſtotelis doctrina publicis theſibus oppugnari cœpit Lutetiæ, tunc Senatus, & Facultas Theologiæ Pariſienſis oppugnantium impetum retardarunt, & ſua auctoritate compeſcuerunt. Huius autem rei hiſtoria duobus maxime continetur. Alterum eſt lata per Facultatem Theologiæ in propoſitiones Ariſtotelicis principiis oppoſitas cenſura; alterum uero Pariſienſe Senatuſconſultum.

In Ariſtotelis oppugnatores Pariſienſium Theologorum cenſura.

Sic autem ſe habet cenſura: *Anno Domini M D CXXIV. die prima menſis Septembris ſacra Theologiæ Facultas Pariſienſis poſt miſſam de Spiritu Sancto more ſolito celebratam, ordinaria habuit comitia in aula Collegii Sorbonæ, in quibus Magiſter Petrus de Beſſe Syndicus expoſuit quasdam theſes euulgatas per Ioannem Bitaudum, Antonium de Villon, & Stephanum de Claues contra doctrinam Ariſtotelis communiter receptam, quas ſupre-*

ſupremus Senatus iudicio Facultatis examinandas commiſerat, antequam ſententiam in auctores ferret. Quibus iam antea agitatis & examinatis, nec non peculiari cenſura notatis per eiusdem Facultatis deputatos, iterato communibus aſſidentium ſuffragiis cum ſua præfatione comprobari petiit, antequam ſupremo Senatui offerretur.

Facultas autem iterum poſt meridiem priuata comitia indixit, ut conficeretur cenſura generalis theſeon Ioannis Bitaudi, Antonii de Villon, & Stephani de Claues, quæ ſingularum propoſitionum qualificationibus præponeretur, antequam ſupremo Senatui offerretur.

Sequitur cenſura quarundam propoſitionum publicatarum aduerſus principia Ariſtotelica, Paracelſica & Cabaliſtica per Ioannem Bitaudum Sanctonenſem, Antonium de Villon, & Stephanum de Claues euulgatarum: de quibus dictus Bitaudus ſub moderamine de Villon erat reſponſurus, tertius uero arte chymica illarum ueritates experientiis oſtenſurus, niſi ſupremus Senatus ad poſtulationem ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis illis ſilentium impoſuiſſet. Nihil plane in Republica Chriſtiana periculoſius, nihilque communi ſanctorum Patrum iudicio cauendum diligentius, quam rerum nouitas, ea præſertim, quæ ueræ ſcientiæ, ſacræque doctrinæ manifeſte dignoſcitur aduerſari. Sic a primis Eccleſiæ temporibus ipſe ueritatis auctor Spiritus Sanctus monuit, ſancto Apoſtolo atteſtante, qui toties nouas & peregrinas hominum in facto doctrinæ opiniones omni ſtudio & diligentia

fugiendas commendauit. Vt primæ epiſtolæ ad Timotheum cap. IV. dicitur: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas uocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Ad Ephesios cap. IV. Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Et primæ ad Timotheum IV. Spiritus autem manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam a fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam. Et ad Hebræos XIII. Doctrinis uariis & peregrinis nolite abduci. Quapropter omni cura & ſtudio prouidendum, ne quid in corruptelam morum, ſcandalum populorum, labefactationem religionis & perniciem animarum euulgetur, uel ſi contingat in lucem prodire, ut ſtatim e medio tollatur, & omnibus cenſuræ notis damnatum longe lateque profligetur. Cum ergo nouiſſime in his noſtris miſeris temporibus, in quibus ad omne curioſitatis & nouarum rerum genus deprauatis & liberioribus ingeniis impune patet aditus, ſacræ Facultati Theologiæ Pariſienſis quædam occurriſſent propoſitiones typis mandatæ, palam & publice a quibusdam, quo ſpiritu ductis dubitatur, agitandæ, quæ ex profeſſo contra doctrinam Ariſtotelis omnium Philoſophorum ſine controuerſia principis, communemque omnium Academicorum conſenſum & uſum militabant, & nonnihil pericu-

li ad

li aduerſus fidei principia inuoluere uidebantur: quarum auctores de eorum fortaſſis numero exiſtebant, de quibus olim cauendum ſcripſit Apoſtolus ad Coloſſenſes II. Videte, ne quis uos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam: poſtquam a pluribus eiusdem Facultatis Doctoribus ſpecialiter deputatis diligenter examinatæ, & diſcuſſæ fuisſent in priuatis ædibus eiusdem Facultatis: tandem die II. menſis Septembris MDCXXIV. poſt misſam de ſancto Spiritu ſolito more celebratam, in generali congregatione collectis ſingulorum magiſtrorum ſententiis, cenſuit poſitiones iſtas eſſe ualde periculoſas, non modo ratione ueræ Philoſophiæ, quæ a multis ſæculis communi omnium Academiarum conſenſu recepta eſt, ſed etiam quæ non parum aduerſus principia fidei & religionis pugnare deprehendantur. Ex quibus nonnullæ inſtar aliarum peculiari cenſura ſunt notatæ.

Sequitur autem eiusmodi Theſeon tenor:

Poſitiones publicæ contra dogmata Ariſtotelica, Paracelſica & Cabaliſtica, immortalitati ſacræ.

I. *Materia prima, quam pro principio transmutationis ſubiectiuo conſtituunt Peripatetici, ſiue exiſtentiam habeat a ſe, ſiue a forma, commentitia prorſus eſt, & ſine ullo plane fundamento excogitata. In generationibus enim, quas ipſe Ariſtoteles in his inferioribus credidit, hallucinatus eſt, & cum eo ceteri, qui eius ſententiam amplectuntur.*

Hæc propoſitio prima eſt temeraria & erronea in fide.

V 5 *II. For-*

II. Formæ item omnes ſubſtantiales, excepta rationali, non minus abſurde defenduntur ab Ariſtotelicis, quam materia, cum per eas intelligunt ſubſtantias quaſdam incompletas, unum per ſe cum materia ſubſtantiale compoſitum conſtituentes. Materia enim e naturali compoſito ſublata, & formas ſaltem materiales tolli neceſſe eſt.

Hæc propoſitio eſt temeraria, erronea & hæreſi proxima.

III. In transmutationibus naturalibus quocunque modo intelligantur aduenire, quia motus ſunt, priuationem pro principio ſeu termino a quo ponunt Ariſtotelici, ſed male, cum eorum etiam in ſententia, qui materiam & formam pro aliis duobus principiis admittunt, generatio ſit poſſibilis, nulla præexiſtenti priuatione in materia, ut perquirenti facile innoteſcet.

IV. Elementorum numerum male aſſignant Peripatetici, ſiue per ea partes integrantes mundi ſublunaris intelligant, ſiue corpora, ex quibus mixta componantur, & in quæ reſoluantur. Paucioribus enim quatuor mundus hic conſtituitur; & mixtum pluribus, quod utrumque experientiæ, rationi, & omnium mixtorum anatomiæ adſtipulatur.

V. Mixtum namque quinque corporibus ſimplicibus, ſeu elementis actu & formaliter in eo exiſtentibus conſtituitur; terra uidelicet, aqua, ſale, ſulfure, ſeu oleo & mercurio, ſeu ſpiritu acido. Quæ uera & ſola principia naturalia cen-

cenſenda ſunt, utpote quæ neque ex ſe mutuem, nec ex aliis, ſed ex ipſis omnia compoſita phyſica conficiuntur.

VI. Hæc principia ingenerabilia & incorruptibilia ſunt, eiuſdemque ſpeciei infimæ in omnibus mixtis, quicquid imperitum Chymiſticum uulgus cum Paracelſo reclamet. Diuerſitas enim ſalium, ſulphurum & mercuriorum, ſi qua apparet in uariis mixtorum reſolutionibus, depuratione & ſeparatione heterogeneorum ad homogeneitatem a peritis tandem reducitur.

De prædictis quatuor propoſitionibus nihil dixit Facultas, quia ſunt pure Phyſicæ uel Chymicæ.

VII. Ex diuerſa nihilominus mutatione & contemperatione iſtorum quinque principiorum ſecundum quantitatem, oritur omnis uarietas, quæ reperitur in compoſitis pure materialibus, ſiue ea generica ſit, ſiue indiuidualis, cum ex ſola unione & mixtione eorum ſine productione nouæ cuiuſdam entitatis omnia compoſita humano excepto conſtituantur.

VIII. Ex diuerſitate mixtionis & contemperatione principiorum emanat omnis actio, & motus ſaltem corporeus, qui in quolibet compoſito ſenſibili reperitur, non alitur ab agente illo & ſpiritu uniuerſali, igne uidelicet, quem aliqui pro anima mundi & principio omnium actionum dormiendo excogitarunt, & multis huius ciuitatis primatibus pro arcano maximo tradiderunt.

IX. Mundus autem hic ſublunaris duobus duntaxat ele-

elementis, terra & aqua; tanquam partibus integrantibus conſtituitur: aer enim ab aqua eſſentialiter non diſcrepat, nec ignis elementaris in concauo Lunae reponendus, cum a cœlo empyreo non diſtinguatur. Quæ omnia, etſi a Philoſophia communi aliena uideantur, demonſtrationibus tamen comprobare non erit multum difficile.

Hæ duæ propoſitiones ad Philoſophos remiſſæ ſunt, ut ad ſequentes gradus fieret, quæ ſunt alicuius momenti.

X. Somniarunt Peripatetici, dum parum congrue de naturis locuti dixerunt, ueras & phyſicas alterationes fieri per introductionem nouæ & ſolius entitatis alicuius accidentalis ſubiecto inuariato quoad ſubſtantiam manente. Cum tamen nulla unquam ſine additione aut detractione principiorum, aut eorum multiplici mixtione accidere queat.

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & aliquo modo impugnat ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum.

XI. Errarunt inſuper Ariſtotelici, dum igni ſiccitatem in excellenti gradu attribuerunt. Eſt enim corporum omnium humidiſſimus, & exſiccatio, quam illi Philoſophorum uulgus competere exiſtimat, commentitia, ſicut & grauitas terræ maxima, quæ in uera Philoſophia leuior aqua exiſtit, etſi prima fronte ſub illa deliteſcere deprehendatur. Sed & hoc mixtioni & heterogeneitati adſcribendum.

Hæc

Hæc propoſitio eſt falſa, & ſenſui communi repugnat.

XII. *Qualitates uirtuales primarum productrices ſine fundamento admittunt Ariſtotelici, cum omnia experimenta, quæ ipſi pro ſua ſententia iactitant facere, per ſubſtantias actu & formaliter in corporibus tales actiones producentibus exiſtentes, ſoluantur, & ut ſubtiliore talium affectuum perquiſitione cuilibet uel parum in rebus naturalibus erudito innoteſcere poteſt.*

Hæc propoſitio eſt falſa & temeraria.

XIII. *Nibil abſtruſius, nibilque magis experientiæ repugnans transmutatione, quam inter elementa profitentur. Vera enim ſemper terra eſt, nec ullo modo in aquam, aut aliud quiduis elementum transmutabilis, ſicut nec aqua in terram, aut aër in ignem: quod item de ceteris principiis, ſale, oleo, & ſpiritu dicendum aſſeueramus.*

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria & erronea in fide.

XIV. *Ex bis omnibus manifeſtiſſimum eſt ignoranter, aut potius malitioſe irriſa, & ſugillata ab Ariſtotele duo antiquorum dicta, omnia ſcilicet eſſe in omnibus, & omnia componi ex atomis ſeu indiuiſibilibus. Quod utrumque, quia ratione ueræ Philoſophiæ, & corporum anatomiæ conforme eſt, mordicus defendimus, & intrepidi ſuſtinemus.*

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria & in fide erronea.

Ad calcem harum Theſeon continebantur ea, quæ ſequuntur mutato charactere.

Cetera, quæ de qualitatibus & mixtione elementorum, meteororum generatione & alteratione, coelorumque natura & proprietatibus Ariſtoteles, Paracelſus, totaque antiquorum Cabala contra ueram philoſophandi rationem nobis tradiderunt, proximis theſibus euertenda reſeruantur. & infra.

Harum propoſitionum inexpugnabilem ueritatem tuebitur, Deo dante, Ioannes Bitaudus Sanctonenſis; arbiter & præſes ſedebit Antonius de Villon, alias miles Philoſophus, & in Vniuerſitate Pariſienſi Profeſſor Peripateticus.

Item minuſculis literis.

Atque ut maiori omnia ſint oblectamento, aſſidebit Stephanus de Claues Doctor Medicus, qui propria nixus experientia, aſſiduaque, & profunda rerum naturalium meditatione ſuffultus, pro hac iamdiu a ſe detecta aduerſus Ariſtotelis & Paracelſi ſectatores elementorum ueritate, ubi opus erit, uerba faciet, ut abhinc die Lunæ proxima initiantibus experientiis, atque iteratis rationibus ita ſua dicta comprobet, omniumque oculis tam aperte ſubiiciat, ut omnes adſtantes ueriſſima hæc omnia, uno ſimul die fateantur.

Tum demum hæc clauſula ſequebatur.

Die Sabbati proxima & Dominica XXIV. & XXV. menſis Auguſti toto pomeridiano tempore, Lutetiæ Pariſiorum in Palatio Reginæ Margaretæ.

Hactenus ex tabulario Facultatis Theologiæ: nunc referendum eſt Senatusconſultum, quod his concipitur uerbis. PARI-

PARISIENSIS SENATVS DECRETVM.

Veu par la Cour la Requeſte preſentée le XVIII. Aouſt. M DC XXIV, par les Doyen, Syndic & Docteurs de la Facultè de Theologie en l' Vniuerſité de Paris, tendant a ce que les nommez Villon, Bitaud, & de Claues, comparoiſtroient en perſonne, pour reconnoiſtre, auouër, ou deſauouër les Theſes par eux publiées, & oüir leur declaration, eſtre procedé contre eux ainſi que de raiſon: cependant permis faire ſaiſir lesdites Theſes, & defenſes faites de les diſputer. Copies imprimées desdites Theſes, pour eſtre agitées en public le XXV Aouſt. Arreſt du XXIX. dudit mois, par lequel ladite Cour auroit ordonné, que leſdites Theſes ſeroient communiqées aux Docteurs de la Facultè de Theologie, pour donner aduis ſur icelles. L' aduis de ladite Facultè du II. Septembre, contenant la Cenſure des propoſitions contenuës esdites Theſes. Le procés uerbal de Caſſault Huiſſier, du III. Septembre, contenant la propoſition faite dudit Villon; ledit de Claues ouy: Concluſions du Procureur General du Roy, & tout conſideré: LA COVR aprés que ledit de Claues a eſté admoneſté, ordonne, que lesdites Theſes ſeront déchirées en ſa preſence, & que commandement ſera fait par l' un des Huiſſiers de ladite Cour ausdits de Claues, Villon, & Bitaud, de ſortir dans uingt-quatre heures de cette uille de Paris, auec defenſes de ſe retirer dans les Villes & lieux du reſſort de cette Cour, enſei-

gner

gner la Philoſophie en aucune des Vniuerſitez d' iceluy, & à toutes perſonnes de quelque qualitè & condition qu' ils ſoient, mettre en diſpute lesdites propoſitions contenuës esdites Theſes, les faire publier & uendre ou debiter, à peine de punition corporelle, ſoit qu' elles ſoient imprimées en ce Royaume ou ailleurs. Fait defenſes à toutes perſonnes, à peine de la uie, de tenir ni enſeigner aucunes maximes contre les anciens Autheurs & approuuez, ni faire aucunes diſputes, que celles qui ſeront approuuées par les Docteurs de ladite Faculté de Theologie. Ordonne, que ledit Arreſt ſera leu en l' aſſemblée de ladite Facultè en Sorbonne, mis & tranſcrit en leurs Regiſtres, & outre copies collationnées d' iceluy, baillées au Recteur de l' Vniuerſitè, pour eſtre diſtribuées par les Colleges, a ce qu' aucun n'en pretende cauſe d' ignorance. Fait en Parlement, & prononcé le IV. iour de ſeptembre M DC XXIV. Ledit iour ledit de Claues a eſté mandé, & lesdites Theſes ont eſté déchirées en ſa preſence.

Præcipua huius Senatuſconſulti capita hæc ſunt. I. Inſpecto ſupplice libello, quem Facultas Theologiæ contra Ioannem Bitaudum, Antonium Villonium, & Stephanum Clauium Senatui obtulit, Senatus uetuit, ne propoſitæ ab iis hominibus Theſes in publicum diſputandæ prodirent. II. Senatus idem ſtatuit, ut illæ Theſes in manus Facultatis traderentur, Theologiæque magiſtris communicarentur. III. Conſiderata Theſium cenſura, cui Facultas uacauerat, audito gene-

generali Cognitore Regio, & uiſis quæ ad hanc litem pertinent, inſtrumentis omnibus, præmonito Stephano Clauio Senatus edixit, ut idem Stephanus, Antonius Villonius, & Ioannes Bitaudus infra XXiV. horas Lutetia exirent, nec in ullas ditioni ſuæ obnoxias urbes ſeſe reciperent, aut inibi Philoſophiam docerent. IV. Senatus prohibuit, ne quis ſub pœna corporis eas theſes in medium produceret, uenderet, uel diſtribueret, ſiue in hoc regno, ſiue alibi typis mandatas. V. Senatus decreuit, ne quis contra ueteres & probatos auctores ulla dogmata teneret, aut traderet ſub poena capitis, aut ullas inſtitueret diſputationes præter eas, quæ a Theologis Doctoribus approbarentur.

CAPVT XVIII.

Nonnulla in hanc ultimam Ariſtotelis fortunam, & eius decurſum adnotantur.

Petrus Gaſſendus cauſam Petri Rami, Ioannis Bitaudi, Antonii Villonii, & Stephani Clauii non admodum iniuſtam fuiſſe reipſa oſtendit. (*)

X Quo

(*) Ex Rami ſcriptis inductum eſſe Gaſſendum, ut Ariſtoteleis, quos nominat, ſe opponeret, ipſe fatetur in Præfatione, Exercitationibus Para-

QVo anno Senatusconſultum in Ioannem Bitaudum, Antonium Villonium, & Stephanum

Paradoxis præmiſſa. *Verum*, inquit, *mihi animos adiecit, timoremque omnem depulit & Viuis & mei Charronii lectio, ex qua uiſus ſum non iniuria ſuſpicari ſectam illam non eſſe penitus probandam, quod probaretur quam plurimis. Sed & uires accreuere ex Ramo præſertim, ac Mirandulano: quorum idcirco mentionem facio, quod ingenuum ſemper duxerim profiteri, per quos profeciſſem.* Meditabatur uero Gaſſendus nouam philoſophandi rationem, & Epicuræam inprimis reſtituere uolebat. Quare cum ante ſibi felicem promittere ſucceſſum haud auderet, quam Peripatetica de ſolio eſſet deturbata, non eſt, quod miremur, tantopere in illam debacchatum fuiſſe Gaſſendum. Sed nec in refellenda Peripatetica, nec explicanda Epicuræa debitum ſemper candorem præſtitit, ſed affectionibus ſuis nonnunquam indulſit. Mericus ſane Caſaubonus, teſte Almeelouenio in Vita Caſaub. p. 75. non ueritus eſt dicere, *ſe ſi quid ſcribere uellet, uel poſſet, calamum ſtricturum in Gaſſendum de Vita Epicuri, in quo libro ſceleſtiſſimum fuiſſe Gaſſendum, ſuſcipere ſe demonſtraturum, ſiquidem Auctor ille loca ubique pro Epicuro corrumpit, quod nemo ante eum obſeruauit.* Fuit interim Gaſſendo grauiſſimus ad edendum iſtum librum hortator

num Clauium factum eſt, eodem & Gratiano-

tor Erycus Puteanus, qui idem aliquando argumentum meditatus erat. Ita namque in Epiſtol. Apparatu Cent. IV. Epiſt. XCIX. p. 194. *Tu facies, quod curis ſolutior aliquando deſtinaueram & a tanto nomine infamiam propulſando, κυρίας nobis δόξας uindicabis.* Meretur illa legi Epiſtola, in qua Epicuri quaſi apologetam agit Puteanus. Eodem, quo Gaſſendus, in Epicurum erat animo Leonardus Codzandus. Parabat namque, quod ipſe ſcribit, de Magiſter. Antiq. Philoſ. Lib. VI. p. 396. *Epicurum Expenſum,* in quo *& obiecta quæque tanto uiro pro ingenii ſui tenuitate plane & plene conabatur diluere.* Dubito tamen, utrum Epicurus ille Expenſus in lucem prodierit? Forſan illum Codzandus ipſe ſuppreſſit, poſtquam nauatam pro Epicuro operam Petri Gasſendi uidit, tum quidem, quod pag. 390. fatetur, ipſi nondum uiſam. Neque Codzandus paria facere cum Gaſſendo poterat ſummæ eruditionis, nec minoris ingenii uiro, quique omnibus iſtis inſtructus erat præſidiis, quæ ad hoc negotium, rite conficiendum erant neceſſaria. Sed ab his deſtitutus fuiſſe uidetur Codzandus, cuius de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum libri nihil habent eximii, ſi ab iis, quæ ab Hornio, & Voſſio mutuatus eſt, mutuatus autem eſt plurima, receſſeris. Gaſſendus

poli (*) editum a Petro Gaſſendo opus, quod & Rami, & Bitaudi, & Villonii, & Clauii cauſam plurimum adiuuaret. Hoc autem opus inſcribitur *Exercitationum Paradoxicarum aduerſus Ariſtoteleos libri VII. In quibus præcipua totius Peripateticæ doctrinæ fundamenta excutiuntur.* Liber primus octo exercitationes continet, & tale eſt unius cuiusque argumentum.

I. *Quod homines Ariſtotelei ex germana Philoſophia Sophiſticam effecerint.*

II. *Quod immerito Ariſtotelei libertatem ſibi philoſophandi ademerint.* III.

---

dus interim in non leuem Ariſtoteleorum, ſub quorum nomine ipſum exagitabat Ariſtotelem, incurrit indignationem. Quidam iuuenilis ardore ætatis illum abreptum, cum Honorato Fabro, in Epiſt. II. p. 76. pronunciant. Alii, iidemque numero plures Ariſtotelis dicunt cauillatorem. Etiam Mich. Watſonius Profeſſor Kilonienſis, teſte Morhoffio, Apologeticum pro Ariſtotele confecit, ſed in hunc usque diem ἀνέκδοτον. Ab aliis tamen ſummis ornatur laudibus. Thomas Willis de Anima Brut. P. I. c. I. p. 6. eundem *in Philoſophia experimentali uerſatiſſimum, &* αἰτιολογώτατον appellitat.

(*) Formis iterum exſcriptæ ſunt hæ Exercitationes Hagæ Comitum apud Adrianum Vlacq. A. R. S. cIↄ Iↄc LVI. Meminit Morhoffius, editas pariter eas eſſe Amſtelodami A. cIↄ Iↄc XLIX. Tandem illatæ ſunt T. III. Operum.

III. Quod rationes nullæ ſint, quibus ſecta Ariſtotelis uideri poteſt præferenda.
IV. Quod maxima ſit incertitudo librorum doctrinæque Ariſtoteleæ.
V. Quod apud Ariſtotelem innumera deficiant.
VI. Quod apud Ariſtotelem innumera ſuperfluant.
VII. Quod apud Ariſtotelem innumera fallant.
VIII. Quod apud Ariſtotelem innumera contradicant.

Alios ego Gaſſendi ſex libros non uidi, atque utrum eos ille iuris publici fecerit, me latet. (*)

(*) Honoratus Faber Ep. II. p. 74. ad Ignatium Gaſtonem Pardeſium, &, qui Fabrum deſcripſit, Morhoffius libri pariter ſecundi, tanquam a Gaſſendo editi, meminit, & quinque ſaltim reliquos, ab eodem ſuppreſſos, contendit, T. II. Polyh. L. I. c. XII. 3 & L. III. c. XII. 7. Aſt num ea ita ſe habeant, alii uideant, quibus iſte innotuit liber ſecundus, qui mihi, forſan & aliis, nunquam eſt uiſus. Cauſa, quamobrem ab iſto opere deſtiterit, non una, dicamne, fingitur, an affertur. Io. Ionſius de Script. H. P. Lib. III. c. XX. p. 313. exiſtimat: *puduiſſe Gaſſendum coepti inſolentis, ut libros reliquos tenebris æternis damnauerit.* Honoratus Faber l. c. affirmat, abſtinuiſſe Gaſſendum a publicandis iſtis libris, ſuaſu, conſilioque amicorum, propterea, quod, *propter prioris libri editionem non parum ſtomacharentur Peripatetici,* quo-

Qua tamen de re in illis tractaturus eſſet, ſua in librum primum præfatione monet. *Liber*, inquit, *ſecundus opponitur Dialecticæ Ariſtoteleæ, ubi primum nulla ipſius Dialectices neceſſitas, utilitasue eſſe declaratur. Deinde uero, ubi declamatum eſt in Vniuerſalia, Categorias, propoſitiones Ariſtoteleas, diſputatio inſtituitur aduerſus ſcientiam & demonſtrationem ab Ariſtotele præſtitutam; atque hic præcipue eſt, ubi cognitio ſcientiaque humana arguitur infirmitatis ac incertitudinis.*

Liber tertius deſtinatur in Acroaſim Phyſicam. Hic impugnatur numerus principiorum Ariſtoteleorum, interque cetera formas eſſe accidentales adſtruitur. Hic aliunde eſſe motus naturalis aſſeritur, quam uulgo exiſtimetur. Hic ueterum ſpatium poſtliminio reuocatum Ariſtoteleo loco ſubſtituitur. Hic uacuum inducitur, reduciturque in rerum naturam. Hic tempus conuincitur aliud, quam definiat Ariſtoteles, aliaque quidem quamplurima e re nata interſeruntur.

Liber

---

quorum abuti patientia, timuerit. Quæ ratio forſan non abhorret a uero. Neque enim ignorare poterat cenſuram, eodem, quo exercitationes ſuas edidit, anno, ab Ordine Theologorum Academiæ Pariſienſis, in Ioannem Bitaudum, Antonium de Villon, & Stephanum de Claues, qui Ariſtotelis ſe oppoſuerant doctrinæ, latam. Ergo ne eandem ſubire cogeretur aleam, mature ab incepto opere manus iuxta calamumque remouit.

Liber quartus adoritur libros de corpore ſimplici, ubi primum & ſtellis fixis & Soli comparatur quies. Terræ uero quaſi uni ex planetis conciliatur motus. Exinde multiplicitas uel certe immenſitas mundi probabilis arguitur, præter innumera, quæ ſtatuantur παραδοξικῶς de cauſa motus, de luce & phænomenis, de generabilitate & corruptibilitate, quæ circa globos cœleſtes. Ad hæc uero ſubſtituitur impugnatio elementorum Ariſtoteleorum in numero, in qualitatibus tam motiuis, quam alteratiuis, in transmutabilitate inter ſe, in compoſitione mixtorum.

Liber quintus aggreditur uulgares tractatus, quos de mixtis inſtituunt. Quo loco Cometas traiicio per ætherea ſpatia, illoſque ſtatuo non minus perpetuos, quam ſidera perpetuo conſpicua. Præterea chylo ex ſtomacho tranſeunti in iecur, nouum aliudque iter aperio, quam per uenas mezaraicas. Ad hæc autem plura diſtinguo genera uiuentium, quam tria: ſemen animatum facio, brutis rationem reſtituo, intellectum phantaſiamque nullo diſcerno diſcrimine. Poſtremo id maxime ſuadeo, ut reſpuat homo, quod non eſt.

Liber ſextus inſtituitur aduerſus Metaphyſicam. In hoc ubi reiecta eſt pars maxima elogiorum, quæ Metaphyſicæ deferuntur, impetuntur potiſſimum uulgata illius principia, & celebres illæ proprietates entis, unum, uerum, bonum. Deinde uero fidei orthodoxæ aſſeritur quæcunque cognitio habetur de intelligentiis, deque Deo ter maximo, dum nimirum oſtenditur, quam uana ſint argumenta,

quibus philoſophari ſolent de ſubſtantiis illis ſeparatis ex naturali lumine.

Liber denique ſeptimus eſt in moralem philoſophiam. Is nimirum opus habet enumeratione prolixa. Vno enim uerbo docet illam Epicuri de uoluptate ſententiam, oſtendendo uidelicet, qua ratione ſummum bonum in uoluptate conſtitutum ſit, & quemadmodum laus uirtutum, actionumque humanarum ex hoc principio dependeat. Atque hæc ſunt, quæ ſi propoſuiſſent Ramus, Bitaudus, Villonius, & Clauius, quid iis hominibus factum eſſet? Si quid autem fieri potuit acerbius, Talæi multo melius, quam mea oratione exprimeretur.

Gerardi & Arnoldi Bottiorum de Ariſtotele & eius Philoſophia iudicium.

Gerardus & Arnoldus Bottii fratres ſcripſerunt librum, cui titulus eſt, *Philoſophia Reformata, id eſt, Philoſophia Ariſtotelicæ accurata examinatio ac ſolida confutatio.* In eo libro paſſim in Ariſtotelem atrociter inuadunt. Et primo quidem in præfatione, ubi conſilii ſui rationem reddunt: *Ab iſtorum nonnullis cum Ariſtotelis dogmata mire exagitari uideremus, & quotidiana experientia dum exorientes ſubinde difficultates haud quaquam liquido ex Ariſtotelis principiis expedire quiuimus, illos haud prorſus uano afferre deprehenderemus: primo quidem hoc tantum a nobis impetrauimus, ut crederemus, non omnia adeo ſana certaque eſſe in Peripato ac hactenus ſenſeramus. Paulatim autem ulterius progreſſi,* &

& ueras rerum cauſas in dies ſollicitius rimantes, cum magis ac magis nullum in Ariſtotelica Phyſiologia difficultatum exitum inueniremus, omnesque ſolutiones principiis ipſius ſuperſtructas labare, & uix ad tenuiſſimam probabilitatem, ſi quis penitus excuteret, procedere animaduerteremus, oculos tandem attollere auſi ſumus contra iſtam tantopere nobis prius dilectam ac tot ſæculorum conſenſu approbatam Philoſophiam, & in qua tantum ſtudii ac laboris ſumpſeramus, & diſcuſſa ueluti caligine, quam longa conſuetudo & imbibita ἀνεξετάςως per tot annorum ſeriem doctrina aciei noſtræ obduxerat: omnique affectu, quo antea cœcati fueramus, ſepoſito, non modo probationes ac collectiones ex Ariſtotelicis principiis ductas, ſed ipſa quoque illa principia in dubium reuocare, & tot de cauſis ſuſpectam iam ipſorum ſoliditatem propius explorare, atque ſeuero ueritatis examini ſubiicere aggreſſi ſumus: id quod non paucorum dierum aut menſium, ſed longi plane temporis opus fuit, nobis omnes uacuas horas, & quicquid otii nanciſci potuimus, in eam rem conferentibus.

Quanquam autem ita hic nos geſſimus, ut Ariſtoteli quantum pote faueremus, atque in omni diſquiſitione decreta ipſius pro uirili tueri conaremur, ab iisque nunquam nos niſi inuiti atque aperta ueritate conuicti diuelli pateremur: ita tamen uſu uenit, ut pleraque omnia pro infirmis, omnique ueritatis atque idoneorum argumentorum fulcimento deſtitutis condemnare atque deſerere coacti fuerimus.

Deinde in capitis I. ſectione I. num. II. *Ariſtoteles prius ueterum ſuper hoc negotio* (principiis) *ſententias expendit, quam propriam aperiret: quos tamen minus calumnioſe tractaſſe, non ſine cauſa plerisque uidetur; quod ſuo loco plenius a nobis conſiderabitur.*

Tum in eiusdem capitis ſectione III. num. LIX. *Sicuti igitur plane ineptiunt Peripatetici, quando coacti fateri, quod formæ e nihilo ſiant, negant rurſus ex nihilo fieri, quia nimirum per ſe non ſubſiſtant, atque e materiæ potentia educantur. Ita multo ineptiunt magis, quando hoc ipſum negant ob alteram iſtam exceptionem, quia ne fiant quidem omnino: non fieri autem eas probant hoc axiomate, quod neque materiam fieri aut interire dicit, neque formam, ſed ſolum compoſitum. Hoc eſt ignotum aut incertum probare per æque ignotum & incertum: Imo notum & certum eſt, & eam aſſertionem, & hoc axioma, utraque eſſe falſiſſima, cum & illa hoc ſolo ſubnitatur, & ipſum autem non habeat aliud fulcimentum, niſi nudam Ariſtotelis auctoritatem, qui nullis unquam rationibus, ſed ſolis ſimilitudinibus iisque propoſito ipſius aduerſiſſimis illud ſtabilire anniſus eſt.* Et paullo poſt: *Videtur autem Ariſtoteli hic accidiſſe id, quod alibi ipſi accidit quam ſæpiſſime, & a nobis non uno huius operis loco adnotatur: ut nimirum aliena dogmata, ſuæ doctrinæ directo atque e diametro aduerſantia pro ſuis uſurpet, atque ad ſuas traditiones quibuscum ſtare nullo pacto queunt, accommodet, qua nulla maior incogitantia reperiri poteſt.* Quarto

Quarto in capitis II. ſectione I. num. VI. *Non hoc inſolens eſt Ariſtoteli, ut ἀσύςατα loquatur.*

Quinto paullo poſt ſub finem eiusdem num. VI. *Eſt ſane hoc perpetuum illorum hominum, qui adeo ſeruiliter Ariſtoteli ſacramento dixerunt, fatum, ut dum præceptorem ab antilogiis uindicare contendunt, ſibique conſentanea ubique loqui cogunt, ipſi in maximas ac manifeſtiſſimas incidant abſurditates, cum poſſent longe leuiori negotio ſe expedire, ubicunque tale aliquid in eo occurrit, quod cum ipſius placitis minus bene quadrat, fatendo ingenue, illum ſibi ipſi contradicere, propterea que non quid ibi, ſed quid alibi dicat, attendendum eſſe. Sed illis hoc facere non permittit ſacroſancta Magiſtri maieſtas, quam uilem ac protritam futuram uident, ſi ipſi hoc iter ingrediantur, cum innumeris antilogiis ſcateant ipſius ſcripta, quas omnes cum excuſare ac conciliare nitantur, mirum non eſt, ſi ad ſummas ipſi ineptias redigantur.*

Sexto in capitis II. de principiis & cauſis ſectione I. num. VII. *Vt ſane condonandum quodammodo Ramo uideatur, ſi intemperantius ſubinde Ariſtotelem inceſſit, præſertim in Phyſicis & Metaphyſicis: qui libri adeo ſcatent toti iſtis non modo falſis, ſed amethodis prorſus atque pugnantibus ſermonibus ut uel adamantinam patientiam expugnare atque contra ſe irritare poſſint. Et quisquis ita affectus eſt, ut ſeruili alienorum dogmatum neceſſitati manifeſtam audeat anteponere ueritatem, (quod pauciſſimi hactenus cum ratione facere*

facere ſuſtinuerunt, aut ſciuerunt) fateatur neceſſe eſt peſſime de re philoſophica meritum eſſe Ariſtotelem, cum libris iſtis Phyſicis ac Metaphyſicis, quæ et ueritatis uix ſcintillam habent, & præterea falſas atque abſurdiſſimas theſes tanta cum fluctuatione & confuſione, ut uideantur ad aliud nihil comparata eſſe, niſi ut animos hominum atque ingenia, non modo erroribus penitus inuoluerent, ſed & infinito in plerisque rimandi ipſam auctoris ſententiam labore miſerrime exercerent, atque attererent. Nihil hic a nobis fruſtra dici teſtantur enormia illa atque ridicula opinionum portenta, quæ ex Ariſtotelicis fundamentis neceſſario ſequentia, tantum abeſt ut ſectatores eius ad ſanam mentem redire, atque de eiusmodi fundamentis attentius cogitare faciant, ut illa pro ueriſſimis axiomatis unanimiter excipiant omnes, atque aliis obtrudant: ob illud ipſum, quod ex ipſis hypotheſibus ſequuntur, cum pleraque eorum talia ſint, ut ſi quis Peripateticis figmentis imbutus ea audiat, iuraturus ſit, niſi ab inſanis talia pronuntiari aut credi non poſſe.

Poſtremo in eiusdem capitis ſectione III. num. II. *Aſt ſic quoque falſum eſſe, quod ueteribus impingit, uel ex ipſius ſcriptis euidentiſſime colligi poteſt: quandoquidem paſſim ea ſcribit, e quibus appareat, uix quemquam eorum, qui ante ipſum fuiſſent, Philoſophorum, Deum ab opificio mundi penitus excluſiſſe, falſamque illam ac ſtultam opinionem, quæ mundum facit æternum & ἀγέννητον ab ipſo primo in Philoſophiam fuiſſe introductam.*

ductam. Namque in libro de cœlo capite X. diſerte ſcribit, omnes Philoſophos, qui ante ipſum fuerunt, ſenſiſſe, mundum non ab æterno fuiſſe, ſed originem habuiſſe. Hæc illi & alia permulta, quibus & Ariſtotelem & eius Philoſophiam configunt, & Ramo, Bitaudo, Villonio, & Clauio ſuppetias ueniunt.

Franciſcus Harlæus Rotomagenſis Archiepiſcopus de Ariſtotelis Philoſophia Theologicis nimium immixta conqueritur.

Quam Pariſienſes Theologi de nonnullis Theologiæ Profeſſoribus querelam habent in capite XII. eandem & in hoc capite XVIII. Franciſcus Harlæus Rotomagenſis Archiepiſcopus habet; & in tomo III. Myſterii Euchariſtiæ ab Auguſtino explicati ſic ualidiſſime proponit. *Mais cela paſſe les Eſcoliers lurez, qui ne ſont pas enuoiez pour eſtudier le fond des liures; mais pour apprendre à debatre & conteſter à tors & à trauers, & pour s' exercer aux diſputes.* Et poſt alia: *On a creu s' aſſeurer, ſe fortifier & fuir les erreurs, de quitter l' Eſcriture & les Peres, pour eſtudier cette Theologie Methodique, ou pluſtoſt Nominale, qui a cours en noſtre temps. Et l'on s' eſt bien lourdement trompé. Pour fuir ainſi ce doute, ils tombent dans la preſomption, qui s' accompagne touſiours d' une exceſſiue hardieſſe, ils affoibliſſent la Religion, l' appuyans ſur de foibles raiſons, & au lieu d' erreurs pardonnables à l' ignorance, qui arriuent à des gens, qui ne pretendent pas de ſçauoir*

uoir tout, comme pluſieurs de l' antiquité en ont eu, ſans que cela ait porté preiudice à l' Egliſe, nous uoyons un gouffre de temeritez modernes & à erreurs gnoſtiques plus dangereuſes que les Huguenotiques, qui pullulent entre les bandes Scholaſtiques, dont i' attends à dire mon auis, quand ie me uerray enuironné, d' un Concile. Quod Latine dicitur: *Verum iſtud ſuperat captum iuratorum Scholarium, qui non mittuntur in Academiam, ut artes ipſas totas, & ſcientias combibant, ſed ut litigandi & Andabatarum more pugnandi rationem perdiſcant, & ut ſeſe in uariis diſputationum generibus exerceant. Crediderunt nonnulli erigere ſe, nouas uires colligere, atque errores uitare, ſi Scripturam & ſanctos Patres deſererent propter ſtudium huius methodicæ, ſeu potius Nominalis Theologiæ, quæ nunc dierum uiget. Sed illi uehementer hallucinati ſunt. Vt id quod dubium eſt, fugiant, in arrogantiam, quæ ſemper immodicam ſecum trahit fiduciam, incurrunt, Religionem affligunt eneruantque, dum illam debilibus rationum momentis ſuſtentare conantur. Fuerunt e ueteribus, qui cum non omnia ſcirent, ab ignorantia iis hominibus familiariori errores admiſerint, tolerabiliterque peccauerint, & ſine magno Eccleſiæ detrimento. Sed pro erroribus huiusmodi non indignis uenia conſpicimus certum quoddam barathrum temerariarum opinionum recentium & gnoſticorum dogmatum Hugonoticis periculoſiorum, quæ inter Scholaſticorum turmas emergunt. De quibus omnibus aliquando dicam ſenten-*

ſententiam, cum in medio Eccleſiæ conſeſſu iudicaturus ſedebo. Hæc ille, qui & Pariſienſis e Schola Theologus fuit. Tunc ergo ſæculi Philoſophia polluit & maculat Theologiam, cum a magiſtris Scriptura & legitima traditio, Theologiæ principia duo, uel alterutrum deſeritur, & in locum ſufficitur Philoſophus, aut alienæ rationes, quæ ex illius dictatis tanquam ex penu proprio eruantur.

Albertus Pighius hoc ipſum ſuperiori ſæculo dolenter obſeruat, & grauiter reprehendit in libri VI. de Hierarchia Eccleſiaſtica cap. IV. *Paradoxa ut uideantur pleraque, quæ ex Theologicis principiis alioqui ſunt euidentiſſima, fecit ſacrarum literarum & Eccleſiaſticæ illius antiquitatis orthodoxorumque Patrum, qui iam diu regnauit, neglectus, & recepta pro illis profana quædam quiduis ex ſuo ſtatuendi definiendique iudicio, impiaque temeritas, nuper quorundam, qui ſophiſticis magis ratiunculis, quam ad certiſſima illa, quæ oſtendimus, principia* (Scripturam & traditionem Eccleſiæ) *expendebant omnia: nunc uero nonnullorum, qui faſtu ſæcularium literarum inflati de ſingulis pro ſuo iudicio pronuntiant, & ſe diuinorum humanorumque omnium Ariſtarchos conſtituunt.*

Ex iis autem, quæ auctores hi duo notant, contigit, ut certi quidam inueniantur Theologi, quorum ſcriptis alias ne conuenit quidem Scholaſticæ Theologiæ definitio, quam Lutherus per irriſionem ita fabricauit: *Scholaſtica Theologia eſt*

eſt ea, quæ a Pariſienſium Sorbona mixtione quadam ex diuinis eloquiis & Philoſophicis rationibus tanquam ex Centaurorum genere biformis diſciplina conflata eſt. Non paucas enim illi quæſtiones tractant, in quibus diuina eloquia non adferuntur, ſed tantum Philoſophicæ rationes, quibus placita ſua conſtabiliunt. Quod genus mali cum Hieronymus Hangeſtus Pariſ. Theologus illuſtris Luthero reſpondit, diſſimulare non potuit. *Ob nonnullos*, inquit, *Profeſſores nequaquam declamanda eſt Scholaſtica Theologia in ſophiſmata paulatim delapſa; ſiccine apud huiusmodi uanos reſidet uniuerſa ſcholæ auctoritas? Reuera minime, ac potius exploduntur illi ac riſui habentur.*

Prima Ariſtotelis fortuna cum ultima comparatur.

Quæ hic de octaua ſeu ultima Ariſtotelis fortuna dicere inſtituo, de ſeptima dici poſſent, ſiue quia multum diſpares non ſunt, ſiue quia in iisdem propemodum confiniis uerſantur. Si quis igitur ultimam Ariſtotelis fortunam cum prima contexat, id inueniet, quo rerum humanarum inconſtantiam uehementer admiretur. In prima Ariſtotelis lectio interdicitur: in ultima commendatur. In prima Ariſtotelis opera comburuntur ad ignominiam et dedecus: in ultima ab ignominia & dedecore uindicantur. In utraque fortuna aduerſa & proſpera comparent Theologi, quorum alii primam, alii ultimam adornant. Qui primam adornant, in ſe recipiunt Ariſto-

riſtotelem cum excogitatis tum excogitandis contra fidem erroribus patrocinari, & in cauſa fuiſſe, cur Almaricus uarios errores inuexerit, damnatuſque poſt mortem atque exuſtus fuerit. Qui uero ultimam, ad Philoſophi iam pridem a Concilio perculſi defenſionem, Scripturas ſacras & certa quædam dogmata Eccleſiæ accerſunt. Hæc eſt hiſtoria, quam ex monumentis propriis & publicis narrare tantum aggredior.

Deinde rerum conuerſio uix poteſt eſſe maior, quam quæ hic apparet. Qui Ariſtotelis libri legebantur olim, nunc minime leguntur, uel ſi leguntur, deguſtantur magis, quam leguntur: qui uero non legebantur olim, nunc omnino leguntur, mirantibus ſcholis, plaudentibus Academiis. Res eſt facti, quæ ſua expoſitione ſplendeſcit. Hiſtorice loquor, nec meum eſt tantas inter ſe componere lites. Componat qui uoluerit, & qui feliciter componet, plane meus erit.

CAPVT XIX.

Quantum ſit ultimæ Ariſtotelis fortunæ præſidium, demonſtratur.

HAec poſtrema fortuna auctoritate ſtat ſua, quæ ſine dubio grauiſſima uideri poteſt. Ex ueterum Chriſtianorum commentariis mihi nihil occurrit, quod huc adferam, præter Anatolii Laodicenſis Epiſcopi factum, cuius cap. II. memini. Sanctus quidem Hieronymus libro contra Iouianum

anum primo laudat Ariſtotelem, ſed non laudat in iis, quæ ad Metaphyſicam, aut Phyſicam ſpectant: uerba ſunt hæc: *Scripſerunt Ariſtoteles, & Plutarchus, & noſter Seneca de matrimonio libros, ex quibus & ſuperiora nonnulla ſunt, & iſta quæ ſubiicimus.*

Deinde in cap. X. Eccleſiaſtæ: *Lege Platonem. Ariſtotelis reuolue uerſutias, Zenonem & Carneadem diligentius intuere, & probabis uerum eſſe, quod dicitur, labor ſtultorum affliget eos.* Hic non multum laudatur Ariſtoteles.

Tum in libro III. ad cap. XVII. Hieremiæ: *Aiunt Scriptores naturalis hiſtoriæ tam beſtiarum & uolucrum, quam arborum, herbarumque, quorum Principes ſunt apud Græcos Ariſtoteles & Theophraſtus; apud nos Plinius Secundus, hanc perdicis eſſe naturam, ut oua alterius perdicis id eſt aliena furetur.* Sed Ariſtotelis libri de natura animalium nec prohibiti, nec damnati fuerunt.

Poſtremo in cap. III. Ionæ Prophetæ: *Quid ualeat apud homines ſæculi eloquentia & ſapientia ſæcularis, teſtes ſunt Demoſthenes, Tullius, Plato, Xenophon, Theophraſtus, Ariſtoteles, & ceteri oratores ac Philoſophi, qui uelut reges habentur hominum, & præcepta eorum, non ut præcepta mortalium, ſed quaſi oracula accipiuntur deorum.* Hæc de Ariſtotele, ſed cum reliquis coniuncto. Sed utrum ille reprehendatur potius, quam laudetur, iudicent alii. Iam in cap. II. uidimus Hieronymum minime pati, ut Ariſtoteles diuinis ac Theologicis rebus immiſceatur. Geor-

Georgius Hornius in libri III. de hiſtoria Philoſophica cap. XV. de beato Hieronymo mentionem faciens ait: *Idem in cap. III. Ionæ teſtatur, quosdam honoris ergo numiſmata ænea ſignaſſe eius imagine, quorum in aduerſa parte NATVRAE MIRACVLVM eſſet inſcriptum.* At uerba hæc, neque hoc, neque ullo alio Commentarii in Ionam loco habentur, & utrum apud Hieronymum habeantur uspiam, neſcio. Hornius a ſe ipſo uel ab alio deceptus eſt. (*)

(*) De Hornio, non eſt, quod miremur. Solebat namque plerumque αὐτοσχεδιάζειν, & autores, quos laudat, ex aliis, non ſine furti ſpecie, excitare. Ita autores, quos L. III. H. P. c. XI. p. 173. de Pythagoræ affert ætate, ex Benedicto Pererio petiit, in cuius de Communibus omnium rerum naturalium principiis & affectionibus L. IV. c. IV. p. 201. eodem ordine adducuntur. Accedit, Hiſtoriam Philoſophicam opus eſſe iuuenile, nec ab Hornio unquam grauiori cura, & ſtudio retractatum. Leonardus tamen Codzandus, de Magiſt. Antiq. Philoſ. L. I. c. I. p. 11. apprime iſtam Hiſtoriam commendat. *Si quis*, ſcribit, *& Barbaricæ Originem, incrementa pernoſcere cupit, legat Georgii Hornii Hiſtoriam Philoſophicam, quam in VII. libros digeſſit. Spondeo non is abibit ieiunus, ſed multa uariaque lectione, eruditione imbutus, ac plane ſaginatus.* Ita is, qui non raro Hornii arat uitula.

Præterea Hieronymum adhuc ſic ibidem laudat: *Hieronymus in Reg. Monach. cap. II.* (*ſiue ut alii citant III. parte epiſt. XIV. cap. II.*) *Ariſtoteles ſapientum Princeps, prodigium grandeque miraculum in tota natura, cui pæne uidetur infuſum, cuiuscunque naturaliter capax eſt ingenium humanum.* At monacharum regulam hanc, quæ capita XLI. continet, ad Hieronymum pertinere nihil, & lectio perſpicue ſignificat, & uiri graues (*) ac docti conſentiunt uniuerſi. Vt mirum plane ſit Hornium non uidiſſe, quod illi uiderint. Deinde locus non refertur ſincere: ſic ſe habet: *Attende et tu fatuorum ſapientum princeps Ariſtoteles, etſi fueris absque dubitatione, prodigium grandeque miraculum in tota natura, cui pæne uidetur infuſum, quidquid naturaliter eſt capax humanum genus, quoniam ſapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum, ſi charitas non informat, ſi intellectus non captiuatur ad fidem, ſi cor ad Chriſti ſeruitutem non inclinatur.* Qui regulam Hieronymo ſubiecit, hyperbolico ſchemate utendum ſibi eſſe cenſuit, ut ſæcularis ſcientiæ uanitatem exaggeraret. Eo ſpectat totum caput undecimum, cuius uerba pæne extrema retulimus, & ubi Hieronymum ſic loquentem facit. *Non certe miſer ego Hieronymus fatuorum ſapientum imitator, antequam ſancta uerbera luerem. Quanquam*

(*) Eraſmus Roterodamus, Marianus, alii, quorum dedit teſtimonia Robertus Cocus, in Cenſ. p. m. 305.

quam ut meas miſerias detegam, me antequam uiceſimum annum ætatis attingerem, urbs Roma in ſummum prælegerat magiſtrum in omnibus pæne liberalibus artibus. Nondum ſancti Spiritus ſcholas intraueram, nondum cæcutiens peruenire ad ſanctæ ueritatis poteram diſciplinam. Non Academiæ, non certe Romæ, huius doctæ fatuitatis reſonauere gymnaſia, quæ ſancta retinet eremus. Hæc autem quis Hieronymo tribueret?

Deinde in cap. XLI. concludentem ita inducit: *Ecce uobis mea domina Euſtochium & cetera dilectiſſimæ filiæ Chriſti Apoſtolicam uitam rudi & craſſo ſtilo his chartulis ſcriptam, ſenex, pater & propinquus iam morti utpote centenarius in ætate deuoto affatu transmiſit.* Suppoſtor præter inſulſiſſimi ſtili characterem centenarium facit Hieronymum, cum regulam hanc monacharum ſcriberet. At quamuis auctores de ſancti Doctoris ætate inter ſe diſſentiant, nullus tamen illum annos uixiſſe centum & eo amplius tradit, ut impoſtor uixiſſe ſignificat.

Proſper, qui Hieronymum uidere potuit, in Chronico ſcribit: *Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis ſuæ XCI, pridie Calendas Octobris.*

Vſuardus in Martyrologio, pridie Calendas Octobris: *Apud Bethleem depoſitio beati Hieronymi Presbyteri, qui obiit anno ætatis ſuæ nonageſimo octauo.*

Ado in Martyrologio eodem die, *Tandem poſt perfectam placitamque Deo conuerſationem nonageſimo octauo ætatis anno apud Bethleem oppidum in pace quieuit.*

Regino Prumienſis Abbas in libro I. Chronicorum: *Hieronymus Presbyter obiit XII. Honorii anno, ætatis autem ſuæ XCVII.*

Hermannus Contractus in Chronico: *Hieronymus Presbyter Bethleemites incomparabilis Doctor obiit anno uitæ XCI.*

Marianus Scotus in Chronico lib. II. ætat. VI. *S. Hieronymus obiit anno ætatis ſuæ XCI.* Idque ſcribit ſemel atque iterum.

Sigebertus Gemblacenſis monachus in Chronographia: *Hieronymus obiit apud Bethleem anno ætatis ſuæ XCVIII.*

Robertus Monachus Antiſſiodorenſis in Chronologia: *Hieronymus apud Bethleem obiit anno ætatis ſuæ XCVI.*

Goffridus Viterbienſis in Chronico parte XVI. *Hieronymus Presbyter obiit anno ætatis ſuæ XCI. in Bethleem.*

Auctor Chronologicæ compilationis, quæ in annum MCCCCLXXIV. deſinit: *Beatus Hieronymus in Bethleem migrauit ad Chriſtum anno uitæ ſuæ XCIX.*

Baronius ad annum CCCLXXII. ex uariis beati Hieronymi & aliorum ſcriptis contendit illum uixiſſe tantum annos LXXVIII. uel LXXIX.

Dionyſius Petauius ſuum inter Proſperum & Baronium interponere iudicium noluit: Sic enim in Rationarii temporum part. I. lib. VI. capite XVI. ſcribit: *Hieronymus exceſſit anno CCCCXX. pridie Calend. Octobr. natus annos, ut ait Proſper XCI. At Annales Baronii nonniſi LXXVIII. uel. LXXIX.*

LXXIX. adſcribunt. Et reuera in hoc argumenti genere alteruter ſuperior eſſe debet, Proſper, uel Baronius.

Vſuardus & Ado æqualem Hieronymi uel ſupparem auctorem non habent, quem ſequantur. Regino, Sigebertus, Robertus, & Chronologicæ compilationis ſcriptor, recentiores hiſtoriæ ſuæ quisque architecti ſunt ſententiæ, quæ uel ex hoc ipſo ſatiſcit. Hermannus, Marianus, Goffridus, Proſperum ſequuntur. Baronius uero ſuæ quidem eſt conditor ſententiæ, ſed cum illam ex uariis Hieronymi & aliorum ſcriptis conſtabiliat, Hieronymi æqualem ſe præbet, & hoc nomine pugnare cum Proſpero iure poſſe mihi uidetur. Sed utri adiudicanda ſit uictoria, Petauius noluit pronunciare, & ſane pronunciatu difficile eſt, nec pronunciare in cauſa, quam tracto, neceſſe. Qui regulam monacharum Hieronymo ſuppoſuit, non ſolum a Proſpero & Baronio, ſed etiam ab aliis omnibus, cuiuscunque ſint ætatis hiſtoricis, diſſentit, atque ita fidem ſibi omnem abrogat. Poſterioribus uixit ſæculis, & nullius pro Ariſtotelis commendatione auctoritatis eſt, uel profecto exiguæ, ut interim taceam eum hyperbolice loqui uoluiſſe.

Præterea Hornius beato Cyrillo imponit adhuc, dum ibidem ita ſcribit: *Cyrillus lib. II. Theſauri cap. III. Sapientiam huius mundi ex diſciplinis Ariſtoteles unice deriuat.* Et primo quidem Hornius uidetur non legiſſe beati Cyrilli Theſaurum, qui nec in libros, nec in capita diuiditur

tur, ſed in τὰς λόγους, (*) id eſt, aſſertiones numero XXXV. Deinde uerba hæc nec in Theſauro, nec usquam apud Cyrillum habentur. Sunt male conſarcinata ex iis, quæ in cap. II. de Cyrilli ſcriptis obſeruaui. Poſtremo conuenienti ſenſu carent, & eam ob causam Cyrillo tribui non poſſent.

Rurſus Cyrillo eidem imponit adhuc, dum paullo poſt ait: *Cyrillus Alexand. lib. I. aduerſus Iulianum teſtatur, Græcis Ariſtoteleam grauitatem ſententiarum maximam & uſque ad miraculum uideri.* De Græcis hæc ibi ſcribit Cyrillus: *Quandoquidem igitur Græci ſuis Doctoribus magnopere gloriantur, & nobis commemorando neſcio quos Anaximandros & Platones cum Empedocle & Protagora, aliisque præterea adiectis, qui eis impiorum dogmatum auctores, uel ut ita dicam, ignorantiæ fontes extitere, magnum ſtuporem incuſſuros putant.* Hic de Ariſtotele nihil, cuius paullo poſt ſic fit mentio: *Centeſima tertia Olympiade Ariſtotelem adhuc impuberem Platoni operam dediſſe aiunt.* Accedit quod citata ab Hornio uerba nuſquam apud Cyrillum reperiantur.

(*) Nemo ignorat λογον Græcis quandoque denotare librum. In fronte cuiuslibet libri apud Euſebium leguntur. Εὐσεβίου τοῦ παμφίλου Ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας λόγος. Et in fine, Ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας λόγου τέλος. Qua ratione forſan excuſari poterit Hornius, quem alioquin non excuſo.

tur. Quare Hornius falſum dicit de Ariſtotele ſcribens: *Sancti quoque Patres ſingularem ei laudem tribuunt.* Hoc mendacio & hac fraude fidem in allatis poſtea Cyrilli & Hieronymi teſtimoniis ſibi præſtruxit.

Ceterum, ſi Hornius perſuaſus fuit, Hieronymum & Cyrillum ea de Ariſtotele dixiſſe, quæ ut ab illis dicta retulit, non ſatis capio, cur in libri VI. capite IX. Hiſpanis, Italis, & (*) Societati exprobret, cur *Ariſtotelem ſuperſtitioſe ſectentur.*

Venerabilis Beda, quamuis Ariſtotelem a Chriſtianæ fidei uicinitatibus & confiniis prohibuerit, ut capite ſecundo uiſum eſt, ſententias tamen ex eo decerptas corpus in unum compegit.

Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus in cap. primum I. ad Corinthios epiſtolæ, ſuper illud *Non in ſapientia*, notat: *Sapientiam, ubi Dialecticam dicit, per quam crux, id eſt, mors Chriſti, eam ſimpliciter intelligentibus euacuari uidetur, quia Deus immortalis, Chriſtus autem Deus; Chriſtus igitur immortalis; ſi autem immortalis, mori non potuit. Sic de partu Virginis, & quibusdam aliis ſacramentis. Perſpicaciter tamen intuentibus Dialectica ſacramenta Dei non impugnat, ſed cum res exigit, ſi rectiſſime teneatur, aſtruit et confirmat.* Hæc ille, qui langueſcens apud Gallos bonarum artium & diſciplinarum ſtu-

 dium

(*) Loiolitas innuit, de quibus ſupra quædam allata ſunt.

dium anno circiter MXL. excitauit, primum quidem in ciuitate Abrincatum, (*) deinde Becci, ubi Monachum profeſſus infinitos habuit auditores, quos inter enituerunt Anſelmi duo; unus qui ex Lucenſis Epiſcopi ſede ad Apoſtolicam conſcendit, Alexander II. alter, qui ex Beccenſi Abbate creatus eſt Cantuarienſis Archiepiſcopus. Hic autem Lanfrancus non alludit, opinor, ad Auguſtini, uel Alcuini, uel alterius cuiusdam Chriſtiani Doctoris, ſed Ariſtotelis Dialecticam, quæ argutias continet longe ſubtiliores, & uulgo periculoſiores. Quod ille uir magnus non diſſimulat in lib. de Euchariſtia, ubi cap. VII. ſic Berengarium alloquitur: *Relictis ſacris auctoritatibus ad Dialecticam confugium facis. Et quidem de myſterio fidei auditurus ac reſponſurus, quæ ad rem debeant pertinere, mallem audire ac reſpondere, ſacras auctoritates, quam Dialecticas rationes. Verum contra hæc quoque noſtri erit ſtudii reſpondere, ne ipſius artis inopia me putes in hac tibi parte deeſſe. Fortaſſe iactantia quibusdam uidebitur, & oſtentationi magis, quam neceſſitati deputabitur; ſed teſtis mihi Deus eſt, & conſcientia mea, quia in tractatu diuinarum literarum nec proponere, nec ad propoſitas reſpondere cuperem Dialecticas quæſtiones, uel earum ſolutiones. Et ſi quando materia diſputandi talis eſt, ut huius artis regulas ualeat enucleatius expli-*

(*) Vid. Io. Launoyus, de Scholis celebrioribus cap. XLI. & XLII.

plicari, in quantum poſſum per æquipollentias propoſitionum, tego artem, ne uidear magis arte, quam uirtute, ſanctorumque Patrum auctoritate confidere.

Robertus de Monte in noua ad Sigebertum appendice anno MCXXVIII. notat fuiſſe Venetiis, qui quosdam Ariſtotelis libros latinitate noua & commentariis donauit: *Iacobus*, inquit, *Clericus de Venetia tranſtulit de Græco in Latinum quosdam libros Ariſtotelis, & commentatus eſt, ſcilicet Topica, Analyticos priores & poſteriores, & Elenchos, quamuis antiqua translatio ſuper eosdem libros haberetur.*

Petrus Cellenſis Abbas lib. IX. epiſtola XII. certum quoddam Ariſtotelis conſilium laudat, quamuis illud non omnino ſequatur: *Non ignoro*, inquit, *apud Ariſtotelem dubitare de ſingulis non eſſe inutile.* Nonnihil tamen addictum fuiſſe Petrum huic Philoſopho, uel inde colligi poteſt, quod ei Nicolaus ſancti Albani Monachus exprobret morem Ariſtotelicum diſputandi. Sic enim loquitur in epiſtola, quæ nona eſt libri IX. epiſtolarum Petri Cellenſis: *Ironico typo ſubſannans* (me Petrus) *hic bonum dormitaſſe Homerum Ariſtotelico more ſic logicat*, & cetera, quibus Petri literas, & ſancti Bernardi de Conceptionis beatæ Mariæ feſto ſententiam uexat.

Ioannes Saresberienſis Carnutum Epiſcopus a Richardo Conſtantienſi Archidiacono poſtulat in epiſtola CCII. ut deſcriptos Ariſtotelis libros ad ſe mitti curet: *De ceterò*, inquit, *iam a multo*

to tempore porrectas iterum preces, quatinus libros Ariſtotelis, quos habetis, mihi faciatis exſcribi, & notulas ſuper Marcum, meis tamen ſumptibus, quæſo in hac re nulla ratione parcatis. Precor etiam iterata ſupplicatione, quatinus in operibus Ariſtotelis, ubi difficiliora fuerint, notulas faciatis, eo quod interpretem aliquatenus ſuſpectum habeo: Qui licet eloquens fuerit alias, ut ſæpe audiui, minus tamen fuit in Grammatica inſtitutus. Hæc ille, qui ad annum MCLXX. inter celebres magiſtros excelluit. Vix aliud apud antiquos quærendum eſſe præſidium, prima, ſecunda, tertia, & quarta fortuna declarant.

In Florentino Concilio fuit Rhodienſis Epiſcopus, qui ſeſſ. IV. Ariſtotelem laudarit: illius uerba ſunt: *Ego ad alia tria reſpondebo. Primo quidem aio, teſtem nobis eſſe Ariſtotelem, duos eſſe procedendi modos, quia, & propter quid.*

Huic Epiſcopo accedit Nicolaus V. qui uertendos in Latinum pæne omnes Ariſtotelis libros curauit. Accedit & Marcus Epheſinus, quem Beſſarion Platonis calumniatorem, & Ariſtotelis laudatorem appellat.

Pius II. Pontifex in Bulla Retractationum ſuarum Ariſtotelem ſic laudat: *Quales Magiſtri, tales diſcipuli euadere ſolent, paucos inuenias Ariſtoteles, qui Platonica norint deſtruere dogmata. Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.*

Hic poſt Albertum & beatum Thomam de nomine non appello Scholaſticos omnes illos, qui Commentaria in Ariſtotelis libros ediderunt.

Non

Non appello, inquam, quia ſunt pæne innumeri; poſteriores inſuper Gregorio IX. qui Prouincialis Concilii decreta hinc emolliendo, hinc etiam confirmando e ſua Cathedra uetuerat, ne quis damnatos ab illo Concilio libros prius legeret, quam errores tollerentur.

Melchioris Cani de retinenda Ariſtotelis Philoſophia iudicium.

Quæ Melchior Canus (*) illuſtris in Tridentino Concilio Theologus de Ariſtotele diſputat libro X. de locis cap. V. in hanc extremam fortunam quadrare ſatis uidentur: ea ſunt eiusmodi: *Enimuero, quis primas inter Philoſophos habeat, quis-*

(*) Canus non raro ſuum lectoribus candorem approbat. Male hoc habet Bellarminum, & Baronium, qui eam ob cauſam, data occaſioone quam grauiſſime in Canum inuehuntur. Sunt tamen & alii, qui ualde Canum laudant, numero forſan non pauci, quibus adſtipulatur Franciſcus Combefiſius, cuius hæc ſunt in Hiſt. Monothel. Diſp. II. p. 121. uerba. *Canum Theologum ſenſatiſſimum ſuis in locis, ac uere Senis in eis πολυμάθειαν pii quique ac docti reuerentur, magnoque Eccleſiæ commodo cum Theologis erudiendis prouocandisque, tum comprimendæ graſſanti nouæ hæreſi paſſim editos beneque habitos gratulantur.* Quorum poſteriora religionem ſapere, cui Combefiſius fuit addictus, nemo non uidet.

quisue proinde ille ſit, cui præcipuam dare operam operæ pretium ſit, uariæ ſunt doctiſſimorum hominum, diſcrepantesque ſententiæ. Nam ut alios præteream, in buiusmodi cauſa aliud Diuo Auguſtino uideri ſolet, aliud uidetur Diuo Thomæ. Diuo Auguſtino Plato ſummus eſt, Diuo Thomæ ſummus eſt Ariſtoteles: ſic fere res habent, ut id doctrinæ genus quisque maxime probet, cui a teneris annis maxime aſſuetus eſt. Et exoritur Auguſtini ratio ex altera parte, nullos eſſe omnium Chriſtianæ magis doctrinæ concordes, quam Platonicos: Plato ſiquidem fuit ex Hebræis Philoſophus, ut Clemens Alexandrinus auctor eſt. Immo uero, inquit Thomas, Peripateticorum doctrina Chriſtiano dogmati conſentit plurimum. Clemens enim Alexandrinus (*) *lib. V. Stromatum etiam refert, Ariſtobulum*

(*) Clemens Alexandrinus Ariſtobulum diſerte nominat *peripateticum* L. I. Strom. p. 305. Quo nomine pariter uenit Euſebio, aliisque. Petro Dan. Huetio, de Demonſtr. Euang. Prop. IV. c. II. §. XVI. iudice, *promptum & facile fuit Ariſtobulo oſtendere ex Moſe & Prophetis Peripateticam Philoſophiam manaſſe.* Quod nimis mihi liberaliter dictum, uidetur. Sufficiat ſaltim adduxiſſe Ariſtotelis de origine mundi ſententiam, quæ a Moſaica tantopere diſſidet, ut nihil ſupra poſſit. Vnde & Simplicius Peripateticus Moſen reiicit, eiusque de ortu mundi ſententiam μυθικὴν nominat παρα-

bulum multis libris probaſſe, Philoſophiam Peripateticam ex lege Moſaica & aliis dependiſſe Prophetis. Ac Diui Thomæ ſententia quidem, & omnium pæne gentium, multorum ſæculorum uſu probata eſt. Platonem enim iam inde e multis annis uix in angulis homines otioſi legunt. Ariſtotelem uero magno conſenſu orbis Academiæ reſonant. In Ariſtotelis quoque illud elogium unicum uniuerſæ conſentiunt gentes, per antonomaſiam Philoſophum, hoc eſt, Philoſophorum primarium fuiſſe: iure ergo illum amplectimur, cuius de laude omnium ſit fama conſentiens. Diuo etiam Thomæ ita ſunt Theologi Scholaſtici aſſenſi, ut in Schola Theologiæ Plato ne locum habeat quidem, ita eam Ariſtoteles occupauit. Illud conſtat, neminem in rebus naturalibus plane eruditum eſſe poſſe, ſi ſolum Platonem legat. Solus autem Ariſtoteles abunde ſat eſt, ut ſit homo in Philoſophiæ tribus omnino partibus eruditus. Sane, ne quis cauſetur, miſero ſæculo Ariſtotelem Theologis, Platonem autem meliore Eccleſiæ ſtatu placuiſſe, ſciat is, quicunque eſt tandem, ſcholam Ariſtotelicam Alexandriæ, tum etiam uigere ſoli-

---

παράδοσιν ἀπὸ μυθῶν Αἰγυπτίων εἱλκυσμένην. Credo potius, Ariſtobulum hac ratione ſuis ſaltim commendare uoluiſſe Philoſophiam Peripateticam, aut honorem, quo tum iſtud Philoſophiæ genus proſequebantur, ſuis uindicare maioribus. Hoc namque ex inſigni quadam φιλαυτίᾳ, non raro faciunt Iudæi.

ſolitam, cum ibi Doctores Apoſtolici uigerent plurimum. Sed enim, ut mihi quidem uidetur, nec Auguſtini, nec Thomæ contemnenda eſt ſententia. Nam & iis concedendum eſt, qui Ariſtotelem amant, & iis forſitan, qui Platonis amici ſunt. Quorum iudicium in eo, quod de animi immortalitate, de Dei prouidentia, de rerum creatione, de finibus bonorum & malorum, deque alterius uitæ uel præmio, uel pœnis, Platonem apertius conſtantiusque locutum aſſerunt, difficile factu eſt, non probare.

Probanda uero magis eſt Diui Thomæ opinio. Sed ita tamen ut adhibeatur moderatio quædam, ſine qua probari illa non poteſt. Placet enim quoque nobis Ariſtoteles, & recte placet, modo ne repugnantem illum ad Chriſti uelimus ſemper dogma conuertere. Id quod interpretes fere ſolent, qui uim contextui ſæpe afferunt, atque Ariſtotelem cogunt, ut uelit nolit pro fide Catholica pronunciet. Periclitemur autem, ſi placet, & in iis quidem exemplis, in quibus erraſſe Ariſtotelem uulgus Theologorum fortaſſe non putat. Nec enim hoc loco de æternitate mundi, mentiumque præfinito numero diſſerendum eſt. Sed nec de animi immortalitate quidem. Nam illa priora obuia ſunt omnibus. Hæc autem quæſtio in his commentariis, quos de anima ſcripſit, accuratiſſime eſt a Caietano diſputata. Verum hæc conſideremus quæ difficiliora ſunt, & quæ Ariſtoteles uafre uerbisque de induſtria ad imponendum compoſitis obſcure uidetur enunciaſſe, ut ſi a doctis fortaſſe uiris iure quandoque, & uere repre-

prehenderetur, haberet, quo poſſet elabi, atque ab amicis excuſari. Nec ego hic tamen aduerſus Ariſtotelem excuſationem inſtituo uirum doctiſſimum, deque humanis literis omnibus bene meritum. Sed cum plerique ab illo nunc non aliter, atque ab oraculo pendere uideantur, ſecureque omnia illius opera legere, minuenda eſt hæc opinio, ne ab huius Philoſophi placitis diſſentire, piaculi loco ſit. Audiuimus enim Italos quosdam, (*) *qui ſuis &* *Ari-*

(*) Ex his non ultimi fuere Petrus Pomponatius, Cæſar Cremonius, Andr. Cæſalpinus, alii, quorum in theſibus de Atheiſmo meminit Io. Franc. Buddeus. Quare ut impiis iſtis φιλοσοφήμασι occurreret, ipſisque Philoſophis modum poneret, limitesque Concilium Lateranenſe: A. cIↄ Iↄ XIII. ſub Leone X. Pontifice habitum, Seſſ. VIII. non ut Taurellus habet, X. iniunxit philoſophiæ profeſſoribus, *ut erroneas philoſophorum rationes, in his, quæ contra fidem ſunt, ſoluant pro uiribus, ac ueram & Chriſtianam philoſophiam proponant.* Quid? quod peculiaris adiecta ſit a Pontifice Bulla, quæ euolui poteſt in Georg. Hornii Hiſt. Philoſoph. L. VI. c. VIII. p. 312. Errat autem inſigniter Hornius, dum Concilium iſtud Lateranenſe A. cIↄ Iↄ XI. habitum a Leone ſcribit. Tum enim Leo X. nondum admotus erat ſedi Papali. Conſtat autem Concilium hoc cepiſſe Papa Iulio II. eiusque primam Seſſionem X. Maii

Ariſtoteli & Auerroi tantum temporis dant, quantum ſacris literis ii, qui maxime ſacra doctrina delectantur, tantum uero fidei, quantum Apoſtolis & Euangeliſtis ii, qui maxime ſunt in Chriſti doctrinam religioſi. Ex quo nata ſunt in Italia peſtifera illa dogmata de mortalitate animi, & diuina circa res humanas improuidentia, ſi uerum eſt, quod dicitur, nihil enim præter auditum habeo. Cum homines Ariſtotelis inflati opinionibus turpiter ſibi blandiuntur, & inde in maximo uerſantur errore. Sed hæc hactenus, nunc ad propoſitum reuertamur.

Primus igitur locus, ubi contra Scripturarum fidem erraſſe Ariſtotelem exiſtimo, habetur de ſomno & uigilia, quo loco negat Deum immittere ſomnia, etc.

Alterum exemplum eſt in tractatu de bona fortuna, ubi res fortuitas diuinæ gubernationi ac directioni ſubtrahit, etc.

Tertius locus eſt libro I. de Cælo, ubi quicquid genitum eſſet, id corruptibile aſſeruit, nec incorruptibile quicquam, quod non eſſet ingenitum. Poſuerat uero ante omnia uarias harum uocum ſignificationes, ne res uerbi ignorantia clauderetur, etc.

Quartus locus eſt libro V. rurſumque XII. Metaphyſ.

Maii A. cIↃIↃXII. habitam eſſe. Add. Caranza in Sum. Concil. p. m. 665. ubi Decretum Concilii contra Philoſophos, ex quo Bulla Pontificis eſt confecta, habetur.

phyſ. quibus locis definit, Deum animal eſſe perpetuum & optimum. Vocat autem Deum communi nomine ſubſtantiam quamcunque cœleſtem & diuinam. Nam poſt hæc incipit inquirere, an iſta ſubſtantia ſempiterna una, an plures ſint, etc.

Quintus locus eſt eodem quoque libro, ubi ſubſtantiis intellectualibus cœlorum motricibus uirtutem tribuit infinitam, quod infinito tempore moueant.

Sextus locus eſt eodem etiam libro, ubi, ut mihi uidetur, Dei prouidentiam, præmiaque & ſupplicia, quæ probos & improbos in futura uita manent, fabulas eſſe ſignificauit, gratia uulgi continendi in officio confictas, etc.

Quid quod duo principia Ariſtoteles poſuit, Deum & materiam, nec enim rerum creationem ex nihilo agnouit. Cuius quidem rei teſtes non mediocres, ſed haud ſcio an grauiſſimos, Clementem Alexandrinum, Epiphaniumque lector noli contemnere. Atque hæc Ariſtotelis quidem ſenſa fuiſſe uerecundius aſſero propter D. Thomam, qui huius Philoſophi ſolet fere eſſe Patronus, ſed Doctores doctiſſimi probant illum ita ſenſiſſe, quos ego hac in parte ſecutus ſum. Si quis uero pro Ariſtotelis ſenſu Apologiam adornet, cum hoc ego non magnopere contenderim. Tantum a lectore poſtulo, ut mihi concedat, ſi poteſt, Ariſtotelem in his locis erraſſe: ſin hoc non licet per D. Thomam, at illud certe dabit, uel caute eum ut uarium & lubricum eſſe legendum, uel certe eſſe in nonnullis placitis reprobandum. Mihi utrumuis ſatis eſt, & tum

hoc, tum illud probabilius uidetur, nec præterea quicquam probabile.

Nonnullæ in hoc iudicium animaduerſiones.

Hæc paullo longiora deſcripſi, quia mihi uiſa ſunt neceſſaria, ut qua ratione in his poſteriori-bus ſæculis apud alios defenderetur Ariſtoteles, ex ſermone nominatiſſimi in paucis Theologi ap-pareret. Sed quantum ex eo licet coniicere, perſpectum animaduerſumque non habuit, huius Philoſophi libros, cum primum Conſtantinopoli delati ſunt Lutetiam, prouincialis Synodi aucto-ritate, & Academico conſenſu, damnatos fuiſſe, & igni addictos.

Deinde neſcit Legatum illum Apoſtolicum, qui ſub Innocentio III. Pariſ. reformauit Academi-am, cauiſſe, ne Ariſtotelis Metaphyſica & Phyſi-ca legerentur; aut rem iſtam a Gregorio IX. ſic eſſe temperatam, ut hi libri non ante legerentur, quam ab erroribus purgati fuiſſent.

Tum quæ de Alexandrini Philoſophi ſchola retulit, ſpectauit ſeorſum a complexu perſona-rum & temporum, quibuscum ſpectari neceſſa-rio debuerunt.

Præterea Ariſtotelem inter & Platonem eam perſequitur comparationem, quam Cardinalis Beſſarion & Marcus Epheſinus inſtituerant. Ca-nus a Marci Epheſini partibus ſtat contra Beſſa-rionem, ob idque nonnullas rationes exponit. Ea tamen in Ariſtotele notat σφάλματα, quæ no-taſſe Marcum legere me non memini. Quo fa-

ctum

ctum eſt, ut inter utrumque nonnihil adhuc diſcriminis intercedat.

Tum obſeruare non invidetur, Ariſtotelem obſcuritate ſermonis, & mutua ſecum in pleriſque pugna hoc conſecutum eſſe, ut Reales, Nominales, Thomæ, Scoti, Okami, Gregorii Ariminenſis, Bielis ſectatores, Philoſophi tanti auctoritatem in ſuas quiſque partes traxerint, & poſt habitas per multa ſæcula diſputationes de illius mente in re nulla conuenerint, ac proinde inutiles in Ariſtotelis opera commentarios ediderunt. Aſſertio perpetua, & nulla unquam communis aſſerta ueritas. Sed quod miſerum eſt potius, quam ludicrum ſpectaculum, Ariſtoteles ipſe præſidet publicæ & nusquam finiendæ ſeditioni, auctor eius & cauſa.

Hinc non meminit a ſancto Thoma, quem pro Ariſtotelis patrono laudat, Ariſtotelem ipſum excludi a rebus Theologicis, cum doctrinam ſacram, id eſt, Theologiam ita definit: *Sacra doctrina utitur auctoritatibus canonicæ Scripturæ proprie ex neceſſitate argumentando, auctoritatibus uero aliorum Doctorum Eccleſiæ, quaſi argumentando ex propriis, ſed probabiliter. Innititur enim fides noſtra reuelationi, Apoſtolis, Prophetis factæ, non autem reuelationi, ſi quæ fuit aliis Doctoribus facta.* Hi ſunt Theologiæ limites, hi fines intra quos Ariſtotelis Philoſophia includi non poteſt. Quis autem affirmaret definitam a beato Thoma Theologiam ſibi non ſufficere, & Ariſtotelis Philoſophia indigere, ſiue ut Chriſtianæ fidei dog-

 mata

mata conſtabiliat, ſiue ut illa confirmet, aut exponat, ſiue ut illa ab hæreticorum impreſſionibus defendat? Hæretici ueteres Ariſtotelis Philoſophia utebantur ad conuellenda Chriſtianæ fidei dogmata; Catholici ueteres illa non utebantur, ad uindicanda Chriſtianæ dogmata. Neſcio an Catholici recentiores ualde laudandi eſſent, ſi ab exemplo ueterum deficerent, & amicum ſibi crederent Ariſtotelem, quem ut communem inimicum ueteres abiecerunt. Cum Heterodoxi noſtri temporis antiquos Patres ſecuti Ariſtotelem a rebus Theologicis excludant, Orthodoxi eiuſdem temporis Ariſtotelem in rebus Theologicis non includent unquam, cum aliis de cauſis, tum potiſſimum, ne antiquos hæreticos ſecuti includere dicantur. Exempla enim maiorum ſequi tutius eſt.

Poſtremo utrum ſine Platone, ſine Ariſtotele, ſine Philoſophis Chriſtianæ religionis dogmata, res ſcilicet Theologicæ tranſigi poſſint, Canus non tractat, ſed iſtud ab eo tractari ut quid maxime neceſſarium uoluiſſem. Scriptura & traditio, ſacræ doctrinæ principia duo cum ſufficiant ſibi, nihil eſt admodum, cur aliena tam anxio & ſollicito animo requirantur. Quod autem iſta duo principia ſufficiant, id inuenio traditum a Lirinenſi Vincentio, qui de ſententia quamplurimorum Patrum doctrina & fide illuſtrium ſic ſcribit cap. I. Commonitorii I. *Sæpe igitur magno ſtudio, & ſumma attentione perquirens a quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus uiris, quonam modo*

modo poſſim certa quadam, & quaſi generali ac regulari uia Catholicæ fidei ueritatem ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere; huiuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus fere retuli: Quod ſiue ego, ſiue quis alius uellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque uitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino adiuuante deberet: Primo ſcilicet, diuinæ legis auctoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione. Quo ſpectat etiam æqualis Vincentio Theodoretus in Dialogo de Immutabili: *Velim ne humanis rationibus ueritatis inquiſitionem ſubiicias, ſed Apoſtolorum, & Prophetarum, & Sanctorum, qui hos ſecuti ſunt, ueſtigia inquiras.*

Quod cum Gregorius IX. perſpiceret, tunc non pro priuato Epiſcopo, ſed pro Papa ſe gerens magiſtris & ſcholaribus Pariſienſis Academiæ præceptum hoc dedit: *Magiſtri uero & ſcholares Theologiæ in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi linguam Hebræam cum Azotica confundentes, ſed de illis tantum in ſcholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros Theologicos & Sanctorum Patrum tractatus ualeant terminari.* Et paullo poſt adiicit: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ prouiſionis, conſtitutionis, conceſſionis, prohibitionis & inhibitionis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem*

omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli A-poſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Non ignorabat Pontifex Scripturam & Sanctorum Patrum tractatus ampliſſimum eſſe in Eccleſia Dei campum, in quo magiſtri & ſcholares ſeſe ad ſatietatem exercerent, diſputationes bene multas inſtituerent & abſoluerent. Huc paullo ante Gregorium Petrus Cantor Pariſienſis uir doctus & pius, quem ille Pontifex uidiſſe potuerat, in Verbo abbreuiato MS. Nauarrici Collegii ſpectabat, dum in cap. II. ait: *Non eſt Theologice diſputandum de friuolis.* Deinde in cap. III. *Qui de cœleſtibus ſupra uires, et ſupra ea, quæ ſufficiunt ad ſalutem inquirunt, ueſpis & pugionibus Dominum Ieſum Chriſtum exagitare uidentur.* Hoc ipſum meo quidem iudicio, Gregorius exprimit præcipiens, ut magiſtri & ſcholares Theodidacti fiant.

Ex his autem Patribus conſtat, quanta ſit hac in re Occidentis & Orientis conſenſio, præſertim cum nullus alius diſſentiat. Dico igitur quod mihi uiſus ſum in antiquis Eccleſiæ Conciliis, & Patrum ſcriptis obſeruare, ſed non dico quid alii ea in re ſentire debeant. Patres quidem aliquando uſi ſunt Gentilium Philoſophia, qua Gentiles ipſos & Gentilium numina deſtruerent, non qua Chriſtum aſſererent, uel eius fidem confirmarent. Theologiæ ancillam recentes nouique Doctores, nominant Gentilium Philoſophiam; tametſi non inueniam Chriſtianos ueteres ita locutos, qui Ethnicorum opera & miniſte-

niſte-

niſteriis quoad omnino poſſent, non utebantur. Sed caueant, ne quam faciunt ancillam, hanc tandem aliquando magiſtram faciant. Verum hæc diſputare nunc, inſtituti non eſt mei. Ego enim, quæ Ariſtotelis cauſam ſpectant, ſcribere tantum decreui.

Ad Canum pro Ariſtotele accedit Antonius Bernardus Caſertanus Epiſcopus.

Nunc Melchiori Cano adiungi poteſt Antonius Bernardus Mirandulus Caſertæ Epiſcopus, qui in libri XXVII. Euerſionis ſingularis certaminis ſectione VI. de Ariſtotelis doctrina ſic ſcribit: *Concedimus eos, qui non legerunt ſacras ſcripturas ante aduentum Chriſti Redemptoris noſtri, uel eas non intellexerunt, uel lumine Spiritus Sancti non fuerunt illuſtrati, nunquam potuiſſe hanc rem credere; ſicut accidit Iudæis; non tamen ex hoc ſequitur, quin Ariſtoteles potuerit credere, Deum cognoſcere iſta inferiora, & lumine aliquo diuino commotus proferre illas auctoritates, non ſolum ad perſuaſionem multorum & ad uſum legum, uerum etiam ad ipſam ueritatem, præſertim cum eas multis in locis protuliſſe uideatur, in quibus nulla neceſſitate cogebatur hoc facere. Quare cum nulla ſit ratio, quæ nos impediat, quo minus aſſeramus Ariſtotelem aliud ratione naturali oſtendiſſe, aliud crediḍiſſe, & hoc pium ſit & rationi conſentaneum, non uideo, cur nonnulli homines ita obſtinate & mordicus uelint tueri Ariſtotelem nihil crediḍiſſe, niſi id quod ratio naturalis oſtenderit.*

rit. Præſertim cum nos, qui Chriſtiani ſumus, non negemus, rationem naturalem aliquando concludere aliud ab eo, quod ipſi credimus. Non enim exiſtimandum eſt, id ei quoque accidere non potuiſſe, quod multis ex nobis accidere experimur, ut uidelicet aliud ex ſua religione crederet; aliud ex ratione naturali dicendum eſſe arbitretur. Etenim nemo eſt ex nobis, qui Chriſti Redemptoris ac Seruatoris noſtri religionem & pietatem uere profitemur, qui neſciat ex principiis naturalibus fieri non poſſe, ut ex eo quod non eſt ſimpliciter, aliquid fiat, & fieri non poſſe, ut uerbum fiat caro; & tamen firmiter non credat, mundum uniuerſum a Deo optimo maximo, ex eo quod non erat ſimpliciter, creatum fuiſſe, & uerbum factum eſſe carnem, proque his tuendis ac defendendis uitam libentiſſime, ſi opus eſſet, non profunderet. Etenim quamuis Ariſtoteles non eas ueritates de Deo Optimo Maximo & de Chriſto Seruatore noſtro aſſecutus fuerit, quas nos immenſo ipſius Dei beneficio conſecutos eſſe firmiter tenemus, non tamen ex eius dictis colligere poſſumus, eum lumine diuino ita prorſus deſtitutum fuiſſe, ut aſſerendum ſit ipſum nullam omnino tanti numinis tamque admirabilis principii cognitionem tenuiſſe, de quo clariſſima uoce tam multa præclare tot in locis protulit, ac teſtata reliquit. Præſertim cum exiſtimandum ſit, Deum Optimum Maximum non tam fuiſſe hominum generi infenſum & inimicum, ut paſſus fuerit ipſum tamdiu in omnibus rebus decipi, atque in turbulentiſſimis erroribus uerſari, ſed

ſingu-

ſingulis ei ſæculis aliquas ueritates & eas maxime, quæ maximi erant momenti, diuerſis uiis & uariis oraculis aperuiſſe. Clariora ſunt iſta, quam ut explicatione ulla indigeant. Aperte loquitur Caſertanus Epiſcopus, audiat qui uoluerit. Res tamen non eſt eiusmodi, ut qui audire noluerit, futurus ſit tanquam ethnicus & publicanus. Id cum alia probant multa, tum Caſſiodorus in opere de Dialectica, ubi Philoſophiam ita definit: *Philoſophia eſt diuinarum humanarumque rerum, in quantum homini poſſibile eſt, probabilis ſcientia. Aliter Philoſophia eſt ars artium, & diſciplina diſciplinarum. Rurſus, Philoſophia eſt meditatio mortis, quod magis conuenit Chriſtianis, qui ſæculi ambitione calcata, conuerſatione diſciplinabili, ſimilitudine futuræ patriæ uiuunt. Sicut dicit Apoſtolus: In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Et alibi: Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Inſpectiua dicitur, quia ſupergreſſi uiſibilia de diuinis aliquid & cœleſtibus contemplamur, eaque mente ſolummodo contuemur, quantum incorporeum ſupergrediuntur aſpectum.*

Suſceptam a Melchiore Cano, & Ant. Bernardo commendationem Ariſtotelis auget Hieronymus Dandinus.

Hieronymus Dandinus Cæſenas Ariſtotelem uehementer commendat in præfatione, quam ſuis ad tres de Anima libros commentariis præfixit. Sic autem loquitur: *Platonem inter ceteros maxime complexa antiquitas eſt, priſcique Eccle-*

ſiæ

ſiæ noſtræ Doctores probarunt. Ariſtotelem admirari maluerunt, quam ſectari. Cuius rei cauſam ſi quæras, eam eſſe comperies, quod de rebus diuinis Plato plurimum diſputauit: unde & diuini nomen adeptus eſt, atque in permultis Chriſtianæ fidei noſtræ conſentanee magis locutus uidebatur. Immo & ſanctus Iuſtinus in Parœneſi ad gentes, & ſanctus Auguſtinus octauo libro de ciuitate Dei cap. X. & Alexandrinus Cyrillus contra Iulianum, & alii plures eum aſſerunt in Ægypto ſacra uolumina perlegiſſe, indeque non pauca in ſua ſcripta tranſtuliſſe. Ariſtoteles autem naturæ potius contemplationi deditus de diuinis pauciſſima ſcripſit, nec affirmari quidquam uoluit, quod certis rationibus ex ſenſu potiſſimum ductis probari non poſſet. Deque mundi origine, de animorum immortalitate, de diuina prouidentia, de hominis felicitate, bonarumque actionum præmio ita ſtatuit, ut certiſſimis religionis noſtræ decretis aduerſari, plurimumque naſcenti Eccleſiæ obeſſe, ac nouorum fidei alumnorum animos perturbare ac retardare poſſe uideretur. Accedebant dialogi, affectataque translationes, & phalerata fuſcaque oratio, quæ delectarunt magis, quam ſimplex, purum, preſſum & conciſum Ariſtotelicum dicendi genus.

At non multo poſt ſiluit Plato, ac Philoſophiæ principatum Lyceum obtinuit, uniusque Ariſtotelis nomen in ſcholis Philoſophorum audiri cœpit, ubi & ſententiarum grauitatem, & ratiocinandi concludendique ſubtilitatem intellexerunt, ut ex hoc demum

demum ſummam is conſecutus ſit laudem, quod ceterorum omnium, qui ante illum philoſophati fuerant ſapientiam aut fugauit, aut correxit. Ipſius ſapientia a ſola ueritate Chriſtiana non eiecta, ſed retenta atque emendata eſt. Hæc maiora ſemper incrementa cepit, atque ita omnium animos conuertit, ut præclariſſima quæque ingenia, acerrimaque iudicia, quæ ſingulis ætatibus floruerunt, in uno Ariſtotele interpretando, ſuisque commentariis illuſtrando omnem operam ſtudiumque collocarint, ut iam interpretum eius non facile numerum inire queas, creſcatque in dies; adeo ferax eſt & fertilis Ariſtotelicus ager. Quod incredibilem quandam in uno illo homine ingenii uim oſtendit, certiſſimumque ſummæ ſapientiæ argumentum eſt. Propterea ab eloquentiæ Romanæ parente ſingularis in Philoſophia fuiſſe dicebatur, quo nihil acutius, nihil politius eſſe poſſit. Ab aliis miraculum & monſtrum naturæ, qui peculiari fuerit diuino munitus auxilio ad res philoſophicas, naturales præſertim inueſtigandas, ne Chriſtiani, quos diuinarum rerum contemplatio mouebat, nimium in illis perquirendis occuparentur, ab aliis omnia in eo, quæ ad rerum omnium cognitionem comparandam neceſſaria erant aut utilia, diuina uoluntate tam cumulate concurriſſe, ut in alio perfectius conuenire non poſſe uideantur: uel ipſum corporis temperamentum ad naturæ ſecreta perueſtiganda, & aperienda aptius eſſe non potuiſſe: ab aliis eum & moribus ornatiſſimum fuiſſe, & in Philoſophiæ cognitione humanum exceſſiſſe ingenium, totumque

Phi-

Philoſophiam numeris omnibus abſoluiſſe, aliorumque Philoſophorum obſcuritates & ſcripta illuſtraſſe, atque illius ſcripta eiusmodi eſſe, ut facile præſtantiam hominis demirari poſſis. Ac ceteros quidem omnes ruditer & confuſe, ut blæſi ſolent, uoces quasdam de Philoſophia pronunciaſſe. Ariſtotelem uero accurate omnia expoſuiſſe, illiusque opinionem longe ceteris ueriorem eſſe, & hoc quidem modeſte magis. Auerroës autem mire hominis ingenium extulit. Alicubi enim ſcientias eum omnes ita perfeciſſe affirmauit, ut nullus potuerit quidquam, quod alicuius eſſet momenti, aut addere aut reprehendere, quod diuinum magis ſit, quam humanum: & alibi, regulam eum fuiſſe & exemplar, quod inuenit natura ad oſtendendam ultimam & ſupremam perfectionem humanam, quam nullus alius homo poſſit attingere: illiusque doctrinam eſſe ſummam ueritatem, quia eius intellectus finis fuit intellectus humani, propterea diuina conditus prouidentia, ut per eam quæcunque ſciri poſſunt, cognoſceremus. Mitto cetera: Nam hæc ipſa nimis multa & magna uidebuntur. Certe uel ipſum Ἀριστοτέλους *nomen optimum quidpiam, perfectum & finem præ ſe fert. Sed omittendum non eſt luculentiſſimum Philippi Macedonum Regis teſtimonium epiſtola ea contentum, qua natum ſibi Alexandrum Ariſtoteli ſignificans, gratiam ſe diis habere ſcribit, non tam quod ſibi natus Alexander, quam quod Ariſtotelis tempore natus ſit, a quo doceri & inſtitui poſſet.* Et quibusdam interpoſitis: *Ego uero, ut multos prætermittam illius libros*

bros periiſſe, & ſanctum Thomam in Opuſculo XVI. ſcribere uidiſſe ſe quatuordecim illius libros de ſeparatis mentibus, nondum Latine redditos: Exiguam illam diuinorum cognitionem, quam ab illo accepimus, Platonicis omnibus uoluminibus facile antepono. Nec eum plura non ſcripſiſſe miror: Immo & in iis, quæ ſcripſit, interdum peccaſſe: Tum quia non quæuis temere fingenda putauit, ſed pauca maluit ex naturalibus & ſenſatis rebus ratione certa colligere, tum quod naturæ tantum lumine ductus haud multo plura, nec ſatis certo cognoſcere licuit.

Hunc igitur nos optimum ducem ſequimur, illius ſcripta libenter interpretamur, ingenii acumen admiramur, peracre iudicium probamus, doctrinam, ut par eſt, ueneramur. Sed illud etiam atque etiam uidendum, ne ueritati auctoritas hominis præponatur. Veritas inprimis quærenda eſt, rationum momenta ponderanda. Et ſi quando is aduerſus certiſſima fidei a Deo nobis propoſitæ dogmata ſenſit quidpiam, aut docuit, nec tueri hominem, nec excuſare æquum eſt. Quemadmodum enim ueritates eæ, quæ a Deo ueritate prima quæ mentiri non poteſt, manifeſtatæ nobis fuerunt, certiſſimæ omnium ſunt, ita quibusuis rationibus naturali uirtute concluſis anteponantur. Vt ſi ſapienter & abſque errore philoſophari uelis, iis tibi utendum ſit ueluti trutina, qua ceteras quascunque, quæ naturæ lumine colligantur, diligenter & attente examines. Enimuero rationes omnes, quæ certiſſimis religionis noſtræ decretis ad-

uer-

uerſantur, aut aliquid falſum accipiunt, aut imbecillitati certe nituntur luminis intelligentiæ noſtræ, quæ aſſequi non poteſt omnia, ſed confirmanda eſt maiori uirtute, diuiniorique lumine colluſtranda: definiuit Ariſtoteles, (ut pauca ex pluribus afferam) ortum eſſe totius in totum mutationem, illiusque principia, materiam eſſe, formam & priuationem. Veriſſima ſane ac tanto Philoſopho digna ſententia, ſi rerum inferiorum & natura conſtantium procreationes ſpectemus. At nequaquam eam eſſe generationis uniuerſæ notionem, ſed hanc potius originem ſolam ſignificare unius ab alio, abſtrahendo a materia & priuatione, docuit nos ueriſſima illa & propriiſſima generatio diuina, qua pater ab omni æternitate eandem numero naturam filio communicauit cum ſola ſuppoſitorum diſtinctione. Ex nihilo nihil fieri, ſed ſi quid producendum ſit, ſubiici oportere aliquid actioni agentis: ueteres illi omnes conſenſere, qui de natura ſcripſerunt. Nos diuinam poſtea creationem Deo ipſo docente didicimus. Relationem omnem eſſe accidens, quoddamque genus entis determinatum, Philoſophorum omnes ſcholæ docuerunt, quod alias non agnoſcerent relationes, quam eas, quæ inter creatas res uerſarentur: At nos dum relationes in Deo ſubſiſtentes credimus, uniuerſam relationis notionem intelligimus ab accidentis & ſubſtantiæ ratione ſeparari, ſolumque ordinem ad aliud ſignificari. Mitto uim & naturam propriam accidentis, diſtinctionem uſiæ & hypoſtaſis, eſſentiæ & ſuppoſiti,

eaque

eaque pæne omnia, quæ ad Deum ceteraſque mentes a materiæ concretione liberas pertinent, aliaque complura, quæ melius multo a Chriſtianis Philoſophis ex principiis a Deo reuelatis percipiuntur, quam ab Ethnicis ſolo naturæ imbecilliori lumine adiutis intelligerentur. Neque enim ex ſolis naturæ principiis explicari ſatis poterant, niſi ſuperiori ac diuiniori uirtute confirmarentur.

Non defuerunt, qui Ariſtotelem obſcuritatem affectaſſe criminarentur, quod eſſet gloriæ percupidus, atque in dubiis arduisque quæſtionibus ita loqui uellet, ut ambigua oratione uſus, quæ plures interpretationes admitteret, a poſteris non poſſet argui. At ueriores aliæ fuerunt obſcuritatis cauſæ, quas numero nouem Dandinus perſequitur. Et poſt alia: *Rem igitur aggreſſurus Timæum de uniuerſo dicturum diuinam opem implorantem imitabor. Omnes, inquit ille apud Platonem, qui uel tantillum mentis habent, cum aliquid ſiue magnum, ſiue paruum aggrediuntur, Deum ſemper inuocare ſolent: quanto magis nos decet, de maximis, obſcuriſſimisque rebus uerba facturos Deum inuocare, niſi omnino cæca dementia transuerſi abducimur? Neceſſe eſt illum inuocare et precari, ut ea primum dicantur a nobis, quæ ipſi ſint grata, deinde ut huiusmodi, quæ aptis rationibus conſentanea, nobis etiam probari poſſint, atque in illis certa quædam nobis conſtet ſententia.*

Nonnullæ in elogium iſtud animaduerſiones. Et primum quidem inter Chriſtianos Philoſophos omnes, ſiue clerici, ſiue laici fuerint, nemo unquam ſcriptis, quæ ad nos peruenerint, Ariſtotelem eiusque Philoſophiam, æque ut Hierony-

mus Dandinus laudauit. In hoc elogio neruos omnes ingenii induſtriæque ſuæ contendit, ac uidetur ſuum oblectare otium, & tanquam pro aris & focis pugnare. Conſilium eſt ſtudii & occupationis pleniſſimum, cui utrum adſcribi poſſit bonum factum, iudicent alii.

Deinde, ut ſuum conficiat elogium, Ariſtoteli tributas ab antiquis laudes diſquirit, colligit, & concinne diſtribuit, & poſt inſumptum laborem tantum, non alios ad præfationis marginem auctores citat, præter Ammonium, Simplicium, Themiſtium, Alexandrum & Auerroëm: citat quidem Antonium Bernardum, ſed eum uidere & alloqui potuit. Simplicius, Themiſtius, & Alexander gentiles fuerunt, Auerroës uero ſecta Mahumetanus, quem impium Chriſtiani uocare ſolent. Hi quatuor Philoſophi ſuum commendant Ariſtotelem cum ex aliis, tum ex eo quoque, quod Ariſtotelis Philoſophiam Chriſtianis dogmatibus aduerſari crederent. Supereſt unus Ammonius, (*) qui Chriſtianam religionem profeſſus eſt, nec Ariſtotelem multum ornauit.

Tum Ammonius, Simplicius, Themiſtius & Alexander in explicando Ariſtotele non conſentiunt, quod ſignum eſt perſpicuum, uel obſcurum eſſe Ariſtotelem, qui uariarum interpretationum occaſionem

(*) De Chriſtianiſmo Ammonii nondum omnibus res uidetur plane confecta. Porphyrius affirmauit, Ammonium, deſerta Chriſtiana, ad priſtinam rediiſſe religionem. Sed hunc mendacii arguit Euſebius L. VI. H. E. c. XIX.

onem præbeat, uel Ariſtotelem obſcurari ab Ammonio, Simplicio, Themiſtio & Alexandro, qui per uarias interpretationes rebus claris tenebras inſperſerunt.

Quarto in his uerbis, *Priſci Eccleſiæ noſtræ Doctores Ariſtotelem admirari maluerunt, quam ſectari,* Dandinus hiſtoriæ leges negligit. Hoc enim, quod ad facti conditionem pertinet, nec ille probat, nec probare poſſe confirmant, quæ cap. II. retulimus. Et certe quomodo admirarentur eum Philoſophum, quem ut iuratum religionis ueræ hoſtem execrantur. Quapropter in hac aſſertione Dandini, non ueritatem modo, ſed & prudentiam requiro. Si rerum naturalium cognitionem Dandinus conſideret, Theodoretum audiat ſermone V. de natura hominis: *Sapientiſſimus,* inquit, *Plato, qui complures ſermones de animæ immortalitate habuit, ne Ariſtoteli quidem auditori ſuo perſuaſit, ut hanc ſententiam adamaret: noſtri uero piſcatores ac publicani & ſutor, & Græcis perſuaſerunt, & Romanis & Aegyptiis, cunctisque in uniuerſum nationibus immortalem eſſe animam & ratione præditam, quæ improbis affectionibus dominari cum poſſit, poſitas ſibi leges, non ulla ui coacta, ſed contempta negligentiaque tranſcendit, rurſusque ad meliora uergens, a priore malitia ſua liberatur, diuinasque iterum ſibi notas imprimit, paſſimque uideas, hæc noſtra dogmata, non eos ſolum tenere, qui Eccleſiæ ſunt magiſtri, ſed ipſos quoque ſutores, fabrosque ferrarios, & lanifices, aliosque artifices, quin & feminas, non eas modo, quæ literas didicerunt, ſed quæſtuarias ac ſartrices, atque adeo ancillas. Neque ii ſolum, qui*

urbes incolunt, ſed etiam agricolæ hanc notitiam ſunt adepti: foſſoresque ac bubulcos inuenias, plantarumque conſitores, qui de diuina Trinitate, rerumque omnium creatione diſſerant, & humanæ naturæ peritiores ſunt, quam Ariſtoteles & Plato.

Quinto, poſteaquam latius expoſuit cauſam, quare præſtantiſſimi quique ueteres Eccleſiarum magiſtri Platonem Ariſtoteli prætulerint, ipſe Platoni Ariſtotelem præfert. Examinata Platonis & Ariſtotelis Philoſophia, cenſuerunt Patres Chriſtianæ fidei Ariſtotelem multo magis quam Platonem aduerſari, (*) proindeque Platonis Philoſophiam Ariſtotelis Philoſophia pluris faciendam eſſe. Dandinus uero contra cenſet. *Exiguam*, inquit, *illam diuinorum cognitionem, quam ab illo accepimus, Platonicis omnibus uoluminibus facile antepono.* Attamen de Ariſtotele non eſt dictum olim, quod de Platone dictum refert Theodoretus idem ſermone II. de principio: *Quid eſt aliud Plato, quam Atticus quidam Moſes?*

Sexto, Dandinus ſecum ipſe pugnat tacitus, cum ex una parte dicit, *priſcos Eccleſiæ Doctores Ariſtotelem admirari maluiſſe, quam ſectari*, ex altera uero cum ſcribit, *præclariſſima quæque ingenia, acerrimaque iudicia, quæ ſingulis ætatibus floruerint, in uno Ariſtotele interpretando, ſuisque commentariis illuſtrando omnem operam ſtudiumque collocaſſe.* Qui non ſectantur Ariſtotelem, nec eum interpretantur,

(*) Credebant Platonem ſuam ab Hebræis hauſiſſe Philoſophiam. Quam opinionem multis oppugnare conatus eſt Io. Clericus Epiſt. Crit. VII.

tantur, nec cum ſuis illuſtrant commentariis: & tamen ſi credatur Dandino, ætatibus ſingulis floruerunt, qui in uno Ariſtotele interpretando, & ſuis commentariis illuſtrando ſtudium atque operam omnem collocarunt. Aio quidem, ſi credatur Dandino. Nam ipſe nullum adducit Chriſtiani nominis Philoſophum, uel poteſt adducere, qui a Chriſti tempore usque ad annum eius M CC. in Ariſtotelis Phyſicam & Metaphyſicam commentarios ediderit. Qui uero ſimiles ediderunt commentarios, uixere, poſtquam hinc Senonenſe, ſeu melius Pariſienſe Concilium quod laudaui cap. I. decreuit, ut Ariſtotelis Metaphyſica flammis pernicioſæ doctrinæ ultricibus exureretur, inde Gregorius IX. Papa, cuius uerba cap. VI. recenſuimus, conſtituit, ut Ariſtotelis Philoſophia naturalis non ante legeretur, quam quicquid eſt in ea Chriſtianæ fidei aduerſum, penitus deletum eſſet. Narro hiſtoriam, quæ non minus mira eſt, quam ueritati conſentanea: & certe nunquam magis laudata eſt Ariſtotelis Philoſophia, quam cum minus laudari debuit, ſi modo a quibus laudatur, attendamus.

Septimo, modum adhuc ſine dubio excedit ſcribens: *Ariſtotelem peculiari fuiſſe munitum auxilio, ad res philoſophicas, naturales præſertim inueſtigandas, in eo omnia, quæ ad rerum omnium cognitionem comparandam neceſſaria erant, aut utilia, diuina uoluntate tam cumulate cucurriſſe, ut in alio perfectius conuenire non poſſe uideantur.* Quibus uerbis & Pariſienſi Concilio, & Gregorio Papæ IX. & antiquis Eccleſiæ tractatoribus aperte contradicit: neque contradicit tantum, ſed & Ariſtotelem

perinde, ut unum in tradendis rerum naturalium dogmatibus canonicum ſcriptorem, ſi dicere fas eſt, prædicat. Quo tamen in cognitionis genere a Ioanne Ludouico Viue, Franciſco Patricio, Ioanne Bodino, Sebaſtiano Baſſone, Petro Gaſſendo, Renato Carterio, (*) & aliis identidem ualidiſſime impugnatur, & qua erroris & qua obſcuritatis conuincitur.

Octauo, Dandinus adhuc ſecum dimicat, cum ait: *Exiguam illam diuinorum cognitionem, quam ab Ariſtotele accepimus, Platonicis omnibus uoluminibus facile antepono.* At ſi ita res eſt, cur a Platone potius, quam ab Ariſtotele diuinam opem implorandi exemplum repetit? Nonne Deum inuocare, precari, illius opem implorare ad cognitionem illam diuinorum pertinet? In hoc igitur uno, quod uir Chriſtianus maximi æſtimare debet, auctor noſter Ariſtoteli Platonem uelit nolit, anteponat, neceſſe eſt. Nunquam enim perſuadebit, diuinorum cognitione opus non eſſe, ut Dei auxilium imploretur.

Poſtre-

(*) Carteſium procul omni dubio intelligit, qui paſſim de Philoſophiæ Peripateticæ præſtantia iuxta ac ueritate detrahit. In Epiſtola ad Dinetum Opp. p. m. 296. *Profiteor, ne unius quidem quæſtionis ſolutionem, ope principiorum Peripateticæ Philoſophiæ peculiarium, datam unquam fuiſſe, quam non poſſim demonſtrare eſſe illegitimam & falſam.* Quæ, a Voetio notata, tantum abeſt, ut abiiciat, aut emendet, ut potius confidenter repetat, in Epiſt. ad Voetium, Opp. p. m. 313.

Poſtremo, Dandinus non ſatis ualide occurrit iis, quæ Guillelmus Poſtellus, & Franciſcus Patricius de Ariſtotele, & de ardentiſſimis illius ſectatoribus obſeruant. An autem iniectam a Poſtello & Patricio ſuſpicionem grauem effugiat, Dandinus uiderit, uiderint & alii.

Ad Dandinum accedunt alii duo.

Ex his duobus, quorum nomini parco, unus Latine, alter Gallice ſcripſit. Qui Latine ſcripſit, in publica atque edita oratione dicit: *Deum peculiari prouidentia ad Ariſtotelis ſtudia fere ſemper aduigilaſſe, atque ipſi quodammodo collaboraſſe.* Illius uerba ſunt, e quibus ſi demas *fere ſemper*, Euangeliſtis quatuor probe conuenirent: quis in ſcribendo excedendi modus?

Deinde ſi non demas *fere ſemper*, Chriſtianorum nemo fuit unquam, qui talia de Ambroſio, de Hieronymo, de Auguſtino, de Leone, de Gregorio Papa, de Athanaſio, de Baſilio, de Gregorio Nazianzeno, de Chryſoſtomo, de Cyrillo, de ceteris Eccleſiæ utriusque Occidentalis & Orientalis tractatoribus pronunciarit, & utrum recte pronunciarentur, non immerito quis ambigeret?

Qui uero Gallice ſcripſit, diſerte ait: *Nous nous plaindrons du mépris que uous auez pour Ariſtote, à qui Dieu a donné un iugement ſi éclairé, que dans les bornes de la raiſon naturelle, il a touſiours ſerui de guide aux plus grands Eſprits du monde, qui ſont uenus aprés luy.* Quod latine dicitur: *Conqueremur de contemptu, in quem*

adducitis Ariſtotelem, cui Deus usque adeo illuminatam mentem & ſapientiam conceſſit, ut intra naturalis rationis limites eum ducem, magiſtrum, & auctorem ſemper habuerint præſtantiſſimi quique homines, qui poſt illum extiterunt. Si hæc non ſit ἀλαοσκοπία, ſeu cœca ſpeculatio, nulla unquam fuit, aut erit.

Nonnullæ in præcedens elogium animaduerſiones.

Ergo conqueratur & conquerantur illi, quorum defenſionem ſuſcipit, de Pariſienſi Concilio, quod in cap. I. laudatum eſt.

Conqueratur & conquerantur illi, quorum defenſionem ſuſcipit, de Iuſtino Martyre, de Clemente, de Irenæo, de Tertulliano, de Origine, de Lactantio, de Euſebio, de Athanaſio, de Hermia, de Baſilio, de Gregorio Nyſſeno, de Gregorio Nazianzeno, de Epiphanio, de Theodoro, de Fauſtino, de Gregorio Bætico, de Ambroſio, de Chryſoſtomo, de Hieronymo, de Simpliciano, de Auguſtino, de Cyrillo, de cœtu Epiſcoporum Ponti, de Socrate, de Theodoreto, de Chryſologo, de Sidonio, de Manſueto, de Beda, de Rabano, de Remigio, de Leone IX. de Ernulfo, de Bernardo, quorum teſtimonia contra Ariſtotelem retulimus in cap. II.

Conqueratur & conquerantur illi, quorum defenſionem ſuſcipit, de Galtero monaſterii ſancti Victoris Priore, de Roberto Corceone, & de Trithemio, qui aduerſus Ariſtotelem producuntur in cap. III.

Con-

Conqueratur & conquerantur illi, quorum defenſionem ſuſcipit, de Sedis Apoſtolicæ Legato, qui anno MCCXV. uetuit, ne *libri Ariſtotelis de Metaphyſica & de naturali Philoſophia* Pariſiis legantur, ut in cap. IV. uiſum eſt.

Conqueratur & conquerantur illi, quorum apologiam ſcribit, de Gregorio IX. qui prohibuit, ne Pariſienſes magiſtri & ſcholares, *libris illis naturalibus, qui in Concilio Prouinciali ex certa ſcientia prohibiti fuere Pariſius, utantur, quouſque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati.* Gregorii diploma in cap. VI. refertur.

Conqueratur & conquerantur illi, quorum patrocinium arripit, de iis, qui Simonem Tornacenſem Theologum Pariſienſem accuſarunt hæreſeos, quod *Ariſtotelem nimium ſequeretur.* Id Henricus Pariſienſis alter Theologus in cap. VII. teſtatur.

Conqueratur & conquerantur illi, quibus tuendis manum & calamum commodat, de Pariſienſis Theologiæ Facultate, quæ beatum Thomam erroris inſimulat, quod in quibusdam Theologiæ placitis Ariſtotelem habeat unicum adſtipulatorem. Facultatis uerba ipſa retulimus in cap. x.

Conqueratur denique & conquerantur illi, pro quibus ſcribit apologiam, de Gregorio XIV. qui ingratam non habuit libri nuncupationem, qua Patricius ſuadet, ut e ſcholis Chriſtianorum remoueatur Ariſtotelis Philoſophia, & iſtud iis contendit rationibus, quas queribundi homines nun-

quam appoſite diluent. Res hæc in cap. XIV. tractatur latius.

Deinde in iis, quæ ad moralem ſpectant Theologiam, non quid Ariſtoteles, ſed quid Chriſtus, quid Apoſtoli, quid tractatores Eccleſiaſtici docuerint, quærendum eſt.

Tertullianus in Apologetici capite XLVI. *Philoſophi adfectant ueritatem & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant: Chriſtiani & neceſſario appetunt & integre præſtant, ut qui ſaluti ſuæ curant.* Et quibusdam interpoſitis: *Si de ſimplicitate conſiſtam, Ariſtoteles familiarem ſuum Hermiam turpiter loco excedere fecit. Chriſtianus nec inimicum ſuum lædit. Idem Ariſtoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato Dionyſio uentris gratia uenditatur.* Et paullo poſt: *Adeo, quid ſimile Philoſophus & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus & cæli? Famæ negotiator & ſalutis? Verborum & factorum operator? rerum ædificator & deſtructor? Interpolator erroris & integrator ueritatis? furator eius & cuſtos.*

Hieronymus in libro. I. dialogi contra Pelagianos: *Atticus. hoc quod legiſſe te dicis, ubi ſcriptum ſit, neſcio. Critobulus. Ignoras hanc eſſe Philoſophorum ſententiam. Atticus. ſed non Apoſtolorum. Neque enim mihi curæ eſt, quid Ariſtoteles, ſed quid Paulus doceat.*

Cyrillus Alexandrinus, qui Epheſinæ Synodo præfuit, in Theſauri aſſertione XI. *Cum igitur hæc ſit eorum, quæ ad aliud ſunt, definitio, dicant*

cant nobis iſti, qui nihil aliud, quam Ariſtotelem crepant, & illius potius diſciplina, quam ſacrarum Scripturarum cognitione ſeſe iactitant, an ſimile id ipſum, quod eſt alterius, ſit. Hic autem nimius Ariſtotelis fautor & commendator in libro ſat grandi Scripturam ſacram fere nuſquam laudat, in quo tamen frequenter laudare deberet.

Remigius Lugdunenſis Epiſcopus in cap. II. epiſtolæ I. ad Corinthios: *Deſtructus eſt Ariſtoteles per mortem* (Chriſti) *& eius Philoſophia in Eccleſia pro nihilo ducitur.* At ſi Philoſophia Ariſtotelis in Eccleſia pro nihilo ducitur, quare querulus homo, quare queruli ceteri tam prælicenter affirmant, *Deum Ariſtoteli uſque adeo illuminatam mentem & ſapientiam conceſſiſſe, ut intra naturalis rationis limites eum ducem, magiſtrum & auctorem ſemper habuerint præſtantiſſimi quique homines, qui poſt illum extiterunt?* An Deus & Eccleſia opponuntur? an non ad Eccleſiam pertinent præſtantiſſimi quique homines, qui poſt Ariſtotelem fuerint? ſi pertinent, eum ducem, magiſtrum & auctorem non habuerunt, quem Eccleſia pro nihilo habuit? ſi non pertinent, quid tuendis Eccleſiæ moribus proderunt? quid querulis hominibus inſeruient, niſi uelint in Eccleſiam infidelium mores inducere?

Lateranenſe Concilium, cui præfuit Innocentius III. damnauit Almaricum, qui hæreſes & errores multos docuerat. Verba ſunt: *Reprobamus etiam & condemnamus peruerſiſſimum dogma*

impii

impii Almarici, cuius mentem ſic pater mendacii excæcauit, ut eius doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quam inſania.

Prouinciale Concilium, quod habitum eſt Pariſiis teſtatur, Ariſtotelis Philoſophiam Almarico errandi cauſam dediſſe. Pudet me referre illius errores, quos inter numerantur uitia pudicitiæ contraria, quæ charitati deputabat, ut uetuſti ſcriptores tradunt. Hinc accidit, ut Lateranenſe Concilium dixerit Almarici doctrinam non tam cenſendam eſſe hæreticam, quam inſaniam. Cur non Concilii Patres Ariſtotelem uindicarunt aduerſus Almaricum, qui Ariſtotelem ut ducem, magiſtrum & auctorem habuerat, qui ad ſtabiliendum dogma ſuum impium Philoſophi tanti placitis uſus fuerat? Cur non Ariſtotelem uindicarunt aduerſus Pariſienſe Concilium, quod naturalem Ariſtotelis Philoſophiam, ut periculoſiſſimam igni addixerat, quod præſtantiſſimum quorumcunque hominum ducem, magiſtrum & auctorem exterminauerat? Nunc queribundi homines ſi poſſunt reſpondeant.

Supra modum laudare Ariſtotelem, uti ab his duobus Scriptoribus laudatur, exempli res eſt peſſimi. Nam in hoc laudandi genere primum agitur de contemptu Sanctorum Patrum fere omnium, qui Ariſtotelis Philoſophiam, ut Chriſtianæ religioni inimicam uehementer improbarunt.

Deinde agitur de contemptu ſextæ Synodi, quæ Macarii cuiusdam hæretici ſermonem procul

cui abiecit, quod *ordinem oppoſitionum & Ariſtotelis Syllogiſmos & diſſonantem à ſanctis quinque uniuerſalibus Conciliis & ſanctis probabilibus Patribus haberet.*

Tum demum agitur de contemptu Pariſienſis Concilii, & Gregorii Papæ IX. qui Ariſtotelis Philoſophiam eo damnarunt modo, quem exhibuimus.

Quis enim ad iſtorum auctorum imitationem laudare ſupra modum non poſſet ſcriptoris alicuius Chriſtiani libros, quorum doctrinam ſeu propoſitiones nonnullas cœtus Epiſcoporum & Romani Pontifices damnaſſent? Eadem eſt utrobique ratio, niſi quod fortaſſis ex parte Pariſienſis Concilii & Gregorii IX. maior apparere poſſet. Æqua ſemper debet eſſe diſputandi conditio. Nonne oppido ridiculus foret & theatris omnibus exploderetur, qui alia ſe lege, alia aduerſarium diſputare uellet? Si parem igitur diſputandi rationem admittant, capti ſunt, quia pro ſua ſingulari prudentia deſtruent, quod in ſuis ſcriptis ædificare conantur, ſi non admittant, nulli ſunt, quia nimis incenſa partium ſtudia & contentionem omnem ueritatis inimicam deponere cogentur.

Denique iis, qui pro Ariſtotele magna & queribunda uoce dicturos ſe eſſe minantur, accidit, ut dum æmulis ſuffragium denegant, illud denegent ſanctis Patribus, Eccleſiaſticis tractatoribus, Conciliis, Romanis Pontificibus, ueritati.

Ad reliqua quod attinet, hic querulus auctor fal-

fallitur, ſecutus Hugonem Monachi Autiſſiodorenſis continuatorem, qui ut cap. I. notauimus, ſcribit, Pariſienſe Concilium magiſtris & ſcholaribus ad annos tantum tres lectione librorum Ariſtotelis interdixiſſe. Concilium iuſſit, ut hi libri comburerentur, quis autem diceret eos pro annorum duntaxat trium ſpatio combuſtos eſſe? Hoc genus ſupplicii & libros & librorum lectionem exterminat in perpetuum.

Deinde cauſa, ſi iuſta eſt ac legitima, cur librorum Ariſtotelis lectio interdicitur, non in tres tantum, ſed in omnes conſequentes annos extenditur. Nam annis duntaxat tribus elapſis non ceſſat errandi contra Chriſtianam religionem periculum, quod incorrectos Ariſtotelis libros legentibus impendet. Aliter ſe res habet de ſcelerato homine, qui in certum tempus ad triremes damnatur. Pœna hæc ſic definita iudicis arbitrio ſufficit, ut crimen eluatur.

Tum Gregorius IX. anno poſt Pariſienſe Concilium uiceſimo ſecundo illius decreta hinc emolliendo, hinc etiam confirmando e ſua Cathedra uetuit, ne quis damnatos a Concilio libros Ariſtotelis prius legeret, quam ex illis errores tollerentur. Conſtitutionis huius cauſa uix ulla eſſet, ſi Hugo uera narraret.

CAP.

CAPVT XX.

Libri concluſio ad eundem Habertum Mommorium.

ECce tibi, Haberte Mommori præſtantiſſime, quot & quantos in Academia Pariſienſi fortunæ caſus habuit, qui ſæculis abhinc multis Philoſophorum Princeps appellatus eſt. Ecce tibi caſuum eiusmodi hiſtoriam confeci, niſi forſan id operis dicendum ſit plurium monimentorum inter ſe collectio & contextus, non hiſtoria, quam non meum eſt ſcribere, ſed oratoris eſſe in dicendo ſummi, ſummus orator affirmat. In eo tamen opere cognoſces a me poſitum eſſe nihil, quod hiſtoriæ legibus non conſenſerit; deprehendes quoque quid de Ariſtotele non priſca ſolum ætas, ſed etiam recentior iudicarit, quid probandum uel improbandum ſit in illius Philoſophia, & quomodo inſtituenda Theologici ſtudii ratio. Quæ omnia quoniam haud excellenter perfeci, ſi non ingentem fructum afferent; erunt certe argumentum eius rei, quam & diligentius & a uiro doctiore perfectam eſſe uelle pro tua æquitate, iudicio, eruditione potuiſſes. Scio quidem te & doctrinæ opinionem & egregiarum animi uirtutum mentionem deprecari; ſed tribuendam quoque eſſe uerecundiæ tuæ ueniam non ignoro. Ceterum ſi quid prætermiſi, quod dictu neceſſarium fuerit, id non

non diſſimulatione ulla, ſed ignoratione ſola prætermiſi: ſi quid uero inter narrandum deliqui, id non conſilio meo ullo, ſed infirmitate propria deliqui. Quare ſi quid addendum aut detrahendum uidebitur, addam aut detraham tua uel alterius admonitione, qui me amabit plurimum, hoc eſt, utiliter caſtigabit.

DIS-

DISSERTATIONVM
DE
HISTORIA PERIPATETICA
PRIMA
PARTIS PRIMAE

In qua recenſentur qui Ariſtoteli fuerint ὁμώνυμοι & unde eius ſecta Peripatetica ſit appellata, indicatur,

Authore
M. Iohanne Iönſenio Rensburgenſe Holſato, ſcholæ patriæ Rectore.

Plutarchus περὶ Ἡροδότου κακ.

Sophiſtis quidem conceſſum eſt, lucri aut gloriæ cauſa peiorem ſententiam ſumere defendendam: qui uero hiſtoriam ſcribit, debet quæ uera ſunt ſcribere; de incertis autem rectius uidentur meliora, quam peiora prodi.

Digitized by Google

IGNOTO FAVTORI
SALVTEM.

Atheniensium more, qui Ignotis etiam Diis aras extruxerunt, ut diſcimus ex Actis Apoſt. cap. XVII. uerſu XXIII. Pauſania in Atticis & Eliacis, Laertio lib. I. Epim. Tertulliano lib. I. contra Marcionem cap. IX. Iſidoro Peluſiota lib. IV. Epiſt. LXIX. Minutio Felice in Octauio, &c. hanc diſſertationem iam ante ſemeſtre tempus ab Ampliſſima Facultate Philoſophica Regiomontana cenſuratam & approbatam, eiusque loci typis (niſi Deo in patriam me vocanti aliter uiſum fuiſſet) deſtinatam, Tibi quisquis es, *Ignote Fautor*, inſcriptam & conſecratam nunc demum in patria diuulgo. Et enim e Germanis noſtris, quibus hæc Antiquitatis Græcæ & Hiſtoriæ Philoſophicæ ſtudia placeant, oppido pauci ſunt, ut ignotos potius ubi ubi deliteſcentes Antiquitatis cultores his pagellis quærere & compellare, quam notos celebrare neceſſum habeam. Tui fauoris auidus plures de hac Hiſtoria Peripatetica Diſſertationes promitto, ſimul ac Muſæ meæ locum ſtudiis commodiorem nactæ fuerint; quem niſi obtinebunt, ſibi canent, ſeſe oblectabunt, ſuamque ſolitudinem ueterum Authorum lectione ſolabuntur. Vale. Rensburgi Anno cIↄ Iↄc LII. die XX. Octobris, ipſo natali, quo ante octo & uiginti annos inter homines eſſe coepi.

M. Iohannes Iönſenius.

CVM

CVM DEO.

ILluſtrium ſcriptorum & inprimis Philoſophorum uitas qui conſignauerint, plurimi extiterunt. *Ambryon* Theocriti Chii uitam ſcripſit, teſte Laertio lib. V. Ariſtot. *Amphicrates* de uiris illuſtribus librum edidit citatum a Laertio lib. II. in Ariſtip. ubi de Theodoro Atheo quædam ex illo proferuntur: Athenæo lib. XIII. Deipn. & Cœlio Rodig. lib. XIV. Antiqu. Lect. cap. XII, ubi de Themiſtocle quædam adducuntur. *Anaxilidis* librum ſecundum περὶ φιλοσόφων *de Philoſophis* citat Laert. Lib. III. in Platone. *Antigonus* Caryſtius, qui ſub Ptolomæo Philadelpho uixit, librum de uitis illuſtrium ſcriptorum edidit. Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος Laert. lib. III. Ἀντίγονος δὲ φησὶν ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Πύῤῥωνος, idem lib. IX. Pyrrh. ὧν καὶ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος μέμνηται ἀναγεγραφὼς αὐτοῦ (Τίμωνος) καὶ αὐτὸς τὸν βίον, id. lib. IX. Tim. Dionyſii Metathemeni Stoici uitam ab eodem eſſe ſcriptam indicat Athenæus lib. X. Deipnoſ. Meminit eius περὶ βίων operis alias Laertius lib. II. Anaxag. lib. V. Lycone lib. VII. Zen. lib. IX. Democr. Athenæus lib. II. IV. & X. Deipnoſ. Euſebius lib. XIV. προπαρ. Εὐαγγ. cap. XVIII. Hieronymus præfatione libri de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Antiphon* ſcripſit librum περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων, Laert. lib. VIII. Pythag. uel, περὶ τοῦ βίου τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευ-

σάντων uti citat Porphyrius uita Pythagoræ & ex illa Cyrillus lib. X. contra Iulianum. *Apollodori* Epicurei primus de Epicuri uita liber citatur Laertio lib. X. Epic. *Apollonius* Tyrius ſub Pompeio Vitas Stoicorum conſcripſit. Ἀπολλώνιος ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῶν ἀπὸ ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων, ait Strabo lib. XVI. Geogr. *primum* eius de Zenone librum citat Laertius lib. VII. in Zenone. *Ariſtocles* Meſſenius Peripateticus decem libros de Philoſophia ſcripſit, in quibus omnes Philoſophos, eorumque ſententias recenſuit, teſte Suida Ἀριςοκλῆς. *Sextum* eius de Philoſophia librum citat Suidas, Σωτάδης. Quædam etiam de Ariſtotele ex Ariſtocle citat Theodoretus Θεράπευτ. ſerm. VIII. & XII. De Ariſtoxeno quoque nonnulla ex Ariſtocle (pro quo male Ariſtoteles in quibusdam codicibus legitur) citat Euſebius L. XI. de præparat. Euangel. cap. I. Ariſtonchius librum de Heraclito edidit, ut docet Laert. lib. IX. Heraclit. *Ariſtoteles* de Pythagoreis librum ſcripſiſſe creditur Laertio lib. V. Ariſtot. quem ipſe etiam citare uidetur lib. VIII, Pyth. itemque Apollonius hiſtor. mirab. VI. Librum eius de Poetis Laertius lib. III. citat. Sophiſtarum quoque uitas eum ſcripſiſſe ex illius lib. VIII. Emped. & lib. IX. Prot. & Pyrrh. colligi poteſt. *Ariſtoxenus* Muſicus Ariſtotelis Philoſophi auditor, *uir literarum ueterum diligentiſſimus* Agell. lib. IV. Noct. Attic. cap. XI. ſcripſit opus de uitis illuſtrium uirorum. Laudat id Hieronymus præfatione libri de Scripr. Eccleſ.

Eccleſ. *Fecerunt hoc idem apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus Caryſtius, Satyrus doctus uir & longe omnium doctiſſimus Ariſtoxenus Muſicus.* In illo opere deſcripſit uitam Pythagoræ, ex qua nonnulla citat Agellius lib. IV. Noct. Att. cap. XI. Laert. lib. I. Pherec. lib. VIII. Pythag. Clemens Alex. lib. I. Strom. Porphyrius uita Pythagoræ. *Archytæ* uitam ab Ariſtoxeno conſcriptam citat Athenæus lib. XII. Deipnoſ. *Teleſtæ*, Apollonius Hiſt. Mirab. XL. *Socratis*, Laertius lib. II. Socr. Cyrillus lib. VI. aduerſus Iulianum ex Porphyrio, (ubi in illis uerbis: λέγει δὲ ὁ Ἀριςόξενος ἀφηγȣ́μενος τὸν βίον τȣ͂ Σωκράτȣς ἀκηκοέναι Πινθάρȣ τὰ περὶ αὐτȣ͂, pro Πινθάρȣ lege Σπινθάρȣ, & ſimul inde corrige Auberti uerſionem Latinam. Sic enim Laertio lib. II. dicitur Ἀριςόξενος ὁ Σπινθάρȣ. Suidas Spintharum Ariſtoxeni patrem & præceptorem facit, in Ἀριςόξ. *Spintharus* quidam *Eubuli filius* memoratur apud Demoſth. orat. contra Cononem, *Eubulus Spinthari filius* apud Photium Ecl. CCLXIV. *qui Athenis in Via ad Academiam ſepultus eſt*, teſte Pauſania in Atticis. Spinthari, an Dionyſii Metathemeni Parthenopæus fuerit, dubitatum fuiſſe, indicat Laertius lib. VII. in uita Zenonis. Hæc obiter) Theodoretus Θεραπευτ. Serm. XII. *Platonis*, Laert. lib. V. Ariſt. hinc ea quæ citantur apud eundem lib. III. Platone. *Xenophili* uitam, Lucianus in Macrobiis. Valerius Max. lib. VIII. cap. XIII. Ext. III. Ex illo τῶν βίων opere ſunt, quæ paſſim apud Diogenem citantur lib. I. Myſone,

ſone, lib. II. Socrate. lib. V. Heraclide, &c. *Callimachus* Cyrenæus Grammaticus edidit πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων, *tabulas ſiuè deſcriptiones eorum, qui in quauis diſciplina clari fuerunt, libris CXX.* Item: *Deſcriptionem, quando quisque Philoſophorum docuerit.* Suidas Καλλιμ. Eorundem πινάκων meminit quoque Etymologus: Καλλίμαχος ὁ Γραμματικὸς ἐποίει πίνακας ἐν οἷς ἦσαν αἱ ἀναγραφαὶ παρὰ τῶν ἀρχαίων. *Callimachus Grammaticus fecit indices ſiue tabulas, in quibus deſcribebat antiquos.* Earundem etiam Athenæus lib. VI. & XIV. Deipnoſ. meminit, ubi indicat a Callimacho fuiſſe oſtenſum, quot uerſuum liber quisque eſſet. *Chamaleon* Heracliota multorum quoque ſcriptorum uitas conſignaſſe creditur. Citatur enim eius de Anacreonte liber ab Athenæo lib. XII. Deipn. de Sappho & Simonide, ab eodem lib. XIII. *Charon* Hiſtoricus Carthaginenſis ſcripſit βίας ἐνδόξων ἀνδρῶν ἐν βιβλίοις δ' *uitas illuſtrium uirorum libris IV.* Suidas χάρων. *Chryſippus* Solenſis περὶ βίων *de Vitis* ſcripſit. Librum *primum* citat Laertius lib. VII. Zen. ſ. librum *quartum* Plutarchus de contradict. Stoicorum. Citatur etiam eius σύγγραμμα περὶ τῶν ἀρχαίων Φυσιολόγων, Laert. lib. VII. Chryſip. ſed hoc forte illius de uitis opuſculi pars fuit. *Clearchus* Solenſis libros aliquot de uitis ſcripſit. Κλέαρχος ὁ Σολεὺς ἐν τοῖς περὶ βίων, Athen. lib. VIII. Deipnoſ. Librum *primum* citat. idem Athen. lib. VI. librum *ſecundum* lib. IV. Librum *quartum, quintum*

tum & octauum lib. XII. Ex illo opere ſunt, quæ ex Clearcho citant Agellius lib. IV. Noct. Attic. cap. XI. Diogenes lib. I. Thal. Pittac. Scripſit etiam Platonis encomium, teſte eodem Laertio lib. III. Plat. ſed forte & hoc ad opuſculum de Vitis pertinuit. *Damaſtes* Sigeenſis librum de poetis & ſophiſtis edidit, teſte Suida Δαμ. *Damon* Cyrenæus de Philoſophis librum ſcripſit, ut indicat Diogenes lib. I. Thalete. *Demetrius* Byzantius de Poetis aliquot libros edidit. *Quartum* librum citat Athenæus lib. X. Deipn. *Demetrius* Μάγνης, (non Δῆμος ut habet Halicarnaſſeus Dinarcho: neque Μάγνος ut Photius Hœſchelii habet Ecloga CCLXV.) Magneſius uel rectius Magnes, ut Cicero loquitur lib IV. epiſt. X. ad Attic. & in Bruto, ubi eum inter præceptores ſuos in Rhetoricis numerat, librum edidit *de Poetis & ſcriptoribus idem nomen habentibus*, περὶ ποιητῶν καὶ συγγραφέων ὁμωνύμων. Laertius lib. I. Epim. lib. V. Ariſt. Plurima ex illo citat idem lib. V. Heracl. lib. VI. Diog. Oneſ. lib. VII. Zenone, Cleanthe, Chryſip. lib. IX. Democr. lib. X. Epic. Varinus, ἴσαῖος. *In illo opere Demetrius τῶν ὁμωνύμων συγγραφέων uitam enarrabat & de eorum ſcriptis diſſerebat, ut patet ex Diog. Laertii Hippaſo, Philolao, Xenophonte: Athenæi lib. XIII. & Plutarchi Demoſthene*, uerba ſunt Wowerii noſtri lib. de Polymathia cap. XVI. Idem ex Wowerio, ſed ſuppreſſo nomine citat Voſſius: *Enarrabat ſcriptorum uitas, deque eorum libris Iudicium ferebat: quod*

plenius cognoſcere eſt ex Plutarchi Demoſthene, Athenæi lib. XIII. & Laertii Hippaſo, Philolao ac Xenophonte. lib. I. de Hiſtor. Gr. cap. XXIII. p. m. CV. *Dicaarchus* etiam plures de uitis Eruditorum libros ſcripſit. *Primum* citat Laertius Lib. III. p. in illo opere Alcmanis & Alcæi vitas quoque deſcripſit, ὡς ἱϛορεῖ Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ Ἀλκμᾶνος, Athen. lib. XV. Δικαίαρχος ὁ Μιλήσιος Ἀριϛοτέλȣς μαθητὴς ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίȣ, idem ibidem, ubi pro Μιλήσιος lege Μεσσήνιος cum Varino κότταβος, Caſaubono ad locum Athenæi citatum. Siculus enim fuit Dicæarchus, Meſſana oriundus: hinc Μεσσήνιος cognominatur, Athen. lib. XI. Ariſtophanis Scholiaſtes Εἰρην. Suidas Ἀριϛόξενος Σικελιώτης ἐκ πόλεως Μεσσήνης, Suid. Δικαίαρχος. *Diodorus* Epheſius uitam Anaximandri ſcripſit, quam citat Laertius lib. VIII. plurium uitam an ſcripſerit, non conſtat. *Diogenes Laertius (alius ab eo, quem apud Homerum Iliad. β. Minerua ita compellat:* Διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ) a Laerto Ciliciæ oppido natali ſic forte dictus, ſcripſit decem libros περὶ βίων δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ ἐνδοκιμησάντων *de uitis, decretis & reſponſis celebrium Philoſophorum*, ut habet inſcriptio. Atque illæ uitæ a Diogene deſcriptæ ſuperſtites ſunt, de quibus audi Patricium lib. III. Tom. I. Diſcuſſ. Peripat. *Diogenes ut eas Philoſophorum uitas compilaret, ducentos & undecim Authores probatiſſimos euoluit, neminemque habemus præter Plinium, Plutarchum, Athe-*

Athenæum, *Stobæum*, *Suidam*, *qui plures ſcriptores in ſcriptis nominet, quam hunc ipſum.* Ipſe tamen Diogenes lib. X. eo nomine alios laudat: *Tot teſtimonia inſerit* (Chryſippus) *ut uel his ſolis eius libri conſtare uideantur*, *quod etiam apud Zenonem & Ariſtotelem obſeruamus.* Confer. Heſych. Mileſ. Ἐπίκουρος. *Epicurus* libros quidem IV. de Vitis ſcripſit, teſte Laertio lib. X. ubi I. & II. de Vitis liber citatur. Verum Ethicum illud opus fuit, non hiſtoricum, ut ex loco citato conſtat. *Eunapius* Sardianus ἔλλην præter Chronologiam, quam ſeruat Veneta Bibliotheca & legationes ab A. Schotto editas, βίους φιλοσόφων καὶ σοφιστῶν, *uitas Philoſophorum & Sophiſtarum* ſcripſit, nimirum Plotini, Porphyrii, Iamblichi, Ædeſii, Maximi, Priſci, Iuliani, Proæreſii, Epiphanii, Diophanti, Sopolidis, Himerii, Parnaſii, Libanii, Acacii, Nymphidiani, Zenonis, Magni, Oribaſii, Ionici, Chryſanthii, Epigoni & Beroniciani. Verum initio ſui Opuſculi ubi eorum qui τὴν φιλόσοφον ἱστορίαν conſcripſerunt, meminit, paucos adducit, *Porphyrium* ſcilicet, *Sotionem*, *Philoſtratum* Lemnium, qui Apollonii Tyanei uitam ſcripſit, *Plutarchum* Ammonii diſcipulum, *Lucianum* Samoſatenſem, qui Demonactis Philoſophi uitam reliquit. *Heraclides* (non *Heraclitus* ut habet Macrobius, lib. I. in ſomn. Scip. cap. XIV. Cœlius Rhodig. lib. XIV. Antiqu. Lect. cap. XVIII.) Ponticus Peripateticus opuſculum περὶ βίων *de Vitis* ſcripſit, quod inter eius libros recenſet

Laertius lib. V. Heracl. Archimedis uitam ab eo deſcriptam citat Eurocius ad Archimedem. De Pythagoreis quoque ſcripſit teſte Laertio loco cit. inde quædam citantur ab eodem lib. VIII. Pythag. *Heraclides Serapionis* F. *Lembus* cognomine ὁ τȣ̃ Λέμβȣ Ἡρακλείδης apud Photium tm. CCXIII. legitur: ſed genuinam reſtitue lectionem Ἡρακλείδης ὁ Λέμβος. Hoc nominis enim ei fuiſſe docet Diogenes lib. V. Heracl. Athenæus lib. III. & XIII. Deipnoſ. Suidas Ἡρακλ. *Feſtus Roma.* ſcripſit τὴν τῶν Σατύρȣ βίων ἐπιτομὴν, teſte Laertio lib. VIII. Pythag. Emped. lib. IX. Zen. El. *Hermippus* Smyrnæus Peripateticus Callimacheus, nobilis βιογράφος, teſte Hieronymo præfat. citata. Plurima ex eo citat Laertius in ſuo de Philoſophis libro. Sic φησὶν Ἕρμιππος ἐν τοῖς βίοις, lib. I. Thal. lib. II. Anaxag. lib. V. Ariſtot. adde Plinium lib. XXXVII. Hiſt. Nat. cap. I. Plutarchum uita Lycurgi, Solonis &c. Agellium lib. III. Noct. Att. cap. XIII. Laërt. lib. I. Chilone Anach. Pherec. lib. III. Plat. lib. IV. Arceſilao. lib. V. Theophr. Lycone, Demetrio Phal. Heracl. lib. VI. Antiſth. Menip. lib. VII. Chryſ. lib. VIII. Emped. lib. IX. Zenone El. Democrito lib. X. Epicuro. Arnobium lib. I. aduerſus Gentes &c. Sic Ἕρμιππος ἐν πρώτῳ περὶ Μάγων, Laërt. lib. I. p. ἐν τοῖς περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν. Athenæus lib. X. ἐν τοῖς περὶ Ἱππώνακτος. Athen. lib. VII. ἐν δευτέρῳ περὶ Πυθαγόρȣ Laërt. lib. VIII. Pyth. ἐν τῷ περὶ Γοργίȣ Athenæus lib. XI. ἐν δευτέρῳ περὶ Ἰσοκράτȣς μαθητῶν, Harpocrat.

pocrat. Ἰσαῖος, ubi pro Ἕρμιππος legitur Εὔριπος, Male! Hinc Voſſius Euripum facit Hiſtoricum qui de Iſocratis diſcipulis volumen reliquerit lib. IV. de Hiſt. Gr. p. m. Iↄ XII. ſed codex corruptus ei impoſuit. Porro Ἕρμιππος ἐν τρίτῳ περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν Athenæus lib. VIII. & X. ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους Laërt. lib. V. Ariſt. ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους πρώτῳ Athen. lib. XIII. & XV. *Herodotus* quidam librum de uita Homeri ſcripſit, quem citat Stephanus νέον τεῖχος, Suidas Ὅμηρος, quique etiamnum ſuperſtes eſt & Herodoto Halicarnaſſeo ſiue Thurio fere adſcribitur: recte an ſecus merito dubitatur. *Heſychius* Mileſius illuſtris (illuſtrius a quibusdam etiam doctis, male appellatur. Græcis quidem dicitur Ἡσύχιος ὁ ἰλλούστριος I. Tzetz. Chil. III. Suidæ Ἡσυχ. Photio Tmemate LXIX, LXX. quod tamen Latine illuſtris reddendum. Nomina enim Latina in is, Græci ita per ios efferre ſolent, ut Φιδήλιος pro quo Φιδέλιος *apud Procopium lib. I. de bel. Goth.* fidelis, κοντουβερνάλιος Contubernalis, Heſych. Mileſ. Νωβίλιος Nobilis, κηνσουάλιος Cenſualis, Iuſtinianus nouella XVII, & CXXVIII. Αὐγουστάλιος Auguſtalis, Phot. Tmem. XCVI. Προκόπιος ἰλλούστριος Procopius illuſtris, Suid. Προκ. Καρδινάλιος Cardinalis Chron. Conſtantinop. Πέτρος ἰλλούστριος, Petrus illuſtris, Phot. Ecl. CXCIV. Χριστόδωρος ἰλλούστριος Chriſtodorus illuſtris, Suid. Χριστ. τῶν ἰλλουστρίων meminit Photius Ecl. CCXLIV. plura uide in Varini, Meurſii cœterorumque Gloſſariis) Heſy-

Heſychius, inquam, ille Mileſius illuſtris, qui ſub Anaſtaſio & Iuſtino uixit, ſcripſit Ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων. *Nomenclaturam aut indicem eorum qui eruditione claruerunt*, Suidas Ἡσυχ. integer titulus, qui nunc extat, hic eſt: Ἡσυχίου Μιλησίου Ἰλλουςρίου περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν. Hunc Heſychium illuſtrem notulis egregiis illuſtriorem reddidit Ioh. Meurſius, uir præ cæteris de Græca antiquitate bene meritus. *Hippobotus* librum de Philoſophis edidit. Ἱππόβοτος ἐν τῇ τῶν φιλοσόφων ἀναγραφῇ ait Diogenes lib. I. Thal. Atque ex illo opere ſunt, quæ alias citat Laërtius lib. V. Heraclide, lib. VI. Cratete Theb. & Mened. lib. VII. Zenone aliquoties, lib. VIII. Pythag. Emped. Porphyrius lib. de uita Pythagoræ. *Idomeneus* Lampſacenus celebris Epicureus Laërt. lib. X. Epic. Athenæus lib. VII. Deipnoſ. p. Libros aliquot de Socraticis ſcripſit, ut diſcimus ex Laërt. lib. II. Socr. Ἰδομενεὺς ἐν τοῖς περὶ τῶν Σωκρατικῶν. item in Æſch. *Longinus* Philologorum hiſtoriam contexuiſſe uidetur: Λογγῖνος ἐν φιλολόγοις, ait Author uitæ Apollonii Anonymus. Megaclis περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν opuſculum adducit Athenæus lib. X. Deipn. *NEANTHES* Cyzicenus librum περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν *de uiris illuſtribus* itidem edidit, quem citat Stephanus Byzantius uel Hermolaus eius Epitomator in κρωςός. Ex illo quædam adducit Laertius lib. I. Periandro lib. III. Platone, lib. VI. Antiſth. lib. VIII. Emped. ubi

ubi expreſſe περὶ τῶν πυθαγορικῶν ſcripſiſſe dicitur, lib. IX. Heraclito. Clemens Alex. lib. I. Strom. Porphyrius uita Pythag. Heſychius Mileſius Empedocle. *Nicander* Alexandrinus de Ariſtotelis diſcipulis librum ſcripſit, teſte Suida Αἰσχρίων. *Nicias* Nicæus ſcripſit φιλοσόφων ἱστορίαν, *hiſtoriam Philoſophorum* Athen. lib. IV. Deipnoſ. Videtur tamen eſſe de ſucceſsionibus Philoſophorum opuſculum, quod idem lib. XIII. & alibi citat. Cæterum de ſucceſſionibus Philoſophorum qui ſcripſerint, parte ſecunda, cum Deo, oſtendetur. *Philoſtratus* Lemnius, tertius (*plures enim Lemnii Philoſtrati fuere*) de Vitis Sophiſtarum reliquit duos libros (*non δ´ ſiue IV. ut Suidas habet. Ipſe enim Philoſtratus initio operis ſui duos ſaltem a ſe ſcriptos eſſe de Sophiſtis libros fatetur*) quos Suidas Philoſtrato ſecundo male tribuit. Atque illa Sophiſtarum deſcriptio etiamnum exſtat. *Porphyrius* quoque *uitas ueterum* (Philoſophorum) *omnium deſcripſit, in quibus hic illi ſcopus propoſitus fuit, & multum operæ & ſtudii* [illegible] *poſuit*, ut ait Cyrillus lib. VI. contra I[illegible], ubi Ariſtoxenum de Socrate differentem ex Porphyrio adducit, τὴν φιλοσόφων ἱστορίαν καὶ τοὺς τῶν φιλοσόφων ἀνάγων βίους Πορφύριος καὶ Σωτίων ἀνελέξατο. Ἀλλ᾽ ὁ μὲν Πορφύριος οὕτω συμβᾶν εἰς Πλάτωνα ἐτελεύτα καὶ τοὺς ἐκείνου χρόνους. Σωτίων δὲ καὶ καταβὰς φαίνεται, καιτοίγε ὁ Πορφύριος ἦν νεώτερος *Hiſtoriam & uitam eorum qui ueri minimeque fucati extiterunt Philoſophi undecunque* *colle-*

collegere Porphyrius & Sotion: quorum ille in Platonem eiusque tempora, quod ſic illi uiſum fuerit, deſiit: hic, quamuis Porphyrio ætate prior, citeriora quoque ſcripto perſecutus eſt, Eunapius proœmio ſui de uitis opuſculi. *Plutarchus & Aetius opiniones & placita Philoſophorum collegerunt: quem ſibi laborem Porphyrius quoque ſumſit, ſingulorum uitam opinionibus adiungens*, uerba ſunt Theodoreti Θεραπ. ſerm. II. *Quod ambo Iulianus & Porphyrius, quem Tyrium ſenem uocat, ſcoptici fuerint, id ex eorum libris aperte oſtendemus. In Philoſophica enim, quam ita Porphyrius inſcripſit, hiſtoria mirum eſt, quantopere uitam Philoſophorum Coryphæi Socratis cauillando taxet, tot in eum confictis Sycophantiis, quot neque Anytus neque Melytus, qui illum quod res nouas contra leges ueteres induceret, accuſarunt, nunquam excogitarunt*, Nicephorus Calliſtus lib. X. Hiſt. Eccl. c. XXXVI. Atque illa Hiſtoria Philoſophica paſſim ab Authoribus citatur. Πορφύριος ἐν τῇ φιλοσόφῳ ἱστορίᾳ. Suidas Ὅμηρος. *Primum* eius operis librum citat Cyrillus lib. I. contra Iulianum. *Tertium*, Stephanus Byz. Cyrillus lib. VI. contra Iul. Theodoretus Serm. I. qui eſt de fide. *Quartum* Cyrillus lib. I. contra Iul. uitam Pythagoræ in illa ſua Hiſtoria quoque deſcripſerat Porphyrius, quam citat idem Cyrillus l. c. Πορφύριος τὸν Πυθαγόρου βίον ἐξηγούμενος, idem lib. III. & VI. contra Iulianum. Πορφύριος τὸν Πυθαγόρου βίον ἐναργῆ καθιστάς, idem lib. X. Eamque Pythagoræ uitam ex illa Philoſophica Hiſto-

Hiſtoria ſuperſtitem Wowerius ceu nondum editam publicare uoluit id quod promittit lib. de Polym. cap. XXVIII. f. ſed uoluit, Primus autem, qui eam publicauerit, C. Rittershuſius fuit. Vitam quoque Plotini a Porphyrio eſſe conſignatam, diſcimus ex Eunapio Πλωτῖνος. *Vitam illius* (Plotini) *Porphyrius ita explicauit, ut nemo copioſius dicere aut plus adferre poſſit: quid? quod plurimos eius libros interpretatus fuiſſe uideatur.* *Satyrus* Peripateticus libros quoque περὶ βίων *de Vitis* ſcripſit. Σάτυρος ἐν τοῖς βίοις, ait Laertius lib. II. Anaxag. Σάτυρος ὁ περιπατητικὸς ἐν τοῖς βίοις, Athenæus lib. XII. Deipnoſ. Eius operis quoque meminit Hieronymus præfat. cit. *Quartum* ex eo librum citat Diogenes lib. VI. Diog. Multa alias ex illo citat idem Laertius lib. I. Chilone lib. II. Socr. lib. III. Plat. lib. VIII. Emped. &c. Hieronymus lib. II. aduerſus Iouianum. Ioannes Sareſberienſis lib. V. de Nugis Curial. cap. VII. *Soranus* Epheſius iunior Medicorum uitas & ſectas ſcripſit, teſte Suida Σωρανός. Ex illo opere Hippocratis uitam habemus ſuperſtitem eius operibus annecti ſolitam, quædam ex ea adducit Tzetzes Chil. VIII. Hiſt. CLV. *Speuſippus* librum de Philoſophis reliquit, quem citat Laertius lib. IX. Parmen. qui libro IV. in uita Speuſippi alium recenſet, cui titulus Philoſophus. *Telephus* ſub Adriano Imp. Vitas Comicorum & Tragicorum ſcripſit. Suidas. Τέλ. *Theophraſtus* tres περὶ βίων libros reliquit, item unum de Anaxagora, unum de Anaximene, unum

num de Archelao, unum de Empedocle quos Laertius inter opera eius recenſet lib. V. Theophr. *Timaeus* Locrius Vitam Pythagoræ ſcripſit, teſte Suida Τίμ. *Timotheus* Athenienſis libros περὶ βίων *de uitis* edidit, quos ſæpius citat Diogenes lib. III. Plat. lib. IV. Speuſ. lib. V. Ariſt. lib. VII. Zenone. *Xenocratis* Chalcedonii librum περὶ βίων citat idem lib. IV. Xenocr. Innumeros alios βιογράφυς Græcos, ne quid dicam de Latinis, breuitatis amore hic prætereo, cum ex authoribus modo citatis unicuique ſatis conſtet, & de Antiquorum ſtudio uitas ſententias & ſcripta Philoſophorum conſeruandi: & de temporis iniuria atque inuidia, quod uix unum atque alterum ex his aliisque plurimis ſcriptoribus ſuperſtitem atque integrum nobis reliquit. Sic alios ab interitu uindicaturi interiere! Illo Veterum ſtudio ego excitatus, quicquid in iis, quæ ſuperſunt, priſcorum monumentis de Ariſtotele, eiusque uita, Philoſophia, Anteceſſoribus, ſectatoribus, inſectatoribus, libris &c. memoratu dignum obſeruaui, id ipſum ἄνευ παθῶν poſteritati denuo exhibere operæ eſſe duxi. Eo autem libentius tanti Philoſophi ab interitu uindicandi patrocinium aduerſus inuidum & edax tempus hiſce meis ſcriptis ſuſcepi quod non tantum in illis, quæ ſuperſunt, uitæ Ariſtotelis deſcriptionibus multa deſiderem, multas nugas reſecari uelim: Verum etiam laudabile quorundam Eruditorum exemplum, Philolai illius (Iſmaelem Bullialdum intelligo) qui Pythagoram, Ma-

gueni

gneni qui Democritum, Gaſſendi qui Epicurum non ſine aliorum applauſu in uitam reuocauerunt, mihi ob oculos uerſetur, meque in ſui imitationem pelliciat. Gratum autem hunc meum qualemcunque laborem tibi, Lector Beneuole, fore nullus dubito: præſertim cum eorum mihi in mentem uenit, qui non ſine gratia res etiam, quas maxime futiles dixeris, ſcriptis publicauerunt. Eos intelligo, qui ſcortorum Athenienſium nomina, uitam, genus, patriam, amaſios, dicta faceta, obitum &c. conſignare non ſunt ueriti; inter quos excellunt Antiphanes, teſte Athenæo lib. XIII. Deipn. Harpocr. ἀντίκυρα, Apollodorus, Ariſtophanes Byzantius, qui ſub Euergete & Philopatore floruit, Calliſtratus, Gorgias item Athenienſis (alius a Gorgia Leontino, Epirota &c.) qui paulo poſt Ariſtophanem uixit, Athen. lib. XIII. quorum ſcripta de ſcortis Atticis lucem uidere non erubuerunt: ut inde certiſſimum tuum fauorem in excipiendis iis, quæ de Ariſtotele ſummo Philoſopho producentur, mihi promiſerim. Diſtinctum autem erit hoc opus in tres partes: Prima exhibebit Ariſtotelis uitam, mortem, uitia, uirtutes, diligentiam &c. ſecunda, Anteceſſores eius, eorumque ſententias ex ipſo, ſucceſſores item & aduerſarios dabit. Tertia de libris eius, cum in genere, tum in ſpecie de genuinis, ſpuriis, deperditis, mutilis &c. aget. Tu interim e Amice lector, ſtudiis meis faue & plura alia ad cognitionem Græcæ Antiquitatis facientia a me exſpecta.

§. I.

Ariſtotelis nomine plurimos fuiſſe celebres, teſtarentur, ſi ſupereſſent Demetrius Magnes libro περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων cuius modo mentio eſt facta & Dionyſius Sinopenſis libro, quem itidem περὶ ὁμωνύμων ſcripſit, teſte Scholiaſte Demoſthenis: Octo tamen eius nominis recenſet Laertius lib. V. Ariſt.

Primus eſt Philoſophus ille Stagirites, de quo ſuſcepta eſt tractatio.

Secundus eſt ὁ πολιτευσάμενος Ἀθήνησι, οὗ καὶ δικανικοὶ φέρονται λόγοι χαρίεντες, *qui apud Athenienſes Remp. geſſit, cuius etiam extant in genere iudiciali orationes ſane elegantes*, Laert. l. c. ita uox χαρίεντες reddenda, quæ alias barbare ſolet *gratioſæ* reddi. Sicut uerba illa lib. XII. Metaph. cap. X. οἱ χαριεστέρως λέγοντες, male a Beſſarione redduntur, *gratioſius loquentes* & lib. XI. Metaph. cap. II. ζητεῖται ὑπὸ τῶν χαριεστάτων, *quæritur ab ipſis maxime gratia præditis.* Male! οἱ πολλοὶ καὶ οἱ χαρίεντες opponuntur lib. I. Ethic. cap. II. III. Lib. II. Polit. cap. VII. &c. Sunt autem οἱ χαρίεντες uiri celebriores, eruditiores, nobiliores. Sic qui lib. de Reſpir. cap. ultimo dicuntur τῶν περὶ φύσεως πραγματευθέντων οἱ χαριέστατοι, (quos Vatablus interpres uocat *Phyſicos quicunque concinnitatis aliquid habent.* Male!) illi Ciceroni lib. IV. Acad. Quæſt. *Politiores Phyſici* appellantur: ita λόγοι χαρίεντες ſunt orationes non uulgares, ſed uenuſtæ, elegantes, doctæ: & χαριεστέρως λέγειν eſt eruditius & uenuſtius diſſerere. Ter-

Tertius eſt, ὁ περὶ Ἰλιάδος πεπραγματευμένος *qui ſuper Iliade eſt commentatus* Diog. l. c. Male interpres eius Ambroſius: *qui Iliadem Homeri ſcripſit.* Plutarchus in Alex. refert Ariſtotelem Homeri Iliada emendaſſe & Stagiritam intelligit. Vtrum uero ὁμωνυμίᾳ deceptus ſit nec ne, ulterius eſt quærendum.

Quartus Laertio eſt Σικελιώτης ῥήτωρ πρὸς τὸν Ἰσοκράτους πανηγυρικὸν ἀντιγεγραφώς *Siculus Orator, qui Panegyrico Iſocratis contraria oratione reſpondit.* Panegyrica autem illa Oratio Iſocratis habita eſt circa tempus nati Ariſtotelis Stagiritæ aut certe cum hic puer eſſet, anno ſexto quo Euagoras Cypriorum Rex a Rege Perſarum obſeſſus fuit, ut ex ipſa conſtat: poſt prælium ad Cnidum geſtum, cuius itidem in ea fit mentio: poſt Cadmeam Thebanorum a Lacedæmoniis occupatam, ut ipſa oratio indicat. Hinc errare conſtat Lucianum in Macrobiis dicentem: *Iſocrates ſex & nonaginta annos natus orationem Panegyricam ſcripſit.* Procul dubio *Panathenaicam* dicere uoluit. Hæc enim circa id tempus prodiit, Cicero in Catone: *Iſocrates librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, uixitque quinquennium poſtea.* Idem habet Sabellicus lib. I. cap. VII. *Triennio tantum ab anno ætatis centeſimo abſum*, ait ipſe Iſocrates in Panathenaico; at circa eius initium fatetur ſe annos XCIV. natum illum inchoaſſe. Natus autem eſt Iſocrates duos & quinquaginta annos ante Ariſtotelem. Ve-

rum (ut in uiam reuertamur) Siculum iſtum Ariſtotelem Cicero, Dionyſius Halic. Athenæus & Euſebius cum Ariſtotele Stagirita Philoſopho peſſime confundunt, dum id quod Diogenes hic Siculo Oratori tribuit, Stagiritæ affingunt: de quo infra.

Quintus eius nominis Laertio eſt ὁ ἐπικληθεὶς μῦθος, Αἰσχίνου τοῦ Σωκρατικοῦ γνώριμος *qui Mythus eſt dictus, Æſchinis Socratici familiaris.* Eiusdem quoque meminit lib. II. in Æſch. γνώριμος δὲ αὐτοῦ φέρεται εἷς Ἀριστοτέλης ὁ Μῦθος ἐπικληθείς. Atqui & undecimus huius nominis, Æſchinis cuiusdam familiaris fuit, ut indicabitur: an uero homonymia Laertium hic deceperit, nondum conſtat.

Sextus Κυρηναῖος γεγραφὼς περὶ ποιητικῆς *Cyrenæus qui de Poetica ſcripſit*, Laert. l. c. Eiusdem quoque lib. II. in Stilpone meminit παρὰ Ἀριστοτέλους τοῦ Κυρηναϊκοῦ Κλείταρχον καὶ Σιμμίαν ἀπέσπασεν. *ab Ariſtotele Cyrenaico Clitarchum & Simmiam abduxit & abalienauit.* Ælianus lib. X. Var. Hiſt. cap. VIII. Ἀριστοτέλης ὁ Κυρηναῖος ἔλεγε, μὴ δεῖν εὐεργεσίαν παρά τινος προσίεσθαι. ἢ γὰρ ἀποδιδόναι πειρώμενον πράγματα ἂν ἔχειν, ἢ μὴ ἀποδιδόντα ἀχάριστον φαίνεσθαι. *Ariſtoteles Cyrenenſis dicebat, non oportere beneficium oblatum a quoquam accipere: aut enim, ut rependere poſſit, moleſtias habiturum; aut ſi non referat, in uitium ingratitudinis incurſurum.*

Septimus, Παιδοτρίβης οὗ μέμνηται Ἀριστόξενος ἐν

ἐν τῷ Πλάτωνος βίῳ, *corporum exercitator* (ita enim uocem illam παιδοτρίβης cum Caſaubono reddimus: Plato Protagora: Ἔτι τοίνυν πρὸς τούτοις εἰς παιδοτρίβου ἵνα τὰ σώματα βελτίω ἔχοντες ὑπηρετῶσι τῇ διανοίᾳ χρηστῇ οὔσῃ καὶ μὴ ἀναγκάζωνται ἀποδειλιᾶν διὰ τὴν πονηρίαν τῶν σωμάτων καὶ ἐν τοῖς πολέμοις καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πράξεσι) *cuius Ariſtoxenus uita Platonis meminit.* Laert. l. c.

Octauus Γραμματικὸς ἄσημος, οὗ Φέρεται τέχνη περὶ πλεονασμοῦ, *ignobilis Grammaticus, cuius de Pleonaſmo liber circumfertur.* Atque hos octo Laertius lib. V. in uita Ariſtotelis enumerat. Plures tamen eius nominis occurrunt.

Nonus Cyrenæorum Rex fuit in Africa, tempore Cyri Perſarum Regis, Polymneſti filius, qui etiam Battus (alius tamen ab illo Batto, cuius meminit Antonius Liberalis cap. XXIII. μεταμορφ.) & Ariſtæus eſt appellatus. Κυρήνην ὤκισε Βάττος ὃς ἐκαλεῖτο πρότερον Ἀριστοτέλης. Τῆς δὲ πυθίας Βάττον αὐτὸν εἰπούσης, ὄνομα τοῦτο ἔσχηκεν. Οὗτος ἦλθεν εἰς Δελφοὺς περὶ τῆς φωνῆς πευσόμενος. ἦν γὰρ ἰσχνόφωνος. Τοῦ δὲ Θεοῦ κελεύοντος κτίζειν Λιβύην, τὸ μὲν πρῶτον ὁρμήσας ἠδυνάτησε. *Battus Cyrenen condidit, qui prius Ariſtoteles dicebatur. Poſtea uero cum Battus ab Oraculo eſſet appellatus, nomen illud retinuit. Is cum Delphos ad conſulendum oraculum de uoce profectus eſſet (exili enim erat uoce) Libiamque condere iuberetur, primum quidem conatus ſuos perficere non potuit*, Heraclides

 de

de Politia Cyrenæorum. Εὔφημος ᾤκει τὴν Λακωνικὴν παρὰ τὸν αἰγιαλόν. Εἷς δέ τις αὐτοῦ τῶν ἀπογόνων Σήσαμος ἀπῴκησε Θήραν, οὗ ἀπόγονος γέγονεν Ἀριστοτέλης ὃς τῆς περὶ Κυρήνην ἀποικίας ἡγήσατο. Ἱστορεῖται ταῦτα παρὰ Πινδάρῳ ἐν πυθιονίκαις, ἐπιμελέστερον δὲ παρὰ Θεοχρήστῳ ἐν πρώτῳ Λιβυκῶν, καὶ παρὰ Ἀκεσάνδρῳ ἐν πρώτῳ Κυρήνης. Scholiaſtes Apollonii ad lib. IV. Ἀργον. §. CVI. ἀπὸ Εὐφήμου γενόμενος καὶ αὐτὸς καὶ Ἀριστοτέλης εἰς Λιβύην τὴν ἀποικίαν ἠγάγετο, idem Scholiaſtes ad lib. cit. ſ. CVII. Quem (ut hoc obiter attingam) Lucilium Tarrhæum eſſe communiter credunt. Ipſe etiam Voſſius in ea eſt ſententia lib. III. de Hiſt. Græcis ubi ita: *Lucillus Tarrhaus contexuit ſcholia in Argonautica Apollonii, ut ex præfatione Anonymi Græci conſtat.* Verum placet hic modeſte ab eruditiſſimo illo Viro propterea diſſentire, quod Tarrhæus in illis Scholiis citetur: ὁ Ταῤῥαῖος οὕτως. Παρθενία δὲ ἡ Σάμος ἀπὸ Παρθενίας τῆς Σάμου γυναικὸς ὠνομάσθη. Scholiaſt. Apollonii in lib. I. Argon. ſ. XII. Ταῤῥαῖος δέ φησιν ὅτι γίγας ὢν (Αἰγαίων) καὶ φυγὼν ἐκ τῆς Εὐβοίας ἀφίκετο εἰς Φρυγίαν, κἀκεῖ ἐτελεύτησε. idem ibid. ſ. XLIV. ut ita ſcholia iſta non a, ſed ex Tarrhæo collecta ſint, id quod clare ſatis indicat Græcus Autor uitæ Apollonii anonymus his uerbis: Παράκειται τὰ σχόλια ἐκ τῶν Λουκίλλου, (Λούκιον uocat Stephanus Θεσσαλονίκη, Κάλαρνα, Τάῤῥα) Ταῤῥαίου καὶ Σοφοκλέους καὶ Θέωνος. Τάῤῥα δὲ πόλις Κρήτης, ὥς

φησι

Φησι Λογγῖνος ἐν τοῖς Φιλολόγοις. *Annotationes e ſcriptis Lucilii Tarrhæi & Sophoclei & Theonis huc translatæ ſunt. Eſt autem Tarrha Cretæ oppidum, authore Longino in Philologis.* Trium uero illorum Tarrhæi, Sophoclei, & Theonis mentio fit apud Scholiaſten Ariſtoph. Νεφέλ. de Arcadibus προσεληνοις nonnihil ex Apollonio adducentem, unde Rutgerſius non ſatis firme colligit tres illos Authores ſcholia in Apollonium confeciſſe lib. IV. Var. lect. cap. XVIII. Quod autem Apollonii Scholiaſtes loco primo citato Pindarum adducit, id commode fit. Meminit enim huius Batti Lyricus Πυθιον. ode IV. (circa huius initium & Scholiaſtes eius conſulatur) inprimis ode V. ubi Ariſtotelis huius expreſſa fit mentio:

Τὸ δ' ἐλάσιππον ἔθνος *Equeſtrem autem gentem*
Ἐνδυκέως δέχονται *propenſe excipiunt*
Θυσίαισιν ἄνδρες *ſacrificiis uiri*
Ἰχνέοντές σφε δωροφόροι *ad eos accedentes munerum latores*
Τὰς Ἀριστοτέλης ἄγαγε ναυσὶ θοαῖς *quos Ariſtoteles adduxit nauibus citis*
Ἁλὸς βαθεῖαν κέλευθον ἀνοίγων. *maris profundam uiam aperiens.*

Maxime uero apud Theochreſtum & Aceſandrum coloniæ per Ariſtotelem in Lybiam deductæ mentionem fieri indicat Apollonii Scholiaſtes. Puto nec cæteros huius Batti fuiſſe immemores qui Libyca ſcripſerunt, Agroetam, Ale-

xandrum, Dionyſium, Marcianum &c. Neque ſiluit Aceſtor qui peculiarem de Cyrene librum ſcripſit, teſte Schol. Apoll. lib. II. Ἀργον. Huius Ariſtotelis meminit & Callimachus hymno in Apollinem. Herodotus Μελπομ. ſiue libro IV. de Batto noſtro ita ſcribit: *Polymneſtus uir inter Theræos ſpectatus, in concubinatum Phronymam accepit, ex qua interiecto tempore natus eſt ei filius ſono uocis exili & balbutiente, cui nomen impoſitum eſt Batto, ut Theræi & Cyrenæi aiunt: meo autem iudicio res aliter ſe habet: ita enim cognominatus eſt Battus, poſtquam in Africam abiit, cum propter oraculum Delphicum ei redditum, tum propter honorem, quem aſſecutus eſt. Battum enim Pœni Regem appellant: & ob id reor Pythiam Lingua Punica, quam nouerat, cum oraculum redderet, uocaſſe* Battum, *quod futurus eſſet Rex Africæ. Hic adultior factus Delphos adiit ob linguæ uitium, cui conſulenti Pythia reſpondit:*

Batte uenis uocis cauſſa, Dux te iubet ire
Lanigeram in Libyen habitatum Phœbus Apollo.

Ad hæc Battus reſpondit: O princeps ego ad te ueni conſulendi gratia de uoce, tu de aliis mihi reſpondes. Hæc Herodotus. Strabo lib. XVII. Geogr. *Cyrenen*, ait, *a Batto conditam tradunt, a quo ſe genus ducere Callimachus ait.* (Callimachus nimirum ille qui Battiades inde dicitur Catullo cap. CXVII. Ouidio lib. II. Triſt. & in Ibin. Petronio Arbitro in Satyrici illo uexatiſſimo uerſu:

Battiadæ ueteris mirando tradidit æuo.

ubi

ubi Fr. Pithoeus baſynias ſemi ex Athenæo in medelam adducit: cæteri ex Plutarcho Hecaleſia Callimachi obtendunt. Notus quoque eſt ille Callimachi uerſus:

Nomine Calliſte primum ſed poſtmodo Thera
Dicta fuit tellus urbis origo meæ

Pauſanias in Lacon. *Batti comitem* facit *Anchionin, qui cum eo in Africam claſſe profectus coloniam Cyrenen deduxerit, eique in eiiciendis finitimis ſocius fuerit.* Idem in Phoc. *Cyrenæi*, ait, *Delphis Batti ſtatuam collocauerunt in curru, quod is ex inſulą Thera eos in Africam claſſe deduxiſſet in coloniam. Deducta iam Cyrenen colonia Battus uocis huiusmodi medelam repperit: Dum Cyrenæi in extrema Africæ deſerta excurrunt, leonem conſpexit; re improuiſa territus magnum & articulatum neceſſitate cogente ſuſtulit clamorem.* Ariſtoteles autem hic Cyrenæus non tantum Battus, uerum etiam Ariſtæus apud Authores appellatur V. Virgil. lib. IV. Georg. cui adde ob fabulam Natalis Com. Mythol. lib. V. cap. XIX. inprimis uero Iuſtinum lib. XIII. cap. VII. ad quem locum Cl. Berneggerus Authores alios plurimos, qui Ariſtæi ſiue Ariſtotelis noſtri meminerint, breuiter notauit. Adde tamen iis Catullum cap. VII. Suidam Βάττος, Ariſtotelem in Cyrenæorum Rep. apud Varinum Βάττος, Cælium Rhodig. lib. XIII. Antiq. lect. cap. I. Deſideramus hic Leandri Nicanoris Cyrenæi librum περὶ μετονομασιῶν in quo de nominum mutatione & uariati-

one egit, ut conſtat ex Athen. lib. VII. Deipnoſ. Stephano de urbibus in πάρος & ὕδη.

Ariſtoteles Stagirites balbus fuiſſe quibusdam creditur, ſed homonymia huius Regis decepti eſſe uidentur.

Decimus Timocratis Filius, qui anno ſexto belli Peloponneſiaci (erat autem ille tertius Olympiadis LXXXVIII.) nauium Atticarum præfectus fuit, Thucyd. lib. III. belli Pelopon. p. m. CCXLIV.

Vndecimus Athenienſis, exul. quem Lyſander Olymp. XCIII. an. IV. ad Ephoros mittit, qui eos certiores faceret, ſe reſpondiſſe Therameni, Ephoros pacis ac belli arbitros eſſe, Xenoph. lib. II. Ἑλληνικῶν, poſtea factus eſt unus e triginta iſtis Tyrannis. Ἀριςοτέλης ὁ τῶν τριάκοντα, ait Plato in Parmenide, eius mentionem aliquoties ibi faciens. Sicut & Critias dicitur fuiſſe εἷς τῶν τριάκοντα τὸν δῆμον καταλυσάντων, Æſchin. Orat. in Timarchum. Laert. lib. III. τῶν τριάκοντα alias ipſe Philoſophus noſter meminit, lib. V. Polit. cap. VI. lib. II. Rhetor. cap. XXIII. & XXIV. Origo autem iſtorum Triginta uirorum hæc eſt. Cum Athenienſes Olymp. XCIII. an. IV. Lacedæmoniis duce Lyſandro ad Ægos flumen uicti eſſent & fuſi, Athenæ captæ & diruti muri, Democratia in Oligarchiam mutabatur, conſtitutis apud Athenienſes Triginta uiris. Scilicet id in more apud Laconas poſitum erat, Democratias tollere, conſtituere Oligarchias. οἱ Ἀθηναῖοι πανταχῆ τὰς ὀλιγαρχίας, οἱ δὲ

Λάκω-

Λάκωνες τὰς δήμους κατέλυον, ait Ariſt. lib. V. Polit. cap. VII. *Lacedæmonii Reip. optimates præficere, Athenienſes uero popularem ſtatum ubique in urbibus confirmare ſolebant*, Diod. Sic. lib. XIII. Bibl. cap. XLVIII. *Lacones ſtatum popularem deteſtantes oligarchias conſtituunt*, idem lib. XIV, Atque ita pro more ſuo Athenis quoque XXX. Tyrannos conſtituebant. De iis Iſocrates Orat. Areop. *Triginta Tyranni & ſacrificia neglexerunt & fana expilarunt, & naualia tribus talentis deſtruenda uendiderunt, quæ Reip. non minus mille talentis conſtiterunt. Ex SCto rerum potiti cIↄIↄ ciues indicta cauſſa occiderunt, in Pyræeum amplius quinque millia fugere coegerunt.* Nomina autem illorum Triginta uirorum Xenophon nobis ſeruauit lib. II. ἑλληνικ. *Paucorum ille dominatus hunc habuit ortum: Viſum fuit populo deligendos eſſe XXX. uiros, qui leges patrias conſcriberent, ſecundum quas uiuendum deinceps in Rep. foret: Delecti fuere Polyarches, Critias, Melobius, Hippolochus, Euclides, Hiero, Mneſilochus, Chremo Theramenes, Areſias, Diocles, Phædrias, Chærelaus, Anætius, Piſon, Sophocles, Eratoſthenes, Charicles, Onomacles, Theognis, Æſchines, Theogenes, Cleomedes, Eraſiſtratus, Phidon, Dracontides, Eumathes, Ariſtoteles, Hippomachus, Mneſithides.* Ariſtoteles paulo poſt, quam electus erat, cum Æſchine ſocio ſuo Lacedæmonem ad Lyſandrum præſidiarios Athenas uocatum ad Remp. eo melius conſtituendam mittitur: poſt ad aggerem Athenis munitionem extructu-

tructurus a Theramene prohibetur Xenoph. loc. cit. Cæterum de XXX. iſtis Tyrannis plura leges apud Diod. Sic. loco citato. Plutarchum Lyſandro, Iuſtinum lib. V. cap. VIII. §. IX. Ælianum lib. V. Var. Hiſt. cap. XIII. qui locus mendoſus eſt. Vide Meurſium lib. III. de Arch. Ath. cap. XV.

Duodecimus Lacon fuit, qui Olymp. XCVI. an. I. Mercenariorum Dux erat & a Dionyſio Siculo comprehendebatur Diodor. Sic. lib. XIV. Bibl. cap. LXXIX.

Decimus Tertius Rhodius fuit & Phocææ (quæ nobile Ioniæ eſt oppidum Herod. Clio Stephanus Φωκαία,) Archon; de quo Philoſophus lib. II. Oecon. *Ariſtoteles Rhodius Phocææ Archon, in pecuniarum inopia uidens duas eſſe Phocanſium factiones, cum altera earum occulte locutus eſt, indicans alteros ſibi dare pecuniam, ut rem ad ipſos deferat, ſe uero ab ipſis accipere malle, regimenque ciuitatis eis tradere. Quibus auditis ſtatim tantum pecuniæ iſti dederunt, quantum poſtulauerat. At hic alteri factioni rurſum oſtendit, quæ ab his accepiſſet. Atque illi non minus dederunt. Accepta itaque ab utrisque pecunia gratiam inter eos reconciliauit. Cum autem animaduerteret inter ciues multas eſſe controuerſias & magnas a multo tempore propter bellum iniurias ortas, iudicio conſtituto edixit: Si qui lege intra præſcriptum tempus non egerint, eos poſtea de iniuria conquerentes coram iudicio non eſſe audiendos. Tunc itaque multas controuerſias magno pretio*

pretio decidendas in ſe ſuſcipiens & ab utraque diſceptantium parte per diuerſos aliquid accipiens, non parum pecuniæ contraxit.

Decimus Quartus Pallenenſis fuit, Filius quidem Midylidæ, pater uero Habronychi, Ariſtodemi & Midylidæ, Demoſth. Orat. contra Leocharem. Pallenenſis autem ita dicitur a Pallene populo ſiue pago tribus Antiochidis apud Athenienſes. ἔστι δὲ καὶ δῆμος Ἀττικὸς τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς οὕτω λεγόμενος Παλλήνη. Ὁ δημότης Παλληνεύς. Stephanus ſiue Hermolaus Παλλήνη. Confer Suidam Παλληνεύς. Pallenis uero loci erat nomen qui proprius eius δήμου fuit, Caſaub. Anim. ad Athen. lib. VI. cap. VI.

Decimus Quintus præfectus fuit claſſis Demetrii Phalerei & Dionyſii, qui Munichiam cuſtodiebat: miſſus uero ad Caſſandrum in Lemnum a Dioſcoride Antigoni Nauarcho non ſine iactura nauium & militum ex inſula pulſus eſt Olymp. CXVI. an. III. Diodor. Sic. lib. XIX. cap. LXXVIII. T. 2. p. 709.

Decimus Sextus Midiæ & Pythiadis filius, cuius curam in teſtamento ſuo habuit Theophraſtus Ariſtotelis Stagiritæ diſcipulus apud Laert. lib. V. ἐξεῖναι δὲ βουλομένῳ φιλοσοφεῖν καὶ Ἀριστοτέλει τῷ Μειδίου καὶ Πυθιάδος υἱῷ καὶ μετέχειν τούτων καὶ αὐτοῦ πᾶσαν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τοὺς πρεσβυτάτους, ὅπως ὅτι μάλιστα προαχθῇ κατὰ φιλοσοφίαν. *Ariſtoteles quoque Midiæ & Pythiadis Filius, ſiquidem Philoſophari uelit, eorundem particeps eſſe debet, ipſiusque curam diligen-*

ligentiſſime habeant maiores natu, ut quam maxime ad Philoſophiam ducatur. Forte hic idem eſt cum Ariſtotele illo Clearchi aduerſario, de quo Plutarchus I. de Facie in Luna dicit, quod *Ariſtotelis quidem illius antiqui cognatus ſit, uerum multa Peripateticorum dogmata euerterit.* Hunc puto eſſe quem Clearchus cum Iudæo quodam collocutum eſſe & ab eo multa didiciſſe ſcripſit apud Ioſephum lib. I. contra App. Clementem Alex. lib. I. Strom. Euſebium lib. IX. de præpar. Euang. cap. III. quanquam hi Stagiritam intelligunt. Male!

Decimus Septimus Argiuus, qui circa Olymp. CXXXIX. Cleomeni ſe oppoſuit & Argiuorum urbem occupauit. Polyb. Megapol. lib. II. Hiſt. Plutarch. uita Cleom:

Decimus Octauus Chalcidenſis, qui de Eubœa ſcripſit. Harpocration in ἄργουσα. ἔστι δὲ πόλις τῆς Εὐβοίας ἐν τῇ χαλκιδικῇ κειμένη, ὡς Ἀριστοτέλης ὁ χαλκιδεὺς ἐν τῷ περὶ Εὐβοίας. *Arguſa eſt urbs Euboeæ Chalcidenſis, ut Ariſtoteles Chalcidenſis l. de Euboea refert.* Eundem intelligit Scholiaſtes Apollonii in lib. I. Ἀργον. §. XXII. Σουίδας (antiquus Geographus ipſi etiam Straboni lib. VII. notus) καὶ Ἀριστοτέλης οἱ περὶ Εὐβοίας πεπραγματευμένοι *Suidas & Ariſtoteles qui de Euboea ſcripſerunt.*

Decimus Nonus, qui ſub Antiocho Magno Chalcidis in Euboea erat præfectus Olymp. CXLVIII. Coſſ. M. Acilio & P. Cornelio Scipione Naſica A. V. C. Iↄ LIX. ſecundum Sigonium

um V. Liuius Dec. IV. lib. VI. alias lib. XXXVI. cap XXI.

Viceſimus incertæ eſt ætatis, cuius meminit Nicarchus Epigrammate in Medicos, quod habet Anthologia lib. II. cap. XXII. epigr. XIII.

Ξεῖνε τί μὰν πεύθῃ; τίνες ἐν χθονὶ τοῖς θ' ὑπὸ τύμβοις
Οὓς γλυκεροῦ φέγγους ζώπυρος ἐστέρισε
Δᾶμις, Ἀριστοτέλης, Δημήτριος, Ἀρκεσίλαος,
Σώστρατος, οἵτ' ὀπίσω μέχρι παραιτονίου
Κηρύκιον γὰρ ἔχων ξύλινον καὶ πλαστὰ πέδιλα
Ὡς Ἑρμῆς κατάγει τοὺς θεραπευομένους.

Hoſpes quid quæris? Quinam in terra ſub his tumbis
Quos dulci luce Zopyrus priuauit?
Damis, Ariſtoteles, Demetrius, Arceſilaus,
Soſtratus & qui deinceps uſque ad Parætonium
Caduceum enim habens ligneum & ficta calceamenta
Vt Mercurius deducit (ad orcum) ægros.

Viceſimus primus Mechanicus excellentiſſimus Philippi Beroaldi ciuis, cuius ipſe ad Suetonium meminit. Eiusdem quoque mentio fit apud Rauiſium lib. II. Offic. cap. LXVIII. his verbis: *Paulus II. Pontifex, dum a cœna cum Architecto Ariſtotele ſermonem haberet obruente crapula, repente ex apoplexia mortuus eſt.*

Adde quod Ariſtotele ſit familia nobilis Sulmone ut habet Megiſerus in Deliciis Neapol. cap. XV.

Atque hi ſunt, quorum mentionem apud Authores factam hactenus obſeruaui.

Voſſius quidem Ariſtotelis cuiusdam Pontici me-

meminit lib. IV. de Hiſt. Gr. parte III. pag. IↃXIV. his uerbis: *Quod ſi liber is* (*περὶ θαυμ. ἀκουσμ.*) *genuinus foret, omnino antiquior fuerit Hanno, quam dicebamus. Minimum enim Philippi M. temporibus uixerit. Sed libellus ille lectu quidem eſt digniſſimus; magno autem Ariſtotele minus dignus uidetur. Quod ſi nihilo minus genuina eſt inſcriptio, iunioris credo Ariſtotelis erit. Fuit enim & Ariſtoteles Ponticus Minucio Felici memoratus in Octauio.* Verum hic aliquid humani paſſus eſt Vir ille doctiſſimus. Neque enim Minutius Ariſtotelis Pontici, ſed Ariſtotelis & Heraclidæ Pontici meminit. Adducit nimirum Veterum Philoſophorum Thaletis, Anaximenis, Anaxagoræ, Pythagoræ, Xenophanis, Antiſthenis, Speuſippi, Democriti, Stratonis, Epicuri de Deo ſententias: poſt etiam Ariſtotelis, Heraclidæ Pontici, Theophraſti, Zenonis &c. opiniones adfert. *Ariſtoteles*, ait, *uariat & adſignat tamen unam poteſtatem. Nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. Heraclides Ponticus quoque Deo diuinam mentem quamuis uarie adſcribit, Theophraſtus & Zenon.* &c. Hæc Minutius Felix Octauio, qui omnino Ariſtotelem Stagiritam intelligit, licet in ſequenti uerſu Pontici cuiusdam meminerit, ſed Heraclidæ. Lapſus ſatis manifeſtus: cui ſimilis eſt, quem modo in Fr. Iunio de pictura Veterum lib. III. cap. IV. §. IV. obſeruo. *Pythagoras Leontinus Syracuſis fecit claudicantem, cuius ulceris dolorem ſentire etiam ſpectantes*

ſtantes uidentur Plin. lib. XXXIV. cap. VIII. Hæc Iunius, ſed non ſine errore. Plinius enim loco citato ita loquitur: *Vicit eum Pythagoras ex Italia Rheginus, Pancratiaſte Delphis poſito: Vicit & Leontius, qui* &c. Ita ſcilicet Iunius ex Pythagora & Leontio duarum propoſitionum ſubiectis unum facit Pythagoram Leontinum, ut prius Voſſius ex Ariſtotele & Pontico Heraclide diuerſarum itidem propoſitionum ſubiectis unum faciebat Ariſtotelem Ponticum. Sed fuerint alii plures eius nominis, noſtræ tamen Diſſertationes de Ariſtotele agent Stagirita.

§. II.

Hic autem eſt, a quo Ariſtotelica Philoſophia nomen & ortum habet, quæ alias etiam Peripatetica dici ſolet. Περιπατητικῆς Ἀριστοτέλης Σταγειρίτης προέστη, Laert. lib. I. procem: Ἀριστοτέλης αἵρεσιν Περιπατητικὴν ἔκτισεν, inquit Clemens Alex. lib. I. Strom. p. m. cccI. quod Auguſtinus Latine ſic reddit: *Ariſtoteles ſectam Peripateticam condidit*, lib. VIII. de Ciu. D. cap. XII. & lib. IX. cap. IV. itemque Ioh. Sariſberienſis lib. VII. de Nugis Cur. cap. VI. Vnde *ſectæ Peripateticæ pater* dicitur Clem. Alex. in Protreptico. *Peripateticorum pater*, Arnob. lib. II. aduerſus gentes. Ejus ſchola dicitur σχολὴ Περιπατητική Plutarch. de fuga. Περίπατος apud eundem lib. VIII. Sympoſ. quæſt. X. in his uerbis: ὁ δὲ Φαβωρῖνος αὐτὸς τὰ μὲν ἄλλα δαιμονιώτατος Ἀριστοτέλους ἐραστής ἐστι καὶ τῷ Περιπάτῳ νέμει μερίδα τοῦ πει-

θανȢ πλείϛην. Sicut ἡ ϛοὰ Stoicos ſignificat. ὁ νȢς περὶ τὴν καρδίαν, ὡς ἡ ϛοά, ait Pollux Onom. lib. II. cap. IV. §. XLVII. Eius diſcipuli & ſectatores dicuntur οἱ περὶ τὸν Ἀριϛοτέλην Theo-niſoph. progymn. c. I. & Ἀριϛοτελικοί. Κλεῖτος ὁ Ἀριϛοτελικός. Athen. lib. XII. Deipn. ὁ Ἀριϛοτελικὸς Ἀλέξανδρος Cyrill. lib. IV. contra Iulianum. itemque Περιπατητικοί Peripatetici, Φανίας ὁ Περιπατητικός. Athen. lib. VIII. Παλαίφατος ὁ Περιπατητικὸς Theon. Soph. progymn. c. VI. Ἀντισθένης ὁ Περιπατητικὸς Phlegon Trallianus cap. III. Mirab. *Phormio Peripateticus* Cicero lib. II. de Oratore. *Critolaus Peripateticus* Quintilianus lib. II. inſtit. orat. cap. XVI. *Egidius Romanus Peripateticus inſignis*, Auentinus lib. VII. Annal. Boi. Dicuntur etiam οἱ ἐκ τȢ περιπάτȢ. Dionyſ. Halic. epiſtola ad Ammæum, Porphyr. Iſagoge, p. Κλέαρχος ὁ ἐκ τȢ περιπάτȢ Ælian. lib. XII. de animal. cap. XXXIV. Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς εἷς τῶν ἐκ τȢ περιπάτȢ Athen. lib. VI. Θεόφραϛός τε καὶ Φανίας (quæ uox in Xylandri editione eſt omiſſa) οἱ ἐκ τῶν Περιπάτων φιλόσοφοι Ἀριϛοτέλȣς γνώριμοι Strabo lib. XIII. Ἀγαθαρχίδης ὁ ἐκ περιπάτων idem lib. XIV. (ubi itidem quædam in Xylandri Latina uerſione deſiderantur, quam lacunam etiam alii dudum obſeruarunt) Ἀνδρόνικος ὁ ἐκ τῶν περιπάτων, idem ibid. Ἄνδρες ἀξιόλογοι τῶν ἐκ τȢ ΠεριπάτȢ φιλοσόφων Ἀθήναιος καὶ Ξέναρχος idem ibidem Lactantius eos *planoperipateticos* uocat non ſine conuitio: Verum ignominioſas

iſtas

iſtas appellationes in aliud tempus reſeruamus examinandas.

§. III.

Vnde autem Ariſtotelis Philoſophia dicatur Peripatetica, non una eſt omnium ſententia:

(I) *Peripateticam ſectam Ariſtoteles condidit, quod deambulans diſputare conſueuerit*, ait Auguſtinus lib. VIII. de Ciu. Dei cap. XII. & ex eo Ioan. Sariſberienſis lib. VII. de Nugis Curial. cap. VI. Et hæc ſententia eſt uulgata.

(II) Varro ueteris Academiæ defenſor apud Ciceronem lib. I. Acad. Qu. *Qui erant*, inquit, *cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, qui diſputabant in Lyceo ambulantes.* Verum neutra ſententia proba eſt. Et enim non minus Plato, quam Ariſtoteles ambulando docuit. Inde ergo Peripatetici ἀπὸ τȣ̃ περιπατεῖν ab ambulando ita dici nequeunt, ut a Platonicis diſtinguantur. De ambulatione Platonis loquitur Alexis in Meropide apud Laertium lib. III. & Heſychium illuſtrem Platone:

Ἄνω κάτωτε περιπατȣ̃σ' ὥσπερ Πλάτων
Σοφὸς, ȣ̓δὲν εὕρηκ' ἀλλὰ κοπιῶ τὰ σκέλη.
Surſum deorſum palor, ut Plato
Sapiens & nihil inueni, ſed laſſa ſum cruribus.

Vbi pro σοφὸς, ȣ̓δὲν alii legunt σοφὸν ȣ̓δέν' *ſapientem nullum.*

Idem in Ancylione apud Laertium l. c.

----συγγενῶς τρέχων
Πλάτωνι----

Similiter currens

Platoni --- ---

Integros uero hos uerſus habes apud Heſychium Platone.

Ariſtoph. Νεφέλαις Act. III. Sc. III.

Εἰς Ἀκαδημίαν κατιὼν ὑπὸ ταῖς μορίαις καταθρέξεις

In Academiam deſcendens ſub oleis decurres,

Suidas Ἀκαδημία hunc uerſum paulo aliter citat:

Ἀλλ' εἰς Ἑκαδημίαν κατιὼν ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις.

Timon in Sillis apud Laertium & Heſychium locis cit.

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ' Ἑκαδήμου
Δένδρῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.
Prauius ante omnes Ductor latiſſimus ibat,
Cuius ab ore melos manabat, quale Hecademi
Arbuſtis lepida modulantur uoce cicadæ.

Ælianus lib. III. Var. Hiſt. cap. XIX. Διὰ ταῦτα ἀποστὰς ὁ Πλάτων τοῦ ἔξω περιπάτου ἔνδον ἐβάδιζε σὺν τοῖς ἑταίροις, *propterea Plato exteriore ambulacro abſtinens priuatim in horto domeſtico cum familiaribus ambulabat.* Perſuaſus enim erat Plato ab Acumeno Socratis familiari, quod illud exercitationis genus facilius ſalubriusque eſſet, *in Phædro*, p. Si itaque & Plato ambulans ſuos docuit, quid obſtat, quo minus & Platoni-

ci

ci dicantur Peripatetici? Sane non ab ambulando ita ſunt dicti Peripatetici, alia quærenda eſt ratio.

(III) Laertius lib. I. præfat. *Philoſophorum alii a ciuitatibus ſunt appellati, ut Elienſes, Megarenſes, Eretrici & Cyrenaici: Quidam a locis, ut, Academici, Stoici: ab euentu* (*ἀπὸ συμπτώματος*) *nonnulli, ut Peripatetici: nonnulli ab ignominia, ut Cynici: alii a diſpoſitione, ut Eudæmonici: quidam a faſtu ut qui ſe* Φιλαλήθεις *ueritatis ſtudioſos*, Ἐλεγκτικοὺς καὶ Ἀπολογητικοὺς (ita enim legendum puto, ut ut pro priore uoce Ambroſius *ἐκλεκτικοὺς* legere maluerit, *ἐλεκτικοὺς* Sambucus: Brognolus tamen, quem H. Stephani ſequitur Ἐλεγκτικοὺς legit: & hanc lectionem adprobat exemplar Baſileenſe Græcum anni cIↃ IↃ XXXIII. Verum pro poſteriore uoce omnes quod ſciam, *ἀναλογιστικοὺς* legunt; Henricus Stephani tamen librum ſe uidiſſe teſtatur, qui *ἀναλογιστικοὺς* habuerit, eundemque ſequitur. Nobis *ἀπολογητικοὺς* placet, rationem loco conuenientiore daturis) *contradicentes ſiue opponentes & defendentes ſiue reſpondentes uocant. Sunt item qui a Præceptoribus ſunt dicti, ut Socratici & Epicurei: atque alii, quod de natura rerum ſcripſere, Phyſici: alii quia circa mores uerſabantur, Ethici: cæteri a diſſerendo, Dialectici ſunt dicti.* Quid autem per illa uerba *ἀπὸ συμπτωμάτων* intelligat Laertius ſe inueniſſe cenſet H. Stephani in notis ad Heſychium. Scilicet Ariſtotelis ſectatores inde Peripateticos dici

exiſtimat, quod eueniſſet, ut illis deambulatio placeret, quæ ſcilicet a Socrate & Platone incepta erat. Sed ecce tibi uerba eius: *Dicti ſunt Peripatetici non a loco deambulationi accommodato & deſtinato, qualis erat Xyſtus* (*περίπατος Græce*) *ſed ex eo ipſo, quod eueniſſet*, (reſpicit uerba Laertii ἀπὸ συμπτωμάτων) *ut illis deambulatio placeret:* Περιπατητικοὶ *uidelicet quaſi deambulatores*, ἀπὸ τοῦ περιπατῆσαι. Hæc ille, ſed ſine ratione, ſine ueterum teſtimonio ita de explicandis Laertii Verbis iudicat; ea autem Authoris ſententia fuerit, ualde dubito. Et Platonicis placuit illa deambulatio a Platone cœpta, an propterea & illi peripatetici dicendi? ita ſcilicet, qui a loco Peripateticos eſſe dictos negant, coniecturas ſequendo a ueritate faciunt diuortium.

(IV.) *Alii ſcribunt*, ait Laertius lib. V. Ariſt. *Ariſtotelem, dum Alexandro, qui recens ex morbo conualuerat, comes adeſſet deambulanti, ſolitum cum eo certis de rebus diſputare, & inde Peripateticum dictum eſſe: Cæterum ubi frequentior fuit auditorum cœtus, ſediſſe.*

(V.) Veriſimilius autem eſt a loco id nomen fluxiſſe. Vt enim in Academia Plato, in Cynoſarge Antiſthenes & in ςοᾶ Zeno Cittieus docuit, eorumque diſcipuli inde appellati Academici, Cynici, Stoici: ita Ariſtoteles in Lyceo Peripatum elegit, locum umbroſum (hinc *Theophraſti umbracula* Cic. Bruto) conuentui habendo & Philoſophiæ docendæ aptum: & ex loco il-

lo

lo nomen fluxit. Neque enim una uocis *περίπατος* eſt ſignificatio. Περίπατοι (ut de cæteris ſignificationibus nihil dicam) *αἱ ἰσορίαι καὶ οἱ λόγοι ἢ τόποι διακινήσεων* Heſych. *περιπ.* priorem ex his ſignificationibus Latini per ſimilem uocem *diſcurſus* redderent. Sic Athenodorus Tarſenſis Philoſophus Stoicus aliquot libros *περιπάτων* ſiue *diſcurſuum* edidit: librum quintum citat Diogenes lib. VI. Diog. Cyn. librum *octauum* idem lib. III. Plat. lib. V. Theophr. & lib. IX. Democr. In Poſteriore uero ſignificatione, ambulacrum notat, quæ frequentior eſt. Πρωὶ γὰρ εἰς τοὺς περιπάτους καὶ τὰ γυμνάσια ᾔει. Xenophon: Οὐλπιανὸς ὁ Τύριος διὰ τὰς συνεχεῖς ζητήσεις ἃς ἀνὰ πᾶσαν ὥραν ποιεῖται ἐν ταῖς ἀγυιαῖς περιπάτοις, βιβλιοπωλείοις βαλανίοις. Athenæus lib. I. Deipn. p. Εἶτα ἀναπεπταμένου τοῦ Πλάτωνος Περιπάτου. idem. *Pars Baſilicarum ſiue ædificiorum regiorum eſt Muſeum,* (Academiam hodie dixeris) quod *περίπατον ambulacrum & exedram habet, magnamque inſuper domum, in qua cænaculum eſt ſiue conuictorium iis commune, qui ad Muſeum pertinent, & literis humanioribus operam nauant. Hoc collegium publicas pecunias habet, & ſacerdotem, qui Muſeo præeſt, olim a Regibus, nunc a Cæſare conſtitutum.* Strabo lib. XVII. de Alexandria. Atque tale ambulacrum in Lyceo quoque fuit: *Ariſtoteles περίπατον τὸν ἐν Λυκείῳ* ſibi elegit, Laert. lib. V. Ariſt. *Ariſtoteles in Peripatum uenit*, ait Ælianus lib. V. Variæ Hiſt. cap. IX. confer lib. III. cap.

 XIX.

XIX. Eiusdem peripati meminit Theophraſtus in teſtamento ſuo apud Laertium lib. V. Θεοφρ. Τὸν κῆπον καὶ τὸν περίπατον καὶ τὰς οἰκίας τὰς πρὸς τῷ κήπῳ πάσας δίδωμι τῶν γεγραμμένων φίλων ἀεὶ τοῖς βουλομένοις συσχολάζειν καὶ συμφιλοσοφεῖν αὐτῷ. *Hortum & Peripatum ſ. ambulacrum ædesque omnes horto adiacentes amicis inſcriptis lego, qui in eo uoluerint una uacare literis & ſimul philoſophari.* Item Lycon Peripateticus in ſuo teſtamento l. c. *Peripatum ſ. ambulacrum amicis ac neceſſariis relinquo Buloni, Callino, Ariſtoni, Amphioni, Lyconi, Pythoni, Ariſtomacho, Heraclio, Lycomedi, Lyconi, fratrueli. præficiant autem ipſi, quemcunque permanſurum in ſchola, maximeque utilem futurum exiſtimauerint. Eis uero conſentiant & reliqui familiares & mei & loci gratia.* Sic Theophraſtus dicitur *ſucceſſor* τῆς σχολῆς τῆς ἐν τῷ Περιπάτῳ ὑπὸ Ἀριστοτέλους καταλειφθείσης εἰς χαλκίδα ἐκδημήσαντος. Suid. Θεοφρ. Atque in illo peripato ſ. ambulacro Lycei Ariſtoteles docuit, unde eius diſcipuli peripatetici dicti ſunt. Ἀριστοτέλης ἀκροατὴς τοῦ Πλάτωνος γενόμενος εἰς κῆπόν τινα πρὸ τῆς πόλεως τὰς διατριβὰς ποιησάμενος ἐκ τοῦ κατ' αὐτὸν περιπάτου περιπατητικοὺς ὠνόμασε τοὺς ἀπ' αὐτοῦ. Suidas Σωκράτης. Κυνικὴ ἐκλήθη φιλοσοφία διὰ τὸ ἐν Κυνοσάργει τῷ Γυμνασίῳ κατάρξασθαι αὐτῆς τὸν Ἀντισθένην· Ἡ δὲ Περιπατητικὴ διὰ τὸ ἐν περιπάτῳ ἤτοι κήπῳ κατάρξαι αὐτῆς Ἀριστοτέλην. *Cynica ſecta nomen adepta eſt ab Antiſthene, qui primus eam orſus fuit in gymnaſio*

muaſio, quod a candido cane Cynoſarges nomen accepit: at Peripatetica dicta eſt, quod primordium ceperit ab Ariſtotele in ambulacro ſeu horto docente, Heſych. Illuſtris initio opuſculi de uitis. Quo loco quid clarius dici poſſit, non uideo. His adde quæ habet Suidas Ἀριστοτ. Ἀριστοτέλης ἦρξε ἔτη ιγ τῆς Περιπατητικῆς κληθήσης Φιλοσοφίας διὰ τὸ ἐν Περιπάτῳ ἤτοι κήπῳ διδάξαι ἀναχωρήσαντα τῆς Ἀκαδημίας ἐν ᾗ Πλάτων ἐδίδαξεν. Hæc Suidas. Idem uult Hermippus apud Laertium lib. V. Ariſt. *Refert Hermippus in uitis, dum Ariſtoteles ab Athenienſibus ad Philippum legatus mitteretur Xenocratem interea ſcholæ, quæ in Academia erat, præfectum fuiſſe. Ariſtotelem uero poſtea reuerſum cum ſcholam ab alio occupatam eſſe uideret*, Περίπατον τὸν ἐν Λυκείω *Peripatum qui in Lyceo erat, ſibi elegiſſe, atque ibi ſolitum ad eam usque horam, quæ unctioni dicata erat* ἀνακάμπτοντα *deambulando c. n diſcipulis philoſophari, unde Peripateticus ſit appellatus.* Hinc itaque ſatis conſtat, περίπατον etiam locum ſignificare & Ariſtotelem in περιπάτῳ Peripato, quodam Lycei loco docuiſſe, & inde diſcipulos eius Peripateticos eſſe appellatos.

COROLLARIVM.

A *Riſtoteles lib. VIII. Topicorum cap II.* τῶν ἐπιςημῶν, *ait* αἱ μὲν Θεωρητικαὶ, αἱ δὲ πρακτικαὶ, αἱ δὲ ποιητικαί. *Nicolaus Gruchius interpres male ſic reddidit.* Artium (*at ſcientias Ariſtoteles diuidit*) aliæ ſunt, quarum omne opus eſt in cognoſcendo: aliæ, quarum in agendo: aliæ, quarum in faciendo. *Conimbricenſes initio Logicorum Artes ratione finis, quem ſpectant, in Practicas & Theoreticas diuidunt, idque authoritate Philoſophi ex loco citato, probare conantur. Sed male! (I) decipiuntur uerſione. Neque enim Philoſophus artes, ſed ſcientias ita diuidit. (II) inſufficienter diuiſionis membra enumerant, & dichotomias ſectantur. Quintilianus Artium illam diuiſionem lib. II. Inſtit. Orat. cap. XIX. tradit his uerbis.* Artium aliæ poſitæ ſunt in inſpectione, id eſt, cognitione & æſtimatione rerum, qualis eſt Aſtrologia, nullum exigens actum, ſed ipſo rei, cuius ſtudium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ uocatur: Aliæ in agendo, quarum in hoc finis eſt & ipſo actu perficiuntur, nihilque poſt actum operis relinquunt, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis eſt ſaltatio. Aliæ in effectu, quæ operis, quod oculis ſubiicitur, conſummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis eſt pictura. *Quin ipſius Ciceronis tempore illam artium diuiſionem iam notam fuiſſe diſcimus ex Acad. Quæſt.* Artium aliud eiusmodi genus eſt, ut tantummodo

do animo rem cernat: aliud, ut moliatur aliquid & faciat. Artes quarum omne opus eſt in faciendo & agendo. *Verum ut bonum Oratorem, ita malum & miſerum Philoſophum fuiſſe Ciceronem, deprehendimus. Orta autem eſt incongrua illa locutio inde quod ad Ciceronis usque tempora Latini fuerint inculti & in Philoſophia parum uerſati. Ipſe Cicero id teſtatur lib. I. Tuſc. quæſt.* Philoſophia iacuit usque ad hanc ætatem nec ullum habuit lumen literarum Latinarum, quæ illuſtranda & excitanda nobis eſt, ut ſi occupati profuimus aliquid ciuibus noſtris, proſimus etiam, ſi poſſemus otioſi. In quo eo magis eſt nobis elaborandum, quod multi iam eſſe Latini libri dicuntur ſcripti inconſiderate ab optimis illis quidem uiris, ſed non ſatis eruditis. Fieri autem poteſt ut recte quis ſentiat & id quod ſentit, polite eloqui non poſſit. *Quoniam uero* tardi ingenii eſt, riuulos conſectari, fonteis rerum non uidere, *teſte Cicerone lib. II. de Oratore, propterea Græci nobis conſulendi erunt;* Meos amicos, *ait Varro*, in quibus eſt ſtudium, in Græciam mitto, id eſt, ad Græcos ire iubeo, ut ea a fontibus potius hauriant, quam riuulos conſectentur *apud Cic. lib. I. Acad. Quæſt. Nimirum* Romani ſcriptores Græcos quidem, ſed parce imitantur: quæ enim dicunt, a Græcis transtulerunt de ſuo parum addunt, ut, ubi Græci tacent, non multum ex illis informari poſſis, *Strabo lib. III. Geogr.* Quid intentatum Græcis? *exclamat Plinius lib. XVII. epiſt. VII. Diogenes lib. III. inter ſenten-*

ſententiæ Platonis illam ſcientiarum diuiſionem habet: Τῆς ἐπιςήμης εἴδη ἐςὶ τρία, τὸ μὲν γὰρ ἐςι πρακτικὸν, τὸ δὲ ποιητικὸν, τὸ δὲ θεωρητικόν. Ariſtoteles præter locum citatum eandem quoque approbat lib. VI. Topic. cap. III. Τῶν γὰρ πρός τι καὶ αἱ διαφοραὶ πρός τι καθάπερ καὶ ἐπὶ τῆς ἐπιςήμης, θεωρητικὴ γὰρ καὶ πρακτικὴ καὶ ποιητικὴ λέγεται, lib. VI. Metaph. cap. I. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ φυσικὴ ἐπιςήμη τυγχάνει ὄσα περὶ γένος τι τȣ̃ ὄντος, δῆλον ὅτι ȣ̓́τε πρακτική ἐςιν ȣ̓́τε ποιητική. Et. cap. II. Οὐδεμία γὰρ ἐπὶ ἐπιςήμη ἐπιμελὲς περὶ αὐτȣ̃ ȣ̓́τε πρακτικῇ, ȣ̓́τε ποιητικῇ, ȣ̓́τε θεωρητικῇ. Tandem l. XI. Metaph. cap. VII. Ἐπεὶ δ' ἐςι τις ἡ περὶ φύσεως ἐπιςήμη, δῆλον ὅτι καὶ πρακτικῆς ἑτέρα καὶ ποιητικῆς ἐςαι. Ὅτι μὲν τοίνυν ȣ̓́τε πρακτικὴν, ȣ̓́τε ποιητικὴν ἀλλὰ θεωρητικὴν ἀναγκαῖον εἶναι τὴν φυσικὴν ἐπιςήμην, δῆλον ἐκ τȣ́των. Ex plurimis aliis, quæ adduci poſſent locis, pauca hæc citata ſufficiant, cum ex illis manifeſtum ſit, dari ex mente Ariſtotelis ſcientias Contemplatiuas ſiue ſpeculatiuas, Actiuas, & Effectiuas.

ADDEN-

ADDENDA.

PAg. 4. uerſu 2. poſt Suidas Χάρων, adde: Verum enim uero Charon hic Carthaginenſis & Charondus Catanenſis male confunduntur ab Alexandro Neopolitano, qui lib. II. dier. Gen. cap. X. *Charonda*, ait, *Carthaginenſibus leges, dedit.* Sed lege *Catanenſibus.* Tiraquellus errorem uidet, fontem eius non item. Marſilius Ficinus argumento in Minoa Platonis & Cœlius Rodiginus lib. XVIII. Antiqu. lect. cap. XIX. ſimiliter Alexandro & errant & corrigendi ſunt. Aliter Græci: Νομοθέται δ᾽ ἐγένοντο Ζάλευκός τε Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις καὶ Χαρώνδας ὁ Καταναῖος τοῖς αὐτοῦ πολίταις καὶ ταῖς ἄλλαις χαλκιδικαῖς πόλεσι ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν. Ariſtot. lib. II. Polit. cap. XII. Νόμοις ἐχρῶντο τοῖς Χαρώνδου τοῦ Καταναίου. Heraclides de Chalcidenſibus Rheginis. Ἀπὸ τῆς Κατάνης Χαρώνδας ὁ διάσημος τῶν ἐν Ἀθήνησι νομοθετῶν. Stephanus Κατάνη. Χαρώνδαν Ἰταλία καὶ Σικελία καὶ ἡμεῖς Σόλωνα. Σὲ δὲ τίς ἕξει τινὰ εἰπεῖν; Plato lib. X. Polit. Χαρώνδας πρῶτος Ἰταλίας καὶ Σικελίας νομοθέτης, Theodoretus Θεραπ. ſerm. IX. Charondæ Catanenſis leges nonnullas citat Stobæus Ecl. CXLV.

Errores ita emendandi.

Pag. 25. lin. 18. pro *Hypotheſibus* l. *Hypotypoſibus* p. 31. l. 25. pro *Philoſophiæ Ariſtotelicæ* l. *Philoſophia Ariſtotelica* p. 34. quæ ad calcem paginæ ſunt reiecta, *2. Phyſ. c. 7.* ipſi textui inſeri debent. p. 49. l. 16. pro *Pſalmis* l. *locis* p. 75. l. 22. pro *Hagero* l. *Hungero* p. 84. l. 9. l. *Iſagogas* p. 93. l. 9. del. §. 7. Ibid. l. 14. del. *Auberium.* p. 102. l. 17. poſt teſtantur inſer. particula *non* p. 103. pro *παράδωσι* l. *παραδώσει.* p. 112. l. 14. pro *tantum* l. *tantam.* p. 242. lin. 18. pro *&* l. *cum* ibid. lin. 19. pro *inducit* l. *inducat.* p. 392. lin. 24. l. *εὐδοκιμησάντων.*

INDEX
RERVM POTIORVM.

A

ABelardus nimium Ariſtoteli fauet p. 11. eius Palinodia 190. ſq.

Adiaphoriſtæ contemptum conciliant Ariſtoteli 52.

Aeneæ Gazæi iudicium de Ariſtot. 176.

Aetius 170.

Albertus M. promouet ſtudium Phil. Peripat. 12. cur commentatus ſit in Ariſtot. 203.

Almaricus damnatur 129.

Altorffina Academia Ariſtotelem magni facit. 58, 60.

Ambroſii de Ariſtot. iudicium. 161.

Ammonii Chriſtianiſmus, & de Ariſtot. Iudicium. 370.

Andronicus Rhodius, 4

Angli Ariſtotelem quanti faciant, 71.

Animæ immortalitas num credita ab Ariſtotele? 9, 140, 261. num a Pomponatio 269.

Apologia A. C. laudat Eth. Ariſt. 38. ſq.

Appius (Sigiſm.) curat editionem Tattaretti, 17.

Argentorati excolitur Phil. Perip. 49. ib. contra Ramum Daſypodius ſcribit. 58.

Ariſtoteles inuidiæ obnoxius. 1. ſcriptorum fata, 4. 5. 127. ſqq. parui a Patribus habitus, 8. 9. magni a ſcholaſticis. 14. 216. pro concione explicatur. 33. eius Organon commendatur a Melanch. 48. Danhau. 82. male a nonnullis habetur, 108. an Iudæo familiariter uſus ſit? 133. ſq. an ingratus erga Platonem? 139.

139. eius cum Moſe collatio, 143. Arianis amatur, 158. Aëtio fauet, 170. de eo & Platone contentio, 225. Theologiæ immiſcetur, 234. obſcurus, & cur? 84. & 292. defenditur 310. ſqq. Homonymi eius 402. ſqq.
Ariſtobulus, Peripateticus, 350
Athanaſii de Ariſtot. iudicium 147.
Autoritates Ariſtotelis collectæ, 41
Audomarus Talæus 254. ſeqq.
Auguſtinus omnibus PP. præfertur, 18. Ariſtoteli infenſus, 165. eius Dialectica, 197.

B

Baltus a Platoniſmo Patres excuſans confutatur 6. ſqq. laudatur & notatur, 42.
Barbara, Celarent. 108.
Baſilii de Ariſt. iudicium 149.
Baſſo (Sebaſt.) Ariſtot. refellit 297.
Bedae de Ariſt. iudicium 181
Bernhardi de eodem 184. 361.
Biblicum ſtudium neglectum 216.
Bodinus, 291.
Bonauentura laudatur 219.
Bottiorum de Ariſt. iudicium 328.
Brellerus (Melch.) 78.
Brunſuigae turbae ob laudatum Ariſtotelem ſunt ortae 33.
Buddeus in cauſa Almarici notatur 129.

C

Caeſalpinus (Andr.) 62.
Camerarii in Ariſt. merita, 46.
Cani de retinenda Philoſophia Peripat. conſilium, 349.
Caroloſtadii erga Philoſ. & artes odium 29. de eo Zwinglii iudicium
Carteſii Philoſophia cur tot acceperit aſſeclas? 90.

90. eam quid exoſam fecerit? 91. ſeqq. detrahit Ariſtoteli 374.
Carteſiani & Cocceiani conſpirant contra Ariſtotelem, 97. ſq.
Caſelius Io. uehementior in Ramum, 59.
Catholicos ſe nominant Ariani, 160.
Chryſologus de Ariſtotele iudicat, 176.
Chryſoſtomus de eodem, 162.
Clemens Alex. de eodem, 133.
Clamengis, 219.
Cocceiani haud fauent Ariſtoteli, 97.
Conſenſus Ariſtotelis cum ſcriptura qualis? 84. ſq.
Conſtitutiones Acadd. Witteb. & Lipſ. de ſcriptis Ariſtot. 47.
Contentiones eruditorum quid efficiant? 74.
Corceon (Lob.) 193.
Cozzandus notatur 203.
eius Epicurus expenſus, 323.
Crypto-Caluiniſtae contemptum conciliant Ariſtoteli, 52.
Cyrilli de Ariſt. Iudic. 169.

D

Dandinus commendat Ariſtotelem, 363. notatur, 371.
Decretum Senatus Pariſienſis pro Ariſtotele, 319.
Deus, an poſſit contradictoria? 213.
Dialectica ſui contemptum in Caroloſtadio uindicat, 36.
Didymus, 173.
Digbæus, 89.
Diſputandi ratio peruerſa, 233. recta, 276.
Dolitius Veldkirchenſis, 26.

E

Eclectica a Patribus amata, 6. nunc obtinet, 111. commendatur, 38.

Elogia in Ariſtotelem, 375.
Ens, quid Ariſtoteli? 80.
Εντελέχεια quid? 176, 293.
Epicurus, 38, 46.
Epiphanii de Ariſtot. Iud. 157.
Ernulfi de eodem, 183.
Eruditionis profanæ fines, 141.
Euſebius, 143.
Exempla clarorum Virorum quid poſſint? 13.

F

Fanaticiſmus Philoſophiam odit, 29, 78. Pelagianiſmum ſecum uehit, 104.
Flacius minus commode ſentit de Philoſophia, 52.
Freitagius, 88.
Franciſcus Rex Galliæ Ariſtotelem aſſerit in Scholis Chriſtianorum, 246. ſqq.
Fridericus ſapiens, 16. ſq.
Friſchlinus, 58.

G

Gaſſendus Epicuræam ſectam reuocat, 89. Rami aliorumque cauſam agit, 321. ſq. eius Paradoxicæ aduerſus Ariſtoteleos, 325.
Gerhardus Io. Ramo fauet, 69.
Goclenis, Rud. 71.
Grauerus (Alb.) Hoffmanni aduerſarius, 79.
Gregorii Nyſſeni de Ariſt. iudic. 151.
Nazianzeni de eodem, 152.
Betici de eodem, 151.
Grotius (Hugo) quomodo in Phil. Peripat. fuerit affectus? 93. eius de I. B. & P. libri, 94.

H

Hæreſes omnes ex Ariſtotelica Philoſophia num ortæ ſint? 268.

Ham-

Hamburgenſe Gymnaſium, 69.
Haruei de Ariſt. iudic. 110.
Hauenreuterus (Sebald.) edidit Velcurionis Commentarios, 40.
(Io. Lud.) magni facit Ariſtotelem 49.
Helladi Beſantinoi de Ariſtotele iudicium, 139.
Hemlſtadienſis Academia pro Ariſtotele, 59. ſqq. cur? 60.
Hermias quando uixerit? 148. eius de Ariſtot. iud. 149.
Heumannus notatur, 173.
Hieronymi de Ariſtot. iud. 163, 337. ſqq. eius ætas incerta, 341.
Hobbeſius notatur, 5. Epicuro fauet, 95. eum ſequitur Pufendorfſius, ibid.
Hoffmannus (Dan.) Controuerſiæ de Philoſophia, 76. eius aſſeclæ, 76, 77. retractat. ibid. eius aduerſarii 79.
Horneius, 81.
Hornius (Georg.) fouet αὐτοσχεδιάζειν, 339. notatur 343. ſq. & 353.
Huetius refutatur, 90. ſq.

I

Indifferentiſmus minus fauet Ariſtoteli, 107.
Infinitas num uere Deo competat, 86.
Interitus literarum unde? 74.
Iodocus Iſenacenſis Lutheri Præceptor, 16. cum illo Lutherus de Ariſt. Phil. confert, 18. indignatur Luthero, 21.
Irenæi de Ariſtot. Iud. 134.
In IS nomina latina quomodo reddantur Græcis, 395.
Iungius (Ioach.) 70.
Iuris N. DD. Ariſtote-

li derogant, 93.
Iuſtinus Martyr, 131.

K

Keckermannus (Barth.) 71.

L

Lactantius, 6. Philoſoph. omnem tollit, 35. eius de Ariſtotele iud. 142.
Lanfrancus, 345. ſq.
Langii (Ioach.) de Ariſt. Phil. iudicium, 106.
Lectionum in Ariſtotelem ordo Academiæ Pariſienſ. præſcriptus, 295. ſqq.
Leonis IX. de Ariſt. Phil. iud. 182.
Libertas Philoſophandi Grotio exitioſa, 94.
Lipſienſis Acad. Philoſ. Peripat. quondam amantiſſima, 45, 82. legibus ad eandem adſtringitur, 47. turbæ ibidem a Cramero per Philoſophiam Ramæam excitatæ, 68.
Lipſius Platoni addictus, 179.
Locorum Melanchthonis editiones quæ optimæ, 39.
Logica inutilis nonnullis creditur, uſu refutatis, 36.
Λόγȣ generationem inficiatur Roëllius, 92.
λόγος Græcis aliquando notat Librum, 344.
Lombardi ſententiæ, 191.
Lubeca eiicitur Philoſophia Ramæa, 59.
Lucilius Tarrhæus quis? 406.
Lutherus callebat Phil. Perip. 15, 16. fit ab illa alienior, 18. cur? 30. ſq. non fuit hoſtis Philoſophiæ, 34. concepit mitiorem de Ariſtotele ſententiam, 41. eius de Ethica Ariſtotelis ſententia damnatur, 238.
Lyſerus de contemptu Ariſtotelis ſe purgat, 51.

Man-

M.
Mancipia Ariſtotelis, 190.
Manſueti de eo iudic. 179.
Marcoduranus, 55.
Martini (Cornel.) Ramiſtas oppugnat, 59. a Ramiſtis oppugnatur, 66.
Martini (Iac.) 80.
Melanchthon primum magni fecit Ariſtotelem, 24. mox grauiter caſtigauit, ibid. tandem reſtituit, 36. cauſæ, 42. latet ſub Didymi Tauentini nomine, 25. Diuerſæ LL. Theol. editiones 39. commendat Ariſtotelis Organon cum Burſæmontis commentario, 48. eius libri Dialectici laudantur a Chytræo, 16. per eius compendia Ariſtoteles excutitur ex manibus, 51.
Menzerus (Balth.) num Ramiſta? 68.
Metaphyſicum a quo tempore, & cur florere cœperit? 70.
Metaphyſici Ariſtotelis legi prohibentur, 195.
Meyerus (Lud.) auctor Libri Philoſophia ſcripturæ interpres 91. a Wolzogio confutatur.
Mixti 71, 72.
Mommorius, 115.
Monachi ob Ariſtotelem a ſe laudatum templis eiecti, 33.
Moralis Theologia qualis eſſe debeat? 378.
Morum Doctor perfectus Ariſtoteles, 38.
Motus obſcure definitur ab Ariſtotele, 292.
Müllerus (Io.) Philoſophiam damnat, 76.
Myſtica Theologia, 15. Ariſtotelicæ Philoſophiæ in feſta 101.

N

Neldelius de uſu Organi, 45.
Nemeſii de Ariſt. iudic. 177.
Neo - Scholaſtici qui? 75.
Nicephorus (Herm.) aduerſarius Martini, 67, 70.
Notholdus Ramæus 66.
Nouitatis magna uis, 20.
Nunneſius (Pet. Io.)
Νοῦς quid ſit Ariſtoteli? 58.

O

Obſcurus Ariſtoteles, cur? 84. obſcuritatis effectus, 357.
Officium Philoſophi, 89.
Oregius (Aug.) pro Ariſtotele ſcripſit, 9. notatur, 10.
Origines, 6. laudatus, 141.
Organon Ariſtot. Θεόπνευςον prædicatur, 82.
Ottonis Friſingenſis de Ariſtotele iudicium 188. ſq.

P

Patres Eccleſiæ fuere Eclectici, 6. eorum Platoniſmus, 7. 8. Ariſtotelem tanti haud fecerunt, 8, 9, 10. quidam tamen Phil. Perip. excoluerunt, 11. quidam a Pelagianiſmo ante Pelagium non fuerunt immunes 103. eorum de Ariſtotele Praeiudicia iniqua unde ortum trahant. 151.
Patricius, eiuratus Ariſtotelis hoſtis, quo loco habendus, 279. ſqq.
Pelagianiſmus, num ex Philoſophia Perip. 103. ſeq.
Peripatetica Philoſophia, eius ſtudium male

male ſanum quando ceſſerit, 11. a Luthero improbatur, 18. ſqq. a Melanchthone reſtituitur, 36. ſeqq. ei damnum afferunt certamina Synergiſtica, 52. Ramus, 54. ſqq. Hoffmannus, 76. Phyſica, 86. Iuris N. doctores, 84. Cocceianiſmus, 97. Pietiſmus & Indifferentiſmus, 107. excolitur & propugnatur ab Helmſtad. & Altdorffinis 59. ſeq. Geneuæ, 71. in Anglia, 72. cur a noſtratibus tanti fiat, 75. cum ſcriptura conciliatur, 84. detrimentum afferre creditur Eccleſiæ, 152. ſq. odio habetur Patricio, 279. ex Moſe & Prophetis num manarit? 350.

Petrus Martyr, 49.
Alliacus, 216.
Tattarettus Witte-bergæ editur, 26.

Philoſophia omnis tollitur a Lactantio, 35. non ſit ſophiſtica, 38. reiicitur ab Hoffmanno, 76. ei nomina iurioſa imponuntur a Pietiſtis, 100. ex hominibus eſt æſtimanda, 123. mercenaria male audit, 131.

Plato magni a Patribus ſit, 7. quid de eius Philoſophia maiores noſtri ſenſerint? 43. num melior Peripatetica? 102. 105. de eo contentio, 225. ſeq. cum Theologia Chriſtiana & Ariſtotele confertur, 284. Ariſtoteli præfertur, 290.

Pneumaticam qui primus ſeorſim a Metaph. tractauit, 80.

Polemicae Th. effecta, 190.

Poma Sodomitica num dentur? 220. ſq.

Pomponatius immortalitatem animæ negat 269.

Porphyriani qui? 158.
Poſtelli (Guil.) de Ariſtotelis Phil. iudicium, 267.
Pufendorffius, 95.
Præiudiciorum uis, 56. ea proſcribuntur Taurello, 61.
Principia innata, 85.
Principia inueſtigandæ ueritatis, 87. Theologiæ, 358.
Prouidentia diuina, 65.
Puteanus, 323.

Q

Quaeſtiones Theologicæ quales eſſe debeant? 273.

R

Rabani de Ariſt. iud. 181.
Rachelius (Sam.) 81
Ramus, eius contra Ariſtotelem conatus, 54. eius & Philoſoph. fata, 55. oppugnatur, 58. ſq. 61. defenditur, 66. iuccubuit tandem, 70. quare? 73. cum Ant. Goueano controuertit. 246. ſqq.
Rapinus notatur, 30. 31.
Raymundi ars, 233.
Remigii de Ariſtot. iud. 181.
Reneccius (Iac.) 69.
Roëllius, 92.
Roſtochienſis Academ. Phil. Perip. amat, 47. ſq. ibi pro Ramo pugnatur, 68.

S

Sapientiæ Liber Platonicus, 8.
Schegkius inſignis Peripateticus, 48. eius controuerſiæ cum Ramo 58.
Scherbius magnus Peripateticus, ſed inuidus, 60. oppugnat Ramiſtas, 61.
Schillingius (Wilh.) controuerſiae ab eo motae, 78. 79. 80.
Scholaſtici magis Philoſophiam quam Theolo-

ologiam curant, 11. 216. eorum Theologia uituperatur, 99. eius auctor, 173. definitio, 235. obſcuritas, 232.
Scortorum Athenienſium uitæ, 401.
Scotus (Io. Erigena) Theologiam Myſticam Scholaſticae opponit, 15.
Sennertus Ariſtotelem deſerit, 87. cotrouerſiæ eidem motæ, 88. defenditur, ibid.
Sidonii de Ariſt. iud. 178.
Simpliciani de eodem 164.
Simon Simonius, 45.
Tornacenſis ob Airſtot. ſtudium Hæreſeos accuſatur, 201.
Sluterus (Seuerin.) 69
Sonnerus, 61.
Socratis (Scholaſtici) de Ariſtotele iudicium, 170.
Sperlingius, eius Inſtitutiones Phyſicæ, 88. quid in illo deſiderandum, 88. 89.
Strato Lampſac. 4.
Strigelius (Victorin.) 46.
Stoici Eriſtici dicti, 178.
Surius refutatur, 34.
Syncretiſtæ Philoſophici, 71. improbantur ab utraque parte, 72.

T

Tarrhaeus, (Lucil.) quis? 406.
Tattarettus editur, 16.
Taurellus fuit eclecticus, 61. perſtringit ſubinde Ariſtot. 64. reformare uoluit philoſophiam, ibid. eius de Prouidentia diuina ſententia, 65. non eſt Atheus, ibid.
Tertulliani de Ariſt. iudicium, 136.
Theologia Teutonica cur amata Luthero? 32 naturalis uera eſſe negatur Flacio, 53. Scholaſticæ auctor,

193. num ſine Philoſophia tractari poſſit, 358. Moralis qualis eſſe debeat, 378.
Theophraſtus Ereſius, 4.
TheſesAriſtotelis impiæ & falſæ, 313, 354. ſeq.
Theodori de Ariſtot. iudicium, 160.
Theodoreti de eodem 173.
Thomas de Aquino promouet ſtudium Phil. Perip. 12. cur commentatus ſit in Ariſtotelem 203. an ſit Ariſtotelicus, 206. notatur a Theologis Pariſ. 213.
Thomaſius (Chriſt.) 96. 97.
Totauillæus, 229.
Tradux an credita ab Ariſtotele, 85.
Tubingenſis Acad. excolit Phil. Perip. 48.

V

Valentinianorum hæreſis unde? 135.
Velcurio, eius Commentarii Phyſici 40. iudicium de Platonis Philoſophia 43.
Veritatem non omnes ferunt, 126.
Viottus, 87.
Vitarum Philoſophorum ſcriptores, 387.
Viuis Lud. de Ariſt. iud. 263.
Voſſius (Gerh. Io.) notatur circa Ariſtotelem quendam Ponticum, 416.

W

Wathonii Apologeticum pro Ariſtotele, 324.
Werdenhagenius, 77.
Weigelius (Erhard) a Leibnizio notatur ob ſententiam de diuina conſeruatione, 65.
(Valentinus) 78.
Wittebergenſis Academia docere debuit Ariſtotelem, 26. Luthero

thero duce remittit a ſtudio Phil. Perip. 23. legibus ad Ariſtotelem adſtringitur, 47. in illa ſunt Ramiſtæ 68. 73. ſemper uſa eſt aliqua libertate philoſophandi, 83.

Zeiſoldus (Io.) 84. Sennerto aduerſatur, 88.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

150
B
16

Digitized by Google